This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

3 2106 01908 6690

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PLATONIS DIALOGI

LATINE

JUXTA

INTERPRETATIONEM FICINI

ALIORUMQUE.

VOL. X.

LONDINI:

EXCUDEBAT A. J. VALPY, A. M.
SUMPTIBUS RICARDI PRIESTLEY.
MDCCCXXVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

PA
4279
A2
1826
v.10

VOL. X.

IN HOC VOLUME CONTINENTUR

	PAG.
Phædrus	1
Lysis	30
Protagoras	41
Laches	70
Charmides	83
Euthyphro	97
Parmenides	106
Apologia Socratis	131
Crito	147
Ion	155
Hippias Minor	162
Hipparchus	170
Minos	174
Alcibiades II.	179
Gorgias	187
Theætetus	232
Meno	271
Euthydemus	288
Cratylus	308
Sophista	340
Politicus	368
Convivium	398
Phædo	427

Digitized by Google

Digitized by Google

PHÆDRUS.

SOCRATES. PHÆDRUS.

[227] O amice Phædre, quonam et unde? Phæ. A Lysia, o Socrates, Cephali filio. pergo autem, deambulandi gratia, extra urbem. plurimum enim tempus cum eo sedens a matutino ad hanc usque horam illic constiti. a tuo autem meoque sodali Acumeno persuasus, deambulando exerceor. quod quidem exercitationis genus facilius salubriusque ille, quam currendi certamen, existimat. So. Probe ille quidem, o amice, monet. at enim Lysias erat, ut videtur, in urbe. Phæ. Erat. nam apud Epicratem divertit in hanc Olympo proximam Morychi domum. So. Quid rei agebatur illic? an videlicet orationis epulo Lysias vos accepit? Phæ. Scies, modo tibi otium sit progredienti una mecum audire. So. Quid vero? nonne putas me juxta Pindarum negotio etiam anteferre, tuam et Lysiæ collocutionem audire? Phæ. Perge igitur. So. Dicas modo. Phæ. Atqui disputatio illa, o Socrates, tuis auribus congrua. sermo namque fuit, qui habitus est, nescio quo modo, amatorius: scripserat enim Lysias elaboratam et luculentam orationem, non pro amatore quidem; sed ex hoc ipso artificiosa erat et compta oratio, quod aiebat non amanti potius, quam amanti, esse gratificandum. So. O generosum virum! utinam scriberet, inopi potius, quam opulento, et seni, quam juveni, et in ceteris omnibus ita affecto, ut ego et nostrum complurimi sumus, esse gratificandum. ita enim urbana et publice utilis foret oratio. Me tamen cupido tanta cepit audiendi, ut, si Megaras usque deambulando proficiscare, atque Herodici more, ubi ad murum accesseris, protinus inde recedas, non te relinquam. Phæ. Quid ais, optime Socrates? an putas, quæ Lysias [228] multo tempore per otium composuit, disertissimus omnium, qui nunc sunt, scribendi, ea me rudem, ita ut illo dignum est, atque referre meminisse? permultum certe absum. atqui mallem equidem id mihi, quam multum auri, adesse. So. O Phædre, si ego Phædrum ignoro, mei quoque oblitus sum. sed horum sane neutrum est. id enim certe scio, quod non semel tantum ille Lysiæ sermonem audivit, sed jussit sæpius recenseri. Lysias autem parebat libens. Nec vero Phædro id satis: verum, sumpto demum libro, quæ maxime cupiebat, consideravit. quod cum fecisset, illic a matutino assiduus, deambulaturus abecessit, per canem, ut equidem reor, memoriæ mandans, nisi forte prolixior erat oratio. Tendebat autem modo extra muros, ut ea ipsa meditaretur. obvians vero homini sermonum amore insano, eo conspectu lætatus est, quia congaudentem coëxultantemque foret habiturus, ac pergere una jussit. deinde vero, ab homine ipso sermonum avido rogatus dicere, simulabat gravari, quasi non cuperet referre: tandem vero, etsi nemo sponte audire vellet, erat ad audiendum illata vi coacturus. Te ergo, Phædre, rogarim, quod etiam non rogatus facturus es, mihi nunc ut facias. Phæ. Satius est igitur, utcunque possum, dicere. videris enim non prius me dimissurus, quam pro viribus dixero. So. Vere nimium tibi videor. Phæ. Sic igitur faciam. sed enim verba quidem ipsa, o Socrates, non edidici: sententias autem pæne omnium, quibus amantem ostendit a non amante differre, teneo equidem, easque breviter referre tibi per ordinem pergo. So. Ostende, amabo, prius, quid in sinistra habes sub pallio. suspicor enim, te librum ipsum habere. id si sic est, ita cogita, me quidem

Digitized by Google

te magni facere: attamen, præsente Lysia, me tibi auditorem præbere non est consilium. sed age, ostende. Phæ. Desistas. magna de spe me dejecisti, o Socrates, quam in te habui, quasi ingenium una tecum exercitaturus. Sed ubi vis sedentes legamus? [229] So. Huc circa Ilissum fluvium divertamus. postea, ubi videbitur, sedentes requiescemus. Phæ. Peropportune decalceatus sum: nam tu quidem semper. facile igitur nobis erit per aquulam ipsam vadere, et non injucundum, præsertim hac anni hora atque diei. So. Perge igitur, et simul conspice, ubi sedeamus. Phæ. Vides illam altissimam platanum? So. Video. Phæ. Ibi et umbra, et ventus modicus, et mollis herba, ubicunque sedere vel etiam recumbere velimus. So. Perge igitur. Phæ. Dic mihi, o Socrates, nonne hic olim fertur Boreas ab Ilisso Orithyiam rapuisse? So. Fertur quidem. Phæ. An non hic grata, pura, et nitida apparet aquula, puellarumque apta ludis? So. Nequaquam: sed paulo inferius ad duo vel tria stadia, ubi Dianæ templum offendimus. atque ibidem ara quædam est Boreæ. Phæ. Non adeo novi. sed dic per Jovem, Socrates, tune hanc fabulam putas veram fuisse? So. Jam si non putarem, ut sapientes, absurdus non essem: deinde, rem commentatus, ventum Boreæ dicerem proximis e petris, cum Pharmacia ludentem, Orithyiam dejecisse: atque ita mortuam, raptam hinc a Borea fingi, vel ex Areopago. est enim et alia fama, non ex hoc loco, sed ex illo raptam fuisse. Ego autem, o Phædre, jucunda quidem hæc existimo, sed curiosi nimium atque anxii, nec porro fortunati viri, si nihil ob aliud, at ob id ipsum quod ei necesse sit, Centaurorum et Chimæræ formam interpretari. atque etiam confluit turba Gorgonum et Pegasorum, aliarumque monstruosarum multitudo formarum. Itaque si quis ista non ita, ut narrantur, esse credat, sed ad convenientem sensum singula velit traducere, rustica quadam sapientia fretus, otio nimium indigebit. mihi vero ad hæc otium non est, ob eam, o amice, causam, quia nondum queo, secundum Delphicum præceptum, me ipsum cognoscere. ridiculum igitur puto, [230] cum mea ipse ignorem, aliena perscrutari velle. Quare, his dimissis, atque existimationi, quam de his paulo ante narrabam, fide adhibita, non ipse quidem, sed me ipsum considero, utrum ego sim bestia aliqua Typhone multiplicior ardentiorque et furiosior: sive placatius quoddam et simplicius animal, divinæ cujusdam mitisque sortis natura particeps. At, o amice, nonne hæc, ad quam inter loquendum pervenimus, ea erat arbor, ad quam nos ducebas? Phæ. Hæc certe ipsa. So. Per Junonem, præclara deductio. nam platanus ista patulis admodum ramis et procera est, et altitudo viticis illius, quem castum vocant, opacitasque pulchra nimium et amœna, ac præcipuum nunc habet florescendi tempus, ut omnis circum locus suavitate compleatur odoris. fons quoque nitidissimus sub platano fluit aquæ nimium frigidæ, ut ex tactu pedis conjectare licet: quem sculptæ hic puellæ cæteræque imagines Nymphis et Acheloo sacrum esse testantur. An non advertis præterea, quam jucunda et dulcis hic aura spiret? æstivum insuper quiddam et canorum cicadarum subresonat choro. Sed omnium ornatissimum est, herbam ipsam aspicere, ut in prato suaviter acclivi recumbentis caput sit molliter suscipere apta. Itaque tu perquam optime me quasi hospitem deduxisti, o amice Phædre. Phæ. O admirabilis vir, absurdissimus quidam videris: et profecto, quod ais, hospiti cuidam deducto, non incolæ, similis es: ita neque fines nostros transisse unquam, neque extra mœnia ipsa egressus appares. So. Ignosce mihi, optime Phædre. nam discendi cupidus sum. agri vero et arbores nihil docere me possunt, sed homines, qui in urbe versantur. Tu autem videris mihi exeundi incitamentum invenisse. ut enim famescentibus animalibus frondes aut fructus porrigentes, ea ducunt, ita tu mihi librum porrigens, per totam Atticam, et alio, quo velis, perdu-

Digitized by Google

ceres. Jam igitur, cum huc pervenerimus, recumbere mihi placet. tu autem, in qua potissimum figura videbitur commodissime posse legere, ea assumpta leges. Phæ. Audi igitur. Mearum quidem rerum status sic se habet, et id maxime nobis, ut audisti, conducturum puto. Arbitror autem, me non minus ob id abs te, si quid petiero, [231] consequi debere, quod amore tui captus minime sum. nam amatores, cum primum libidinem expleverunt, collati beneficii pœnitet: eos vero, qui amore irretiti non sunt, pœnitet nunquam. non enim coacti, sed sponte, ut optime de suis rebus consultarunt, pro rerum suarum facultate beneficia contulere. Præterea amatores mente quandoque revolvunt, quam negligenter res suas propter amorem administraverint, et quam suo damno contulerint beneficia, quosve labores subierint: ideoque dignam amatis gratiam retulisse existimant. Sed hi, qui amore decepti non sunt, neque rei domesticæ negligentiam, neque labores præteritos, neque propinquorum discordias se incurrisse amici causa conquerantur. Quamobrem tantis malis sublatis, nihil aliud restat, nisi ut prompti sint ad omnia, quæ grata illis fore existiment, peragenda. Aiunt plerique, amatores iccirco pluris facere oportere, quod maxime erga amatos caritate devincti sint, semperque parati, tum dictis, tum factis amantis obsequi, etiamsi ex hoc ceteros omnes offenderint. quorum sententiam veram non esse, hinc facile conjectamus, quod, translata ab aliis in alios benevolentia, posteriores amatos prioribus anteponunt: ac si recentiores jusserint, superiores hostiliter insequuntur. Atqui quanam ratione decet tale quid illi concedere, quis ea calamitate affectus est, quam nunquam expertus quisquam concesserit? Enimvero et ipsi insanire potius, quam sapere, confitentur, et nosse præterea insaniam suam, sed continere se minime posse. At vero qui sapiunt, quonam pacto eorum, qui sic affecti sunt, consilia voluntatesque probabunt? Præterea si ex amantibus optimum eligere velis, ex paucis tibi optio dabitur: sin autem ex aliis commodissimum tibi sodalem quæsiveris, ex multis sane licebit eligere. Major vero spes est, hominem amicitia tua dignum inter multos, quam inter paucos, repertum iri. Si igitur ex legum constitutione publicam vereris infamiam, meminisse oportet, amatores, qui ita se amandos censent, ut ipsi alios amant, [232] solere palam, quod non frustra invigilaverint, gloriari: eos vero, qui non amant, quoniam continere se possunt, solere quod optimum est, potius quam rumorem multitudinis quærere. Adde, quod vulgus, cum sentiat amatores amatos sequi, assidue iis omnibus obsequi, suspicatur, ne turpis eos cupiditas ceperit, aut forte jam capiat: non amantium vero familiaritatem improbare non audet. scit enim, necessarium esse, homines invicem, vel amicitiæ, vel commoditatis alicujus causa, sæpe versari. Proinde si te metus invaserit, putantem difficile fore, ut maneat amicitia, immo, simultate orta, accidere communem utrisque jacturam: te vero concedente ea, quæ multi facis, maxime lucrum iri: non injuria amatores valde timebis. multa enim illos offendunt, atque omnia in sui detrimentum accidere arbitrantur. quapropter amatos versari inter alios prohibent, metuentes, ne divites eos opibus superent, aut docti viri intelligentia præstent: atque omnino, si qui egregium aliquid in se habere videantur, ab iis amatos procul arcere conantur. ita, ut ab iis abstineant, persuadentes, amicis omnibus privant. Tu vero, si rerum tuarum ratione habita, melius, quam illi, deliberaveris, ab eis dissenties, atque abibis. Qui autem amore tui capti non sunt, sed propter virtutem quæ oportet efficiunt, aliorum tibi familiaritatem minime invidebunt: sed potius oderint eos, qui tibi hærere noluerint, arbitrantes, ab illis quidem te despici, a familiaribus vero juvari. Quamobrem multo major spes est, amicitias ex hoc commercio, quam inimicitias, provenire. Accedit ad hæc, quod amantium plerique prius corpus cupiunt, quam aut mores, aut alia quævis ad amatum

Digitized by Google

pertinentia, noverint. quo efficitur, ut dubium sit, an exstincta cupiditate in amicitia perseverent. [233] non amantibus autem, qui, cum prius etiam amici essent, non agebant oblectamenti gratia omnia, consentaneum est non adeo ardentem conflari benevolentiam, sed ipsorum officia monumenta futurorum accipi. Quin etiam melior evades, si mihi credideris, quam si amatori præbueris aures. nam amantes præter modum dicta et facta tua laudibus efferunt: partim quia verentur, ne te offendant, partim quia propter cupiditatis ardorem in judicando falluntur. talia enim quædam amor ex se parit: infortunatos quidem, ea etiam, quæ aliis molestiam nullam præbent, tristia putare compellit; fortunatos autem, et voti sui compotes, quæ lætitia digna non sunt, cogit tanquam jucunda laudare. Quapropter miserari eos magis oportet, quam diligere. Quod si mihi credideris, primo quidem non ad præsentem voluptatem, sed ad futuram utilitatem, familiariter utar, non amori mancipatus, sed mihi ipse imperans: neque ob minimas causas aliquando graves inimicitias suscitabo, immo vero ob maximas vix tandem commotus, involuntaria errata ignoscam, voluntaria emendare et devitare conabor. hæc sunt diu duraturæ amicitiæ argumenta. Si autem tibi in mentem venerit, non posse firmam, nisi ab amore, amicitiam nasci, animadvertere debes, quod hac ratione neque filios multi faceremus, neque parentes, neque fidos eos haberemus amicos, qui non ex amoris hujus ardore, sed aliis quibuslibet studiis, facti essent amici. Ad hæc, si egenis obsequendum est maxime, convenit omnino, non meliores homines, sed pauperrimos juvare: maximis enim liberati malis, gratias ingentes habuerunt. in propriis quoque et privatis sumptibus non convocandi amici erunt, sed esurientes et supplices. hi enim beneficium maximi facient, te sectabuntur, ad fores opperientur, applaudent, gratias ingentes agent, vota pro te fundent. Ceterum decet forsitan, non egenis maxime indulgere, sed his potius, qui referre gratiam possunt: neque amantibus solum, sed beneficio dignis: [234] neque his, qui forma tua delectantur, sed qui tibi etiam seni profuturi sint: nec illis, qui voti sui compotes facti, palam sese jactabunt, sed qui verecundi tacebunt: neque illis, qui breve ad tempus te colent, sed qui per omnem vitam similiter diligent: neque illis, qui exstincto cupiditatis ardore, inimicitiarum occasiones inquirent, sed qui forma deflorescente, virtutem suam constantiamque ostendent. Tu igitur, quæ dixi, memento, atque id cogita, quod amantes ab amicis increpantur, quasi turpe quiddam sit amor. at eos, qui non amant, nullus familiarium ob id vituperat, quod hoc pacto male sibi ipsi consulant. Forsitan me rogabis, numquid omnibus non amantibus obtemperare te moneam. ego autem puto, neque ipsum quidem amatorem jussurum esse, te erga omnes amantes hanc eandem mentem habere. neque enim accipienti, id pari gratia dignum; neque tibi, ceteros latere volenti, similiter facile. oportet autem, jacturam quidem ex hoc nullam, utilitatem vero ad utrosque aliquam provenire. Ego jam dicta sufficere arbitror: si quid autem tibi addendum videtur, interroga. Quid tibi videtur, o Socrates? nonne mirifice orationem hanc et in aliis rebus, et in verbis compositam esse? So. Mirum in modum, o amice, ita ut obstupuerim. atque ita, o Phædre, propter te affectus sum, dum te respicerem, quia mihi videbare in legenda oratione gestire. putans ergo, te talia magis quam me cognoscere, tibi obsecutus, una cum divino isto tuo capite ipse quoque perbacchatus sum. Phæ. Siccine tibi videtur jocandum? So. Ego tibi jocari videor? an non serio loqui? Phæ. Nullo modo, o Socrates. sed verum dic, per Jovem amicabilem, putas quenquam Græcorum hæc ipsa de re plura atque majora dicere posse? So. Quid vero? laudandum scriptorem eo solum censemus, quia ea dixerit, quæ oportuerit? ac non eo solum, quia dilucide, et

Digitized by Google

rotunde, et eleganter singula verba posuerit? si enim vis, tui gratia concedendum est. nam me quidem ob ignaviam meam et imperitiam latuit. [236] Eloquentiæ enim dicentis solum intendi: ad id vero nec Lysiam quidem ipsum sufficere se existimare putabam. Profecto mihi visus est, o Phædre, nisi tu aliud dicas, bis et ter eadem repetisse, quasi deesset illi copia eadem de re multa dicendi, vel quasi nulla sibi de hoc cura esset. ac mihi visus est sese ostentare, quod posset eandem rem aliter et aliter dicendo utroque modo luculenter dixisse. Phæ. Nihil ais, o Socrates. hoc enim maxime oratio habuit. nam quæ erant in re, de quibus commode dici posset, eorum nihil prætermissum est, ut præter illa, quæ ab hoc dicta sunt, nemo eadem de re plura aut probabiliora dicere possit. So. Id ego non jam amplius confiteri possum. prisci enim sapientesque viri et mulieres, qui de his dixerunt scripseruntque, redarguent me, si tui gratia id concessero. Phæ. Quinam isti? et ubi tu meliora audisti?, So. In præsentia quidem non satis memini: sed profecto alicubi quædam audivi, vel Sapphus pulchræ, vel sapientis Anacreontis, vel scriptorum aliorum. Unde vero hoc ipse conjecto? quia plenum, o beate, mihi sentio pectus aliorum et non deteriorum, quæ dici possunt. quod vero a me ipso nihil tale cognoverim, intelligo, meæ inscitiæ conscius. Restat igitur, me instar vasis hæc ex aliorum fontibus hausisse, sed iterum ob ruditatem meam, et quomodo, et a quibus perceperim, oblitum esse. Phæ. O generose, optime dixisti. a quibus enim acceperis, et quomodo, neque etiam si jussero, dicas. At illud dicas, quod profiteris, rursus habere te plura et præstantiora his, quæ a Lysia scripta sunt. Quod si feceris, ab istis abstinens, auream tibi promitto in Delphis statuam æquilibrem, quod novem principes solent, non meam solum, sed tuam etiam, ponere. So. Amicissimus es, et revera aureus, o Phædre, si me dicere putas Lysiam omnino aberravisse, ac posse præter hæc omnia meliora alia dici. hoc enim ne deterrimo quidem scriptori arbitror evenire. Principio, quantum attinet ad id, de quo sermo habetur, putasne aliquem, probare volentem, non amanti magis, quam amanti, gratificandum esse, nisi probaverit, non amantem prudentem esse, amantem vero insanum, et illum quidem laudaverit, [236] hunc vituperaverit, quæ sane necessaria sunt, alia deinde quæ dicat habiturum? Sed existimo, hæc talia dimittenda scriptoribus et concedenda sunt; nec inventionem horum, sed dispositionem, esse laudandam. at illorum, quæ non sunt necessaria, et difficulter reperiuntur, non dispositionem solum, sed inventionem etiam, laudandam puto. Phæ. Concedo, quod ais. mediocriter enim dixisse videris. faciam igitur et hoc ipse modo. amantem enim, quam non amantem, magis ægrotare, præsupponere tibi permittam. in aliis autem si plura et præstantiora, quam Lysias, dixeris, juxta Cypselidas in Olympia aureus stabis. So. Serio id accipis, o Phædre, quod virum tibi dilectissimum reprehendi. ego vero tecum jocabar: ac me putas revera hoc aggressurum esse, ut aliud quiddam præter illius sapientiam dicam ornatius. Phæ. Hac de re, o amice, in easdem ansas pervenisti. dicendum tibi est omnino, utcunque poteris. Cave igitur me molestum illud comœdorum aggressi eadem nobis vicissim rependere compellamur, neve illud me dicere cogas: Si ego, o Socrates, Socratem ignoro, mei quoque ipsius oblitus sum: et Cupiebat quidem, sed simulabat gravari. Demum ita cogita, non esse nos prius abituros hinc, quam tu dixeris, quæ habere aiebas in pectore meliora. Sumus enim soli, et quidem in solitudine. ego autem junior, et robustior. Ex his omnibus intellige, quid dicam: nec velis coactus potius, quam sponte, loqui. So. At enim, o beate Phædre, ridiculus ero, si ipse rudis cum optimo illo scriptore contendero, ac de rebus eisdem ex tempore disputavero. Phæ. Scis, ut se res habet? missa istuc facias mecum. ferme enim inveni, per quæ te compellam. So.

Digitized by Google

Ne dicas, obsecro. Phæ. Ne dicam? immo vero jam dico. Ad jusjurandum me vertam. Juro enim tibi per aliquem Deum, vel, si vis, per hanc platanum, nisi tu dicas in ejus conspectu, me nunquam posthac cujusquam orationem tibi ostensurum esse, vel nuntiaturum. So. Papæ, o sceleste, quam pulchre reperisti, qua ratione virum orationis avidum ad quidvis agendum compelleres! Phæ. Quid ergo, cum talis sis, tergiversaris? So. Minime amplius, quandoquidem tu ita jurasti. qui enim quirem ab hac mensa abesse? [237] Phæ. Dic igitur. So. Scis, quid agam? Phæ. Qua de re dicis? So. Obvolutus dicam, ut celerius transcurram sermonem, nec, ad te respiciens, ob pudorem impediar. Phæ. Dicas modo: alia, ut vis, ita facias. So. Sic agite, o Musæ Ligiæ i. Canoræ, sive propter speciem cantus, sive propter musicum genus illud Ligiam et canorum hoc habetis cognomen meum adjuvate sermonem, quem me dicere optimus iste compellit: ut ejus sodalis, qui primo huic sapiens videbatur, nunc magis etiam videatur. Erat puer quidam, immo vero adolescentulus, egregia indole præditus: huic autem erant amatores complurimi: quorum unus, vir sane versutus, cum nihilo minus quam ceteri eum amaret, puero, se non amare, suasit. quandoque vero cum obsequium sibi ab eo peteret, probavit, non amanti potius, quam amanti, gratificandum, atque ita inquit: In omnibus, o puer, unicum principium iis, qui bene consulere volunt, est intelligere, quid illud sit, de quo consultatur, vel omnino aberrare necesse. plerosque vero latet, quod nesciant rei substantiam. tanquam igitur scientes, in disceptationis principio non declarant: procedentes vero, quod par est, consequuntur, ut nec sibi, nec aliis consentanea loquantur. Tibi igitur et mihi ne accidat, quod in aliis damnamus, postquam nobis discrepatio est, utrum amanti potius, vel non amanti in amicitiam sit eundum: quid amor ipse sit, et quam vim habeat, definitione ex consensu posita cognoscamus; atque ad id respicientes referentesque consideremus, emolumentumne, an detrimentum afferat. Quod igitur cupiditas quædam sit amor, omnibus manifestum: quod vero etiam qui non amant, pulchra seu bona cupiunt, non ignoramus. Ut igitur quo amans a non amante discernitur, intelligamus, scire oportet, duas in unoquoque nostrum ideas esse dominantes atque ducentes, quas sequimur, quocunque ducant. Altera quidem est innata nobis voluptatum cupiditas: altera vero, acquisita opinio, optimi affectatrix. Hæ autem in nobis quandoque consentiunt, quandoque in seditione et discordia sunt: et modo hanc, modo altera pervincit. Quando igitur opinio ad id, quod optimum est, ratione ducit ac superat, hæc ipsa vivendi potestas temperantia nominatur. [238] Quando vero cupiditas absque ratione ad voluptates trahit, nobisque imperat, imperium istud libido vocatur. libido autem cum multiformis sit multarumque partium, multas utique appellationes habet: et harum formarum quæ maxime in aliquo exuberat, sua illum appellatione nominatum reddit, nec ullum suis decorum aut dignum tribuit cognomentum. circa cibos enim superatrix rationis, et aliarum cupiditatum cupiditas, ingluvies appellatur: et eum, qui hanc habet, hac ipsa appellatione nuncupatum reddit. Rursus quæ circa ebrietates tyrannidem exercet, ac eum, quem possidet, hac ducit, patet quod habebit cognomen. atque alia horum germana, et germanarum cupiditatum nomina, ubi aliqua maxime dominatur, quomodo ponenda sint, manifestum est. Cujus autem gratia superiora omnia diximus, fere jam patet: sive tamen dicatur, magis, quam si prætermissum sit, patebit. Nam cupiditas absque ratione, quæ superat opinionem ad recta tendentem, rapitque ad voluptatem formæ, et a cognatis cupiditatibus circa corporis formam vehementer corroborata, pervincit et superat, a romis, id est, robore et vehementia, eros, id est, amor, appellata est. Num tibi, o amice Phædre, quemadmodum mihi, videor

Digitized by Google

divinum quiddam passus fuisse? Phæ. Profecto quidem, o Socratès, præter solitum profluens quædam amplitudo te cepit. So. Silentio igitur me audi. nam revera divinus hic videtur locus. quare si sæpius Nymphis procedente sermone corripior, ne mireris. ea certe, quæ modo canebam, a dithyrambis non multum distant. Phæ. Verissima narras. So. Horum quidem tu causa es. sed audi cetera, ne abeat id, quod supervenit. Hæc vero Deo cure erunt. nos disputando ad puerum revertamur. Age igitur, o optime, quid sit id, de quo consulitur, dictum et definitum est. respicientes ergo ad hoc, quod reliquum est, videamus, quid emolumenti, vel damni ab amante, et non amante, ei, qui obsequitur, sit merito proventarum. Hominem libidini mancipatum, et voluptatibus servientem, necesse est amatum suum pro viribus sibi quam jucundissimum reddere. Ægrotanti vero quidquid non repugnat, jucundum: quod vero melius, aut æquale, molestum. Quare neque præstantiorem, neque parem amator amatum sponte unquam patietur esse: inferiorem autem indigentioremque, [239] quoad poterit, semper efficiet. Deterior ignorans sapiente, forti timidus, ineptus ad dicendum rhetorico, hebes acuto. Hæc et plura insuper animi mala cum natura insunt vel fiunt amato, gaudet amator, atque alia insuper inferre conatur: alioquin voluptate privatur. Invideat ergo necesse est amator amato, atque eum ab omni consuetudine studioque, unde vir excellens evadere possit, amovens, vehementer officiat. maxime tamen ex privatione illius obest, quod prudentissimum efficit. Prudentissimum vero divina facit philosophia, a qua amator procul abducere amatum compellitur, metuens, ne ab eo, si fiat sapientior, contemnatur. denique omnia efficit, quibus ille omnium ignarus evadat, admireturque amantem. qualis cum fuerit, amatori quidem jucundissimus erit, sibi autem ipsi perniciosissimus. Atque ita in his, quæ ad intelligentiam pertinent, noxia est cum amatore consuetudo. Posthac videndum, quo pacto is, qui bono dulce anteponere cogitur, corpus illius, quem amat, si commissum sibi fuerit, sit curaturus. Optabit profecto corpus non solidum, sed molle et delicatum, non sub sole, sed umbra nutritum: quod procul a periculis et laboribus siccisque sudoribus, muliebri et delicato victu fuerit educatum, coloribus alienis extraneisque ornamentis ex propriorum defectu ornatum, ceterisque horum similibus consuetum. quæ omnia cum prolixius recensere indignum sit, summatim in præsentia concludemus, ut reliqua prosequamur. Talem sane corporis habitum in præliis et quavis alia ingenti necessitate hostes quidem audacter invadunt, amici autem ipsique amatores huic maxime metuunt. Sed hoc jam, tanquam manifestum, dimittendum est: deinceps vero dicendum, quid nobis emolumenti, vel damni in rebus externis, amantis familiaritas et custodia præbeat. Atqui hoc omnibus, amatori præsertim, est manifestum, quod amicissima carissimaque et divinissima possessione orbum fieri amatum desiderat, parentibus enim, necessariis, amicis privari eum exoptat, existimans, eos dulcissimæ ipsius cum amato consuetudini impedimento fore. [240] Puerum præterea, vel auri, vel cujusvis possessionis, ditissimum, neque facile capi posse putat; neque, si captus fuerit, detineri. quamobrem necesse est amatorem, tanquam invidum, amati prosperitate dolere, adversitate gaudere. Quin etiam sine uxore, sine filiis, sine domo diu exoptat vivere adolescentem, capiens plurimum tempus propria dulcedine perfrui. Sunt alia quoque mala: sed horum plurimis in ipso statim principio dæmon aliquis voluptatem immiscuit: veluti adulatori, gravissimæ bestiæ, maximæque calamitati, inseruit natura oblectamentum aliquod non inconcinnum. vituperabit quoque scortum aliquis, utpote noxium, et alia hujusmodi animalia atque studia, quæ nos ad præsens delectare consueverunt. Amans vero, præterquam

Digitized by Google

quod noxius est, etiam sua consuetudine omnium molestissimus. pares enim cum paribus veteri proverbio jucundissime congregantur. nam æqualitas temporis, cum ad æquales voluptates propter similitudinem trahat, amicitiam parit. verumtamen his etiam nimiam satietatem affert. Proinde necessitas omnibus in rebus cuique gravis est: quæ quidem simul cum dissimilitudine in amante ad amatum est maxime. juniori enim senior adhærens, neque die ulla, neque nocte ab eo sponte recedit, sed necessitate et furore rapitur, qui illum quidem voluptatum illecebris trahit videntem, audientem, tangentem, et omnino amatum sensu quolibet attingentem, ita ut ingenti cum voluptate illi assidue obsequatur. Amatum vero qua voluptate, quove solatio æquale tempus adeo detinebit, ut extrema molestia non vexetur? cum faciem senilem deformemque aspiciat, ceteraque similiter, quæ non factu solum, verum etiam auditu, molesta sunt, necessitate quadam ad ipsum captandum semper proposita, dum sedulis passim insidiis observatur, auditque importunas immoderatasque tum laudes, tum vituperationes, quibus amans ipsum prosequitur: quæ in sobrietate quidem intolerabiles sunt, in ebrietate vero non intolerabiles solum, verum etiam ob nimiam aperte loquendi licentiam turpissimæ. Præterea, dum amat, perniciosus et importunus est: cum vero amare desierit, in posterum infidus adversus illum, quem multis juramentis, precibus, atque promissis vix tandem induxerat, [241] ut præmiorum spe infestam ejus consuetudinem sustineret. Demum, cum rependere deceat, principem alium in se ac præsidem accipit, mentem temperantiamque pro amore atque insania: factusque jam alius, amatum latet. tunc amatus, eorum, quæ dicta quondam et facta sunt, memor, beneficiorum gratiam exigit, putans cum eodem verba se facere; sed alter ob verecundiam neque audet mutatum esse se confiteri, neque invenit, qua ratione prioris illius principatus insani juramenta et promissa persolvat, mentis jam et temperantiæ compos effectus, ne, si eadem, quæ et antea, fecerit, similis idemque, ac fuerat ante, rursus evadat. Hinc efficitur, ut qui ante amaverat, jam aufugiat, mutatusque abeat, quasi testa in adversum cadente: alter vero persequi cogatur, graviter ferens, ad imprecationesque conversus. qui sane ab initio deceptus est, cum ignoraverit, non decuisse, amanti necessario amenti gratificari, immo homini multo magis ab amore libero mentemque habenti: alioquin necessarium fore, se ipsum committere homini infido, moroso, invido, molesto, pernicioso ad rerum possessionem, pernicioso ad corporis habitum, longe vero ad animi disciplinam perniciosissimo, qua quidem nihil apud Deos et homines revera aut est, aut erit unquam venerabilius. Hæc, o puer, consideranda sunt, atque illud insuper animadvertendum, amatoris amicitiam non benevolentia ulla, sed aviditate quadam expletionis, quasi fame, constare. "Ut lupus ipse agnum, puerum sic ardet amator." Hoc illud est, quod prædixeram, o Phædre: nec dicentem me ulterius audies, sed jam finem habeat sermo. Quanquam putabam, dimidium disputationis transactum esse, ac restare tantundem de non amante dicendum, quod illi potius indulgere deceat, ad idque quot illi bona insunt, enumeranda. PHÆ. Cur ergo desistis, o Socrates? SO. Animadvertisti, Phædre, carmina me jam, non dithyrambos amplius canere, quamvis in vituperando mea versetur oratio? quod si laudare alterum pergam, quid facturum me putas? An non sentis, a Nymphis, tum opera tua, tum divina providentia, me affiari? Quare summatim dico, tot bona inesse alteri, quot mala in altero numeravimus. Sed quid multis opus est verbis? de utrisque enim sufficienter est dictum: atque ita, quod decet, fabula patietur. [242] Ego jam transmisso flumine abeo, priusquam ad majus aliquid abs te compellar. PHÆ. Nondum, o Socrates, priusquam æstus abscedat. an non vides, ut jam plane meridies sit, in qua hora intentus est calor? sed interim

Digitized by Google

morantes, ac de his, quæ diximus, colloquentes, cum primum refrixerit, tunc abeamus. So. Divinus es circa sermones, o Phædre, ac vere mirabilis. arbitror equidem, orationum, quæ tuis temporibus habitæ sunt, neminem pluribus auctorem causamque fuisse, quam te, sive ultro dicendo, sive quoquo modo alios compellendo. Simmiam Thebanum excipio: alios vero longe antecellis. et nunc videris causa fuisse, ut aliqua a me oratio habeatur. Phæ. Non tu bellum sane denuntias. sed quonam modo, et quæ oratio? So. Cum flumen transiturus essem, dæmonium, et solitum mihi fieri signum, factum est: quod sane quoties accidit, quod facturus eram, agere prohibet. hinc vocem audire visus sum, quæ abire me vetat, antequam expiaverim, quasi aliquid deliquerim erga Deum. Sum igitur vates quidem, at nequaquam bonus, sed quemadmodum qui male sciunt literas, quantum ad me ipsum sufficiens. clare itaque jam intelligo delictum meum. siquidem, o amice, præsagii quiddam etiam est in animo. me enim commovit et antea, dum loquebar. unde quodammodo verebar, ne, cum forte secundum Ibycum apud Deos deliquerim, apud homines gloriam consequar. Nunc sentio, in quo deliquerim. Phæ. Quid est? So. Gravem, o Phædre, gravem, inquam, sermonem et tu attulisti, et me dicere compulisti. Phæ. Quonam pacto? So. Stultum, et quodammodo impium: quo quis gravior esse potest? Phæ. Nullus, si tu vera narras. So. Quid enim? Amorem nonne Veneris filium, et Deum aliquem putas? Phæ. Dicitur quidem. So. Non tamen a Lysia, neque a sermone tuo, qui per os meum abs te, quasi quadam incantatione demulctum, prolatus est. Si autem est, ut certe est, Deus aut divinum quiddam Amor, malum utique non esset. at sermones de illo, quasi malum esset, habiti sunt. in hoc ergo adversus Amorem deliquimus. atqui valde ineptæ disputationes hæ nostræ videntur, quamvis urbanæ: quæ cum nihil sincerum verumque contineant, gloriantur tamen, tanquam plurimum valeant, si homunculis nonnullis deceptis approbentur. mihi igitur, o amice, expiari necesse est. [243] Est autem his, qui confabulando peccant, expiatio quædam vetus, quam Homerus non novit, sed Stesichorus. oculis enim privatus ob Helenæ vituperationem, non ignoravit cæcitatis causam, ut Homerus, sed utpote musicus eam agnovit. itaque statim illa fecit carmina, "Non verus sermo ille fuit: nec navibus altis Existi fugiens, nec adisti Pergama Trojæ." atque ita edito poëmate, quam palinodiam, id est, cantum contrarium, vocant, confestim visum recuperavit amissum. Ego autem in hoc ero utrisque sapientior, quod, antequam accidat mihi quidquam mali ob Amoris vituperationem, conabor illi palinodiam reddere, et quidem aperto capite, non, ut supra, ob verecundiam velato. Phæ. His vero, o Socrates, nihil mihi gratius efficere posses. So. Etenim meministi, o Phædre, quam impudenter ex libro lectum est, et a me ipso quoque de amatore dictum. Quod si generosus vir aliquis et modestus, qui similem sibi alium amet aut amaverit, nos audiat dicentes, quod amantes ob minimas causas sæpe maximas inimicitias suscitant, et invidi amatis perniciosique sunt, homines audire se arbitrabitur in navibus educatos, qui liberalem amorem aliquem nunquam inspexerint, neque ullo modo nobis concedet, quæ in Amoris vituperationem adducimus. Phæ. Forte per Jovem, o Socrates. So. Hunc ego hominem veritus, et Amorem ipsum metuens, cupio veluti potabili oratione salsum illum auribusque nostris noxium sermonem diluere. Consulo quin etiam Lysiæ, ut quam primum scribat, amanti potius, quam non amanti, ex similibus indulgendum. Phæ. Ita futurum certo scito. nam postquam tu amatorem laudaveris, necesse erit, Lysiam, ut eadem scribat, a me compelli. So. Credo equidem, quamdiu, qui nunc es, fueris. Phæ. Dic age forti animo. So. Eja: ubi mihi puer ille adest, ad quem superiorem sermonem

Digitized by Google

habui, ut hunc etiam audiat? ne, si minus commode audierit, temere non amanti obtemperet. Phæ. Is tibi proximus semper adhæret, quoad cupis. [244] So. Sic ergo, o egregie puer, cogita, priorem sermonem Phædri Pythocle geniti Myrrhinusii fuisse: sequentem vero Stesichori Euphemi filii, viri amabilis, fore. hujus hoc erit exordium: Non verus sermo ille est, qui præsente amatore non amanti magis jubet gratificari; quia amans furit, non amans vero sanus est. si enim simpliciter verum esset, furorem esse malum, recte a nobis dictum fuisset: nunc autem maxima bonorum nobis fiunt per furorem divino quodam munere concessum. nam et quæ in Delphis futura prædicit vates, et quæ in Dodona sacerdotes, furentes quidem multa ac magna commoda privatim et publice Græcis hominibus attulerunt: sanæ vero dum sunt, exigua, aut nulla. Quod si referamus Sibyllam, et alios, quicunque divino usi sunt vaticinio, quam multa prædicentes in futurum profuerint, prolixum nimis extenderemus sermonem, et rem manifestam omnibus proferremus. Illud tamen dignum est testificari, quod veteres, qui nomina rebus imposuerunt, non turpe quiddam, neque ignominiosum putaverunt furorem. non enim præclarissimæ arti, qua futurum discernitur, hoc nomen annectentes, eam manicen, id est, furorem nominassent; sed tanquam bonum quiddam sit furor, quando divina sorte provenit, honestæ arti nomen hujusmodi indiderunt. at nunc juniores, isti interjecta T litera, imperite nimium manticen dixerunt. Sane investigationes futuri sanorum hominum per aves et alia ostenta, utpote a conjectura humanæ intelligentiæ procedentes, mentem historiamque auguralem cognominarunt. quam deinde posteriores, o parvum in magnum vertentes, honestiori vocabulo exornant. Quanto igitur perfectius præstantiusque vaticinium augurali conjectione, et nomen nomine, opusque opere, tanto testificantur antiqui furorem ex Deo profectum, quam humanam prudentiam, præclarius esse. Atqui adversus morbos et labores maximos, ob antiqua delicta quandoque divina indignatione mortalibus imminentes, gentibus quibusdam alicunde furor adveniens, ac prædicens, quibus opus erat, remedia adinvenit, confugiens ad vota cultusque Deorum: unde expiationes propitiationesque consecutus, incolumem reddidit possidentem et in præsens tempus, et in futurum, absolutionem præsentium malorum recte furenti occupatoque adeptus. [245] Tertia vero a Musis occupatio et furor, suscipiens teneram intactamque animam, suscitat illam atque afflat: unde per cantus aliamque poësin infinita antiquorum gesta exornans, posteros instruit. qui autem absque furore Musarum poëticas ad fores accedit, confidens, arte quadam poëtam se bonum evasurum, inanis ipse quidem, atque ejus poësis, præ illa, quæ ex furore procedit: qua quidem hæc, quæ ex prudentia fit, evanescit. Tot equidem, ac etiam plura, divini furoris præclara opera referre possum. Quare hoc ipsum ne formidemus: neve ulla nos ratio absterreat, ostendens, prudentem et sanum potius, quam concitatum, amicum esse deligendum. at ille insuper ostendat, si potest, ac victoriam reportet, non pro utilitate amantis et amati amorem a Diis esse concessum. Nobis vero nunc ostendendum est contra, pro felicitate maxima hujusmodi furorem a Diis hominibus esse datum. demonstratio autem erit contentiosis quidem incredibilis, sapientibus vero contra. Oportet autem nos prius de natura animæ divinæ et humanæ, affectus et opera intuentes, vera novisse. Hoc vero demonstrationis hujus principium sit: Anima omnis immortalis. quod enim semper movetur, immortale est. quod vero aliud movet ab alioque movetur, cum terminum habeat motus, terminum habet et vitæ. Solum ergo quod se ipsum movet, quia nunquam se deserit, nunquam cessat moveri: immo vero et aliis, quæcunque moventur, id fons et principium est movendi. Principium autem sine ortu est. ex principio enim necesse est, quidquid generatur, oriri: ipsum autem ex nullo. nam si principium oriretur ex

Digitized by Google

aliquo, ex principio utique non oriretur. Cum vero sit absque ortu, et absque interitu sit necesse est. nam si principium interiret, neque ipsum ex alio, neque ex ipso aliud nasceretur: siquidem ex principio omnia oriantur oportet. Sic ergo principium motus est, quod seipsum movet. hoc autem neque mori neque nasci potest. alioquin omne cœlum, omnisque generatio concidat desinatque necesse est, neque rursus unquam constare possit, unde hæc motum nacta oriantur. Cum igitur appareat, immortale esse, quod se ipsum movet, animæ substantiam et rationem hanc ipsam qui dixerit, non erubescet. omne enim corpus, cui motus extrinsecus incidit, inanime est: cui vero intus ex se ipso id inest, animatum, tanquam hæc animæ natura sit. quod si ita est, [246] ut non sit aliud quidquam, quod se ipsum moveat, præter animam, necessario ingenita et immortalis est anima. De immortalitate animæ satis est dictum. De idea vero ipsius in hunc modum est dicendum. Quale id omnino sit, divinæ penitus prolixæque narrationis foret: similitudinem vero ejus quandam describere, humanæ et brevioris. hoc igitur modo dicamus. Similis esto cognatæ potentiæ subalati currus et aurigæ. Deorum equi et aurigæ omnes boni sunt, atque ex bonis: aliorum vero, permixti. Principio quidem nostri princeps bigas habenis moderatur: deinde equorum alter bonus et pulcher, et ex talibus; alter contrarius, et ex contrariis. quo fit, ut dura et difficilis necessario sit aurigatio nostra. Qua vero ratione mortale et immortale animal appellatum est, consandum est dicere. Omnis anima totius inanimati curam habet, totumque percurrit cœlum, alias videlicet alias sortita species. Perfecta quidem dum est et alata, sublimis incedit, ac totum gubernat mundum: cui vero alæ defluxerint, fertur, quoad solidum aliquid apprehenderit: ubi habitaculum sortita, corpus terrenum suscipit, sese movere apparens propter illius potentiam: animalque totum vocatur, anima simul corpusque compactum, et mortale animal cognominatur. Immortale autem ex nulla ratione discursu percepta, sed quæ fingitur: quippe cum neque viderimus, neque satis intellexerimus Deum, immortale quoddam animal, habens quidem animam, habens etiam corpus, naturaliter omne tempus conjuncta. Sed hæc jam, uti Deo placet, ita se habeant et dicantur. Per quam vero causam alæ abjiciantur, decidantque ab anima, nunc dicamus. est autem talis quædam. Naturalis alarum vis est, grave in sublime attollere, ubi Deorum inhabitat genus. Omnium vero, quæ sunt circa corpus, maxime particeps divini est animus. Divinum autem pulchrum, sapiens, bonum, et quidquid tale dici potest. His utique alitur maxime augeturque ipsa alatio animi: turpi autem, et malo, contrariisque hujusmodi deficit atque interit. Magnus utique dux in cœlo Juppiter, citans alatum currum, primus incedit, exornans cuncta, provideque disponens. Hunc sequitur Deorum Dæmonumque exercitus, per undecim partes ordinatus. Permanet autem Vesta in Deorum æde sola. [247] aliorum vero Deorum, quicunque in duodecim numero censentur, ducunt per ordinem, quilibet ut quisque est ordinatus. Permulta igitur beataque spectacula discursusque intra cœlum exsistunt, quibus Deorum genus beatorum intendit, suum quisque officium peragens. sequitur autem semper volens et potens. livor enim a divino choro procul abest. Cum vero ad convivium ac dapes vadunt sublimes, in cœlestem circumferentiam proficiscuntur jam ascendentes. Deorum quidem vehicula, apta habenis, æqualiterque librata, facile gradiuntur: alia vero vix. gravatur enim pravitatis particeps equus, ad terram vergens atque trahens, cuicunque aurigarum equus non bonus nutritus fuerit: ubi jam labor et certamen extremum animæ proponitur. quæ enim immortales vocantur, cum ad summum pervenerint, extra progressæ in cœli dorso consistunt. ibi constitutas circumferentia ipsa circumfert, atque illæ intuentur, quæ sunt

Digitized by Google

extra cœlum. locum vero supercœlestem neque quisquam nostrorum audavit adhuc poëtarum, neque unquam pro dignitate laudabit. habet se vero in hunc modum. audendum est enim verum dicere, præsertim de veritate loquenti. Sine colore, sine figura, sine tactu, essentia vere exsistens, animæ gubernatore solo intellectu contemplante utitur, circa quam veræ scientiæ genus hunc habet locum. Utpote igitur Dei cogitatio intellectu et scientia immaculata se vertens, cogitatio quoque omnis animæ, quæcunque convenientem sibi conditionem susceptura est, intuita per tempus id quod est, contenta veritatis contemplatione, nutritur et gaudet, donec circulo in idem circumferentia referat. In hoc autem circuitu conspicit ipsam justitiam, conspicit temperantiam, conspicit scientiam: non qua adsit generatio, nec qua alia alicubi sit in alio, quales videlicet sunt eorum, quæ nos entia nunc appellamus; sed illam, quæ in eo, quod est ens vere, scientia est: et alia eodem modo, quæ vere sunt, speculata, atque his enutrita, subiens rursus intra cœlum, domum revertitur. Cum autem redierit, auriga, ad præsepe sistens equos, objicit illis ambrosiam, et post ipsam nectar potandum. Atque hæc Deorum est vita. Ceterarum vero animarum alia, [248] optime Deum secuta, similisque effecta, extulit in supercœlestem locum aurigæ caput, et cum ipsa circumferentia simul delata est, sed perturbata ab equis, et vix ea, quæ vere sunt, intuita. Alia vero modo caput extulit, modo submisit: at violantibus equis, partim vidit quidem, partim vero non vidit. Aliæ autem animæ, affectantes quidem omnes superiorem locum, sequuntur: cum vero nequeant, submersæ circumferuntur, calcantes sese invicem atque incumbentes, alia aliam præire contendens. Tumultus igitur, et certamen, et sudor fit extremus: ubi quidem aurigarum vitio multæ claudicant, multæ multas pennas confringunt, omnes vero, magno implicatæ labore, expertes ejus, quod vere est, intuendi, discedunt: post discessum vero alimento utuntur opinabili. cujus quidem gratia multus inest conatus, veritatis campus ubinam sit, intueri. nam ex hujusmodi prato optima vis animæ convenientem accipit alimoniam, et alarum natura, qua anima elevatur, hoc alitur. Regulaque Adrastiæ Deæ, id est, inevitabilis numinis, hæc est, ut, quæcunque anima Deum comitata aliquid verorum inspexerit, ea usque ad circuitum alium sit indemnis: et si semper hoc facere queat, sit semper illæsa. si vero impotens assequendi non inspexerit, et casu aliquo usa, repletaque oblivione et pravitate gravetur, gravata autem pennas confregerit, in terramque ceciderit: tunc prohibet lex hanc in prima generatione in aliquam brutalem ire naturam; sed jubet eam, quæ plurima viderit, in genituram viri futuri philosophi, aut pulchritudinis cupidi, aut musici, atque amatorii; eam vero, quæ secundo loco, in regem legitimum, aut bellicosum virum et imperatorium descendere: tertio, in gubernatorem reipublicæ, aut rei familiaris dispensatorem, vel quæstuarium: quarto, in laboriosum gymnasticum, aut circa medelam curamque corporis versaturum: quinto, in eos, qui vates futuri sunt, et circa mysteria quædam: sexto, in poëtam, vel alium quemvis eorum, qui apte in imitatione versantur: septimo, in artificem vel agricolam: octavo, in sophistam et popularem: nono, in tyrannicum. In his autem omnibus quicunque juste vitam egerit, sortem postea nanciscitur meliorem: qui vero injuste, deteriorem. In idem enim, unde profecta est cujusque anima, annis decem millibus non revertitur. nam alas ante hoc spatium non recuperat: præter illius animam, qui philosophatus est sine dolo, [249] vel unà cum sapientiæ studio pulchritudinem amavit. Hæ quidem tertio ambitu mille annorum, si ter hanc ipsam deinceps elegerint vitam, sic recuperatis alis, post ter millesimum annum evolant abeuntes. Aliæ vero animæ, primæ vitæ finem consecutæ, judicantur. judicatæ autem, aliæ sub terra in judicii locum euntes, meritas illic pœnas susti-

Digitized by Google

nent: aliæ in cœli quendam locum per judicium elevatæ, ita degunt, ut dignum est ea vita, quam in hominis figura vixerunt. Millesimo anno ambæ redeuntes, sortem et electionem secundæ vitæ suscipiunt, et deligit unaquæque eam vitam, quam velit. Hic et in bestiæ vitam humana anima transit, et ex bestia rursus in hominem, si modo ea anima quandoque prius fuerit hominis. Nam quæ nunquam veritatem inspexerit, in hanc figuram venire non poterit. oportet vero hominem intelligere secundum speciem, ex multis procedentem sensibus in unum ratiocinatione conceptum. Hoc autem est recordatio illorum, quæ olim vidit anima nostra cum Deo profecta, et illa despiciens, quæ nunc esse dicimus, et ad id, quod vere est, sursum reflexa. quapropter sola philosophi cogitatio merito recuperat alas. nam illis semper, quantum fieri potest, memoria inhæret, quibus Deus inhærens divinus est. talibus autem commentationibus qui recte utitur, perfectisque mysteriis semper imbuitur, perfectus revera solus evadit. ab humanis autem studiis segregatus, divinoque inhærens, carpitur a multitudine, quasi extra se positus: sed ipse Deo plenus multitudinem latet. Tendit igitur huc totus sermo, qui est circa quartum furorem, quo quando quis, visa hic pulchritudine aliqua, vere illius reminiscens, alas recipit, receptisque evolare nititur: cum vero id facere nequeat, tanquam avis superna suspiciens, et inferiora contemnens, crimen reportat, quasi furore correptus. Hæc itaque divina alienatio omnium alienationum optima, atque ex optimis fit, et habenti, et participanti: et qui hoc tenetur furore, cum amet pulchra, amator vocatur. Ut enim dictum est, omnis anima hominis ea, quæ vere sunt, intuita est, alioquin in hoc animal non venisset. [250] recordari vero ex his, quæ hic sunt, illorum non facile est omnibus, nec quot ex illis breve tempus illuc inspexerunt, neque quot huc descendentes infortunatæ fuerunt, ita ut quibusdam consuetudinibus depravatæ, sacrorum, quæ aliquando inspexerant, oblivionem susceperint. Quamobrem paucæ restant, quibus satis memoriæ supersit. Hæ vero, quando hic similitudinem aliquam eorum, quæ illic inspexerant, intuentur, obstupescunt, et quasi extra se ponuntur: quæ tamen sit hæc affectio, ignorant, quia non satis omnino persentiunt. Justitiæ quidem, et temperantiæ, et aliorum, quot animis venerabilia sunt, splendorem nullum in his imaginibus cernimus: sed per obscura quædam instrumenta vix et perpauci in eorum imagines accedentes, ejus, quod assimilatur, genus aspiciunt. At pulchritudinem tunc licebat videre clarissimam, quando cum beato illo choro felicem visionem contemplationemque secuti, cum Jove quidem nos, alii vero cum alio quodam Deorum viderunt, et initiati sunt sacris, quæ fas est dicere sacrorum omnium beatissima: quæ operamur integri quidem nos, et malorum expertes, quot in posterum manebant, integra quoque et simplicia, immobiliaque, et beata spectacula initiati inspectantes pura in luce puri et immaculati, solutique ab hoc, quod nunc circumferentes, corpus vocamus, in modum ostreæ huic alligati. Hæc autem memoriæ sint attributa, propter quam desiderio illorum, quæ quondam vidimus, nunc sermonem extendimus. Pulchritudo autem, quemadmodum diximus, et cum illis progrediens effulgebat tunc, et huc profecti percepimus eam per sensum nostrorum perspicacissimum clarissime refulgentem. visus enim nobis peracutissimus est sensuum omnium, qui per corpus fiunt. quo sapientia non cernitur. ardentes enim excitaret amores, si quid tale ipsius simulacrum manifestum oculis proveniret. Eadem est de ceteris, quæ sunt amabilia, ratio. At vero pulchritudo sola hanc habuit sortem, ut maxime omnium et perspicua sit, et amabilis. Qui ergo non est mysteriis nuper initiatus, aut potius est depravatus, haud celeriter hinc illuc ad ipsam pulchritudinem excitatur, similitudinem hic quandam, quæ ab illa denominatur, aspiciens. quapropter non veneratur, dum aspicit, sed quadrupedis ritu deditus voluptati, aggredi et concumbere nititur: petulanterque congrediens,

Digitized by Google

[251] nec timet, nec erubescit voluptatem præter naturam sectari. Sed qui nuper expiatus est sacris, quive aliquando est plurima contemplatus, quando vultum divina forma decorum videt, apte ipsam pulchritudinem imitatam, vel aliquam corporis speciem, primo quidem horret, metuesque priscorum aliquis in eum revolvitur: deinde inspiciens, tanquam Deum colit: ac, nisi vereretur vehementis insaniæ crimen, sacra amatis non aliter, quam Dei statuæ, faceret. intuentem vero ipsum velut ex horrore, permutatio, sudor, et ardor insolitus occupat. quando enim pulchritudinis influxum per oculos accipit, calefit, quo pennarum natura irrigatur: postquam vero incaluit, liquescunt quæ ad pullulandum spectant, quæque diu præ duritie compacta, exitum germinis cohibebant. Ubi autem influxerit alimonia, pennarum germina, jam ab ipsis radicibus tumescentia, impetu quodam per animæ speciem totam nituntur erumpere. tota enim erat olim pennis suffulta. fervet itaque tunc omnis et prosilit: atque ut infantes, cum dentes emittunt, pruritu et dolore gingivarum vexantur: ita et pennas emittentis anima fervet, et titillatione molestisque afficitur. Itaque cum pueri speciem intuetur, cupidinemque inde effluentem imbibens irrigatur calescitque, dolere jam desinit, atque lætatur. Cum vero procul abfuerit, exaruerintque meatus, qua parte scaturire nititur ala, aridi et constricti, pennarum germen cohibent. Hoc intus una cum cupidineo illo influxu occlusum, tumescentiumque more resiliens, ipsum sibimet suos meatus undique obstruit pungitque. Tota igitur anima undique saucia stimulo concitatur et angitur, rursusque memor pulchritudinis delectatur. Ex utrisque vero permixtis passionis hujusmodi vehementia et novitate vexatur, et anxia furit, atque insanit. Sic affecta, præ furore neque nocte dormire potest, neque die usquam consistere, sed passim discurrit desiderio pulchri videndi perculsa. Videns autem, et influxum illum cupidineum hauriens, abstrusa prius et conclusa, jam aperit et resolvit: cum vero jam respiraverit, stimulis angustiisque liberatur. Hac utique suavissima voluptate in præsenti usque adeo delinitur, [252] ut nunquam ab ejus illecebris sponte discedat: neque aliquem pluris facit, quam amatum; sed parentes, fratres, amicosque omnes oblivioni tradit, ac dissipato per incuriam patrimonio minime commovetur, patrias quoque consuetudines et dignitates, quibus gloriari solebat, penitus aspernatur, et servire et jacere parata, ubicunque permittitur, modo igniculo suo inhæreat. non enim colit solummodo et veneratur formosum, sed medicum etiam hunc gravissimorum morborum sibi solum invenit. Hunc itaque affectum, o ingenue adolescens, ad quem meus est sermo, homines erota, id est, amorem, appellant: quo autem modo Dii nominant, si audieris, merito propter juventutem ridebis. Tradunt enim Homerici quidam, ut arbitror, ex reconditis carminibus, in Amorem carmina duo: quorum alterum valde petulans, neque admodum concinnum. sic autem aiunt: *Hunc quidem mortales erota*, id est, Amorem, *vocant volatilem: immortales autem pterota*, i. e. alationem, *propter volandi necessitatem*. His partim licet credere, partim non licet. atqui causa affectioque amantium hæc ipsa est. Quotcunque igitur ex Jovis pedissequis capti fuerint, gravius constantiusque alationis onus ferre possunt: qui vero Martem coluerunt, cumque illo circumvagati sunt, amore illaqueati, si quam ab amato sibi inferri injuriam putant, in cædem facile provolant, præcipitesque tum ad se ipsos, tum ad amatos necandos feruntur. Atque ita secundum quemque Deorum, cum quo quilibet chorum egit, eundem honorat, imitaturque semper in vita pro viribus, quoad permanet incorruptus: et hoc pacto primam hic vitæ generationem ducit, talemque se ipsum ad amatos et alios exhibet. Amorem ergo pulchrorum ex suo quisque deligit more, et, tanquam Deus sibi ille sit, quasi statuam fabricat et exornat, utpote honoraturus atque sacrificaturus. Jovis itaque cultores cum sibi amandum quærunt, cujus Jovialis sit animus. quare

Digitized by Google

considerant, utrum ad philosophiam et imperium natura sit aptus: et quando illum amant inventum, omni opere contendunt, quo ille talis evadat. Ac nisi prius, quod exoptant, ingressi fuerint studio suo, tunc contendunt admodum, discuntque undecunque aliquid possunt, atque ipsi etiam ad hoc opus progrediuntur. Investigantes ex se ipsis Dei sui naturam, [253] voti tandem compotes fiunt, ex eo quod summa quadam attentione mentis aciem in Deum erigere compellantur; deinde cum per memoriam illum attingant, divinitate afflantur, atque ex eo mores et studia, quatenus homini licet Dei participem fieri, capiunt. quoniam vero horum omnium causas referunt in amatum, dilectione ardentius accendantur. Ac si ab Jove hauriant, bacchantium sacerdotum more, in amati animum transfundentes, proprio Deo, quoad possunt, simillimum reddunt. Quicunque vero Junonem secuti sunt, regium quærunt: quo invento, similiter affecti eadem erga illum omnia faciunt. Apollinis præterea reliquorumve cultores Deorum singuli, Deos singulos imitantes, eodem modo affectum natura adolescentem quærunt: eoque comparato, et ipsi imitantes, et adolescentibus persuadentes moderantesque, in numinis ipsius studium et ideam pro viribus agunt: non invidia, non illiberali malevolentia in adolescentes suos utuntur, sed omni studio illos ad perfectam tum sui, tum Dei, quem colunt, similitudinem formare conantur. Cura igitur finisque vere amantium, si modo, quod cupiunt, fuerint assecuti, talis est profecto, qualem descripsimus: et insignis admodum felixque ab amico propter amorem furente, dilecto suo, si captus fuerit, provenit. comprehenditur autem, quisquis capitur, hoc pacto. Quamlibet animam ab initio hujus fabulæ trifariam divisimus: atque equorum quidem formas geminas, duas quasdam species posuimus; aurigam vero, speciem tertiam: eademque nobis in præsentia maneant. Equorum autem alter bonus, alter non. Quæ autem aut boni equi virtus, aut mali pravitas sit, nondum plane diximus: nunc vero dicendum. Bonus excellentiori habitu situs est, specie rectus et articulatim distinctus, ardua cervice, naribus modice aquilinis, nitido colore, nigris oculis, honoris cupidus, temperantiæ pudorisque particeps, ac veræ opinionis amicus, nullis stimulis indigens, scilicet cohortatione sola rationeque regitur. Alter intortus et multiplex, temereque delatus, fususque, et confuse compositus, rigenti et dura cervice, atque demisso collo, simo vultu, fusco colore, oculis cæsiis sanguineque suffusis, morosus et contumax, hirsutis auribus atque surdis, vix flagello stimulisque obtemperans. Quando igitur auriga, amatorium aspiciens vultum, totamque sensu inflammans animam titillationis et desiderii stimulis concitatur, [254] tum qui aurigæ obediens est equorum, ut consuevit, pudore cohibitus se ipsum continet, ne prosiliat in amatum. Alter neque stimulis, neque verberibus coërceri potest, sed exultat, ac violentia delatus, conjunctum sibi equum aurigamque perturbat, rapitque ad Veneris voluptatem. At illi ab initio adversantur, indignati, quod ad gravia et iniqua trahantur: tandem, cum malum id minime cesset, compulsi feruntur, cedunteque jam, et consentiunt, quod jussi sunt facere. hinc hærent iniculo, aspectamque ipsius cornscum inspiciant. quem intuitus auriga, pulchritudinis ipsius naturam memoria repetit, rursusque illam cum temperantia cernit, in casto fundamento firmiter collocatam. videns autem metuit, ac præ reverentia recidit supinus: ubi simulque cogitur usque adeo habenas retrahere, ut equi ambo femoribus aut natibus humi resideant; sed alter quidem sponte, quia minime reluctatur, procax autem equus alter prorsus invitus. Longius vero discedentes, alter quidem propter verecundiam admirationemque sudore totam animam madefacit: alter vero, a dolore liberatus, quem et fremum et casus incusserat, vix tandem respirat, atque resipiscens, indignatione motus aurigam equumque conjunctum increpat, quod timi-

Digitized by Google

ditate atque ignavia constitutum ordinem deseruerint. Rursusque nolentes accedere cogens, vix tandem concessit illis, differri in posterum exorantibus. accedente autem statuto tempore, cujus esse immemores illi quidem simulant, hic vero illis commemorat, vi illata, hinniens, trahensque, compellit iterum iisdem verbis amatos affari. Postquam vero prope accesserunt, inflexus inclinatusque, extensa cauda, frenum mordet, et impudentissime rapit. Sed auriga, multo magis eadem passus, et quasi de termino flectens resupinus, habenas longe vehementius trahit, et dentes equi flagitiosi reprimit, atque impuram linguam, maxillasque cruentans, crura natesque humi defigit, ac pœnas dare compellit. Quando vero idem sæpe pravus equus ille perpessus lascivire destitit, mansuefactus jam aurigæ obtemperat providentiæ, atque etiam, cum videt pulchrum, formidine contremiscit, adeo ut quandoque contingat amatoris animam jam cum reverentia quadam et metu adolescentum vestigia sequi. [255] utpote igitur omni cultu, tanquam Deo æqualis adolescens, observatus ab amatore, haud quidem simulante, sed revera sic affecto, præsertim cum et ipse honoratus natura colentis sit amicus, in idem postremo cum amatore conspirat: ac etiamsi antea a familiaribus suis condiscipulisque et aliis per calumniam deceptus fuerit, dicentibus, turpe esse amanti hærere, ideoque amantem rejecerit; tandem vero procedente tempore ætas, et naturæ debitus ordo eum in consuetudinem amantis inducunt. nunquam enim fato decretum est, vel malum amicum malo, vel bonum bono non amicum esse. Ergo cum adolescens colloquio et consuetudine receperit amatorem, tunc amantis illius benevolentia jam facta propinquior, amatum ipsum admirari compellit, animadvertentem, necessariorum amicorumque omnium aliorum benevolentiam, si cum amico divinitus afflato conferatur, nullius fore momenti. ac si senior illa diu sic pergat, hæreatque, et in gymnasiis ceterisve similibus tangat, tunc jam fluxus liquorisque illius fons, quem himeron, id est, cupidineum influxum, Juppiter Ganymedis amore captus vocavit, qui in amantem uber influxit, partim in ipsum infusus est, partim extra, ipso exuberante, effunditur. atque ut flamen et Echo a levibus solidisque repulsa corporibus, eodem, unde venerunt, iterum reflectuntur: ita pulchritudinis ille liquor, rursus in pulchrum per oculos refluens, qua penetrare in animam consuevit, adeo penetrarum meatus irrigat, ut et possint jam et incipiant pullulare: atque ita amati animum mutuo implet amore. amat igitur: quid vero diligat, ambigit: affectumque suum nec novit, nec eloqui potest: sed perinde ac si lippi alicujus aspectu oculos similiter sit infectus, præsentis morbi assignare causam nescit: nec animadvertit, quod se ipsum in amatore, tanquam in speculo, respicit. itaque præsente illo, dolere ut ille similiter desinit: absente vero, desiderat vicissim desideratus, mutuum amorem tanquam amoris simulacrum possidens; nec amorem ipsum, sed amicitiam et vocat, et putat. Cupit ergo, ferme ut ille, quamvis moderatius, videre, atque assidua consuetudine perfrui: et, ut par est, posthac protinus hæc facit. In ipsa igitur consuetudine, amatoris quidem intemperans equus aurigam compellans, brevem efflagitat pro multis laboribus voluptatem: [256] adolescentis autem equus, eidem quid dicat, ignorat, sed percitus anxiusque amantem mutua prosequitur benevolentia, amantissimo suo congratulatus, atque in ipsa familiaritate paratus est pro viribus amatoris desiderio obtemperare. Conjugatus autem equus simul et auriga, cum pudore et ratione his in rebus huic adversantur. Quare si secundum rectam vitæ institutionem et philosophiæ studia meliores cogitationis partes obtineant, beatam atque concordem præsentem vitam agunt, sui ipsorum domini atque modesti, ea parte subjecta, cui animæ vitium inest, ea contra liberata, ad quam probitas pertinet. In hujus autem vitæ fine, recuperatis alis, præpetes evolant, cum trium certaminum vere Olympicorum unum pervicerint:

Digitized by Google

quo quidem nullum præstantius bonum, aut humana temperantia, aut divinus furor hominibus afferre potest. Quod si impudentiorem quandam vitam, philosophiæ expertem, alioquin ambitiosam secuti sint, forte in ebrietate aut alia quavis desidiosa licentia intemperati illorum equi incautas animas invadunt, easque in idem conducentes illud oblectamenti genus, sectari compellunt, quod vulgo beatissimum judicatur: inque ejus desiderii expletione nonnunquam deinde versantur. hac tamen idcirco raro utuntur, quia non omnis in hoc consentit animi cogitatio. Amici ergo et isti, licet minus, quam illi superiores, tum fervente amore, tum restincto, degunt, fidem sibi invicem firmissimam et dedisse, et accepisse putantes. nefas enim esse ducunt fidem frangere, et inimicos quandoque ex amicis evadere. demum, cum naturæ sic concesserint, affecti abeunt, ut alati quidem nondum sint, sed pennas emittere quodammodo cœperint: quamobrem præmium amatorii furoris non parvum reportant. nam in tenebras locumque sub terram descendere illos, qui jam iter sub cœlis agere cœperant, lex prohibet: sed claram vitam agentes beatos fieri jubet, dum una pergunt, et simul alas emittunt. Atque hæc amoris gratia fiunt. Tot igitur ac talia, o puer, tamque divina, amatoris tibi amicitia conferet. ejus autem, qui non amat, familiaritas, temperantiæ mortali conjuncta, mortalibusque et exilibus ministeriis dedita, illiberalitatem illam, quæ vulgo virtus habetur, [257] in sodalis sui animo generabit, efficietque, ut novem annorum millia super terram, et sub terra demens pererret. Hanc tibi, o dilecte Amor, quam pulcherrime optimeque valuimus, poëticis tum verbis, tum figuris, impulsu Phædri palinodiam cecinimus. Quare et ante dictis ignoscens, et hæc grata a nobis accipiens, benignus propitiusque mihi assistens, amatoriam artem, nobis abs te concessam, neque auferas indignatione aliqua, neque etiam minuas. quin etiam, da, ut magis quam nunc, apud honestos in pretio sim. Tum si quid numine tuo indignum a Phædro et a me dictum sit, Lysiam disputationis hujus auctorem accusans, ab hujusmodi sermonibus desistere facias: et ad philosophiam, quemadmodum frater ejus Polemarchus versus est, ita illum converte, ut et hic ejus amator Phædrus haud amplius, ut nunc, modo huc modo illuc se transferat, sed in amoris simul et sapientiæ studio prorsus vitam agat. PHÆ. Hæc ego quoque, si præstat ita fieri, o Socrates, Deum oro. tuum vero sermonem jam pridem admiror, quam valde superiorem antecellit: ut jam verear, ne Lysias mihi humilis videatur, si ad hunc conferre alium studeat. Atqui eum nuper cujus quispiam, o vir mirifice, in hoc ipso vituperavit, perque totam accusationem orationum scriptorem vocavit. forte igitur honoris causa a conscriptione hujusmodi abstinebit. So. Ridicula hæc, o adolescens, sententia est: et ab amici mente longe aberras, si eum usque adeo meticulosum putas. forte vero obtrectatorem ejus existimas vera judicare, quæ objicit. PHÆ. Ita profecto visum est, o Socrates: neque te fugit, potentes in republica præstantesque viros vereri orationes componere, eorumque scripta relinquere, ne Sophistæ fuisse posteris videantur. So. Proverbium illud, *Dulcis ancon* i. e. *cubitus*, o Phædre, te latuit, a longo cubito, qui prope Nilum est, ductum fuisse. neque id solum, sed illud quoque te fugit, quod excellentes prudentia cives in conscribendis posteritatique relinquendis orationibus summopere studeat: qui usque adeo laudatores suorum operum diligunt, ut primos eos adscribant, qui scripta ubique laudent. PHÆ. Quomodo istud ais? non enim intelligo. [258] So. Nescis, quod in exordio libri, a civili viro compositi, primus est laudator adscriptus? PHÆ. Quo pacto? So. *Probata est*, inquit, *ipsorum sententia senatui, aut populo, aut utrisque:* et ille ait, qui ab illo, et quæ deinceps ambitiose nominans, extollensque sententiæ auctor. deinde etiam dicit post hæc, suam ostentans laudatoribus sapientiam: idque sæpe postquam prolixam orationem habuerit. An aliud quid-

Digitized by Google

quam tibi istud videtur, quam scripta oratio? Phæ. Non aliud certe. So. Quod si approbetur, gestiens ex theatro discedis, tanquam poëta. sin autem reprobetur, excluduturque a scribenda sententia, neque dignus, cujus sententia mandetur literis, habeatur, mœret ipse, ejusque amici. Phæ. Et maxime quidem. So. In hoc plane demonstrant, se minime aspernari studium hujusmodi, sed multi fuisse. Phæ. Sanmopere. So. Quid vero, si orator quispiam, aut rex eam nactus sit facultatem, ut, quemadmodum Lycurgus, aut Solon, aut Darius, immortalis in civitate scriptor haberi possit, an non et ipse æqualem se Deo, adhuc viventem existimat? et posteri, monumenta ejus considerantes, de illo similiter judicant? Phæ. Vehementer. So. An igitur ejusce, talium quempiam, vel quantumcunque malevolum Lysiæ, studium ejus hoc scribendi vituperaturum? Phæ. Ex his, quæ tu dicis, id consentaneum non videtur, nam suum quoque studium, ut videtur, vituperaret. So. Ergo ex hoc perspicuum esse cuique potest, non ob hoc ipsum, quod scribat, quemquam esse vituperandum. Phæ. Quid enim? So. At illud est, ut arbitror, turpe, turpiter ac male et loqui, et scribere. Phæ. Manifestum id quidem. So. Quænam igitur et bene, et non bene scribendi ratio est? Numquid opus est nobis, o Phædre, de his a Lysia, vel ab alio sciscitari, qui vel quandoque scripserit aliquid, vel sit scripturus, seu civile publicum opus, sive privatum, aut carmine, ut poëta, aut, tanquam privatus, oratione soluta? Phæ. Rogas, an opus sit? cujus enim gratia, ut ita dicam, vivat quispiam, nisi hujusmodi voluptatum? non enim illarum gratia, quas dolor necessario antecedit: alioquin voluptas minime provenit. quod omnes pæne voluptates corporis habent: quare serviles non injuria sunt appellatæ. So. Otio utique abundamus: ac etiam mihi videntur, velut in metu, supra caput nostrum cicadæ canentes, et invicem disputantes nos contueri. [259] Si ergo nos viderent, quemadmodum et alios multos, in meridie non disputantes quidem, sed dormitantes, ab ipsis ob mentis desidiam delinitos, merito deriderent, existimantes, mancipia quædam ad eas illuc divertisse, inque ipso secessu, tanquam pecudes sub umbra, secus fontem meridiano somno teneri. sin autem viderint disserentes nos, minimeque ab illarum, quasi Sirenum, illecebris captos, quo minus portum versus enavigaremus, forte nobis libentissime præmium illud tribuent, quod Deorum concessione traducere ad homines possunt. Phæ. Quidnam muneris istud est, quod possideat? nunquam enim audisse videor. So. Non tamen decet Musarum studiosum virum rerum hujusmodi ignarum esse. Fertur autem, hoc olim homines ante Musas fuisse: natis deinde Musis, cantuque monstrato, illorum nonnulloe voluptate cantus usque adeo delinitos fuisse, ut canentes cibum potumque negligerent, imprudenterque perirent: ex quibus deinceps cicadarum genus sit natum, munus hoc a Musis nactum, ut alimonia non indigeat, sed absque cibo potuque, quamdiu viterit, cantet, postea vero ad Musas proficiscatur, quam quis hominum Musam hic colat renuntiaturum. Ergo Terpsichoræ nuntiantes, qui præcipue illam in choris cantibusque celebraverint, eam ipsis propitiam reddunt: Euterpe autem eos, qui in rebus amatoriis honoraverint: atque aliis eodem modo, pro sua cujusque venerationis specie. Calliopæ autem antiquissimæ, eamque sequenti Uraniæ, eos, qui in philosophia vivunt, coluntque ipsarum musicam, referunt: quæ præ ceteris Musis cæca colum, atque sermones tam divinos, quam humanos, versantur, vocem pulcherrime modulantes. Itaque multis de causis dicendum est aliquid, neque in meridie dormitandum. Phæ. Dicendum certe. So. Igitur, quod modo statueramus, jam discutiendum est, qua videlicet ratione quis recte, aut non recte et loquatur, et scribat. Phæ. Procul dubio. So. An non necesse est, eum, qui recte dicturus sit, verum in ea re, de qua loquatur, intelligentiam habere? Phæ. Audivi equidem, o Socrates amice,

Digitized by Google

[260] non esse futuro oratori necessarium, quæ revera justa sint discere, sed quæ judicantium multitudini videantur: neque revera bona, aut honesta, sed quæ sic appareant. ex his enim potius, quam ex veritate, posse persuadere. So. Nunquam, o Phædre, sapientum contemnenda sunt dicta: immo diligenter, quid sibi velint, considerandum, itaque, quod modo dicebas, prætercundum esse non arbitror. Phæ. Probe loqueris. So. Sic igitur istud consideremus. Phæ. Quo pacto? So. Hoc plane. Si tibi suaderem, hostes te equo expugnaturum, utrique vero equum ignotaremus, sed ego id tantum de te scirem, quod Phædrus equum putat esse domesticum et grandibus auribus animal. Phæ. Ridiculum id quidem esset, o Socrates. So. Nondum istud: sed quando obnixe tibi persuadere conarer, oratione in asini laudes composita, equum illum vocans, affirmansque præstantissimum animal esse, utile domi et foris, ad bellum promptissimum, ad sarcinas ferendas aptum, et ad multa alia commodissimum. Phæ. Valde id absurdum. So. Nonne præstat ridiculum amicum esse, quam gravem et inimicum? Phæ. Videtur. So. Quando igitur orator boni malique ignarus, civitati similiter affectæ suadebit, non oratione quidem in umbram asini laudem, tanquam equus illa sit, compositam, sed de malo, tanquam bonum id sit, disserens, vulgique opiniones aucupatus, mala facere pro bonis inducat: qualem putas oratorem hujusmodi segetem, quam sevit, messurum? Phæ. Haud satis bonam. So. Num, o bone vir, rusticius, quam deceat, dicendi artem vituperavimus? Ita vero forsitan dixerit: Quid, o viri mirabiles, delirastis? ego enim neminem veritatis ignarum discere orare compello: sed si quis consilio meo paruerit, percepta veritate me capiet. Hoc sane affirmo esse maximum, quod absque me ille qui res noverit, nihilo magis persuadendi ars aderit. Phæ. An non jure hæc dixerit? So. Fateor equidem, si modo sequentes rationes artem esse illam tuentur. audire namque mihi videor rationes nonnullas, asserentes mentiri eam, neque artem esse, sed aliquem sine arte usum. verum autem dicendi artem absque veritate, inquit Lacon, neque esse aliquam, neque unquam fore. [261] Phæ. His utique rationibus opus est, o Socrates; igitur hue eas adducens, quid dicant, ob quamobrem, discute. So. Adeste, animalia generosa, ac Phædro honesto adolescenti persuadete, nisi sufficienter philosophetur, eum nunquam aliqua de re sufficienter esse dicturum. Respondeat Phædrus. So. Interrogate: An non rhetorica omnino ars erit alliciens animam per sermones, non in judiciis modo, cæterisque publicis cœtibus, verum etiam in privatis congressibus eadem de magnis quibusque rebus et parvis? nihil enim honorabilius in magnis, quam in exiguis, ex recta artis ratione se gerere. Numquid tu hæc audisti? Phæ. Non ita prorsus per Jovem. verum circa judicia præcipue ars ista dicitur, scribiturque, nec non circa conciones: ultra vero eam porrigi non audivi. So. Numquid artem dicendi, qua Nestor et Ulixes apud Ilium usi sunt, audisti? eam vero, quæ Palamedes, audisti nunquam? Phæ. Et per Jovem, Nestoris orationes audivi: nisi forte Gorgiam Nestorem fingis esse, aut Thrasymachum Theodorumque Ulixem. So. Forsan: sed hos mittamus: tu vero responde: Quid in judiciis adversarii faciunt? nonne contradicunt? An quid aliud dicemus? Phæ. Hoc ipsum. So. Num de justo atque injusto? Phæ. Ita. So. Nonne qui arte id agit, efficiet, ut idem eisdem tum justum, tum injustum appareat? Phæ. Quid prohibet? So. Et in concione, ut eadem civitati modo bona, modo contraria videantur? Phæ. Certe. So. Enimvero Eleatem Palamedem artificio suo effecere solitum accepimus, ut eadem audientibus similia et dissimilia, unum et multa, manentia et fluentia viderentur. Phæ. Maxime. So. Facultas ergo contradictoria, non in judiciis solum et concionibus, verum etiam in omnibus, ut apparet, quæ dicuntur, quandoquidem una quædam ars est, versatur: qua quis

Digitized by Google

poterit omnia omnibus, et quæ possunt, et quibus possunt, similia fingere, et, alio similia ista occulente, in lucem educere. PHÆ. Quonam pacto id ais? So. Hoc equidem. Num deceptio in his, quæ multum, an quæ parum differunt, accidit? [262] PHÆ. In his, quæ parum. So. Atqui si paulatim transieris, latebis magis, dum ad contrarium venies, quam si subito transilieris. PHÆ. Quidni? So. Oportet igitur eum, quicunque decepturus sit alium, ipse minime decipiendus, similitudinem et dissimilitudinem rerum exquisite dignoscere. PHÆ. Necessarium est. So. Numquid igitur singulorum veritatis inscius poterit ejus, quod ignorat, similitudinem in universis parvam aut magnam dijudicare? PHÆ. Impossibile id quidem. So. Ergo illos, qui præter rerum naturam opinantur, falsique sunt, constat propter similitudines aliquas sic esse affectos. PHÆ. Sic accidit. So. Num igitur poterit quisquam, si rem quamlibet ignoraverit, artificiose aliquem sensimque a vero in contrarium per similitudines aliquas sigillatim traducere, aut errorem hunc in se ipso vitare? PHÆ. Nunquam. So. Quamobrem, o amice, quicunque veritatem ignorat, et opinionibus ducitur, dicendi quoque facultatem, ut videtur, inertem exhibet atque ridiculam. PHÆ. Ita videtur. So. An vis in oratione Lysiæ, quam in manibus habes, et in nostra disputatione videre, ubi artificiose, et ubi sine arte agitur? PHÆ. Maxime omnium. nude enim in præsentia loquimur, cum exemplis perspicuis careamus. So. At enim fortuna quadam orationes dictæ sunt, ut videtur, exemplo monstrantes, compotem veritatis virum, dum verbis jocatur, trahere auditores. Atque ego, o Phædre, locales Deos hujus rei causas arbitror. Forte etiam Musarum interpretes, super capita nostra cantores, munus hoc nobis inspiraverunt. Ego enim dicendi artem habeo nullam. PHÆ. Esto, ut ais. solum, quod dicis, ostende. So. Age itaque, proœmium orationis Lysiæ lege. PHÆ. Mearum quidem rerum status sic, ut intellexisti, se habet. itaque cum ita sit, quemadmodum nobis conducere putem, audisti. Arbitror equidem, me non minus ob id abs te, si quid petiero, consecuturum, quod amore tui captus minime sum. nam amatores, cum primum amare desierint, collati beneficii pœnitet. So. Desine. in quo enim iste delinquat, et quid sine arte faciat, dicendum. nonne? [263] PHÆ. Profecto. So. An non constat cuique, quod in aliis, dum loquimur, idem sentimus omnes, in aliis vero non idem? PHÆ. Quamvis, quod ais, intelligere videor; planius tamen ut dicas, cupio. So. Quando quis ferri nomen vel argenti pronuntiat, idem omnes protinus intelligimus. PHÆ. Prorsus. So. Quid, cum justi, vel boni nomen? nonne alius alio fertur, atque cum aliis, et nobiscum ipsi ambigimus? PHÆ. Magnopere. So. In aliis ergo consentimus, in aliis dissentimus. PHÆ. Sic est. So. Ubinam facilius falli possumus? et in quibus istorum rhetorica plurimum valet? PHÆ. Patet, in quibus ambigimus. So. Oportet igitur eum, qui rhetoricam sit assecuturus, primum hæc ordine discrevisse, et, quæ utriusque speciei figuræ sint, percepisse, et ubi maxime falli ambiguitate multitudo potest, ubi non potest. PHÆ. Præclaram quandam, o Socrates, agnosceret speciem, qui cogitatione id caperet. So. Deinde oportere eum arbitror nihil latere, cum ad singula venerit, sed acute persentire, id, de quo dicturus sit, utrius sit generis. PHÆ. Cur non? So. Quid porro Amorem? utrum ambigui generis, an alterius esse dicimus? PHÆ. Ambigui prorsus. So. An putas, eum tibi illa de se dicere concessurum, quæ supra dicebas? quod videlicet amato simul atque amanti perniciosus est, ac rursus quod omnium maximum est bonorum? PHÆ. Scite loqueris. So. Sed id quoque dicas, (ego enim propter divinam illam occupationem non admodum memini) num amorem in disputationis principio definierim. PHÆ. Per Jovem mirifice. So. O quanto sollertiores Acheloi nymphas, et Pana Mercurii filium, Lysia Cephali filio ad orationes componendas

Digitized by Google

esse demonstras! An vero nihil dico? sed Lysias in amatorii sermonis exordio coëgit nos intelligere, Amorem certum aliquid esse, quod ipse volebat, atque ad id sequentia referens orationem omnem peregit? Visne principium rursus legamus? Phæ. Ut lubet: quamvis ibi, quod quæris, minime sit. So. Lege, ut illum ipsum audiam. Phæ. Mearum quidem rerum status, sicut intellexisti, se habet. atque cum ita sit, quemadmodum nobis conducere putem, audisti. [264] Arbitror equidem, non minus ob id abs te, si quid petiero, consecuturum, quod amore tui captus minime sum. nam amatores, cum primum amare desierint, collati beneficii pœnitet. So. Permultum abesse videtur, ut, quod quærimus, faciat. siquidem non a principio, sed a fine, modo quodam converso et resupino sermonem transigere nititur, incipitque ab illis, quæ amator, exstincto amore, adolescentibus objicit. An forte nihil dixi, o Phædre, mi lepidum caput? Phæ. Finis est profecto, o Socrates, de quo sermonem habet. So. Quid alia? nonne sparsim sermonis partes tibi jactæ videntur? an censes, quod secundo loco positum est, necessitate quadam ita esse subjunctum? aut aliquid aliud ab illo dictorum? Nam mihi quidem, utpote omnium ignaro, videtur non ingenerose, quidquid incidit a scriptore, dictum fuisse. tu vero necessitatem scribendi aliquam habes, per quam ille sic ea invicem deinceps disposuit? Phæ. Optimus es, o Socrates, siquidem me putas scripta adeo subtiliter posse dijudicare. So. Sed hoc arbitror te dicturum, oportere orationem omnem tanquam animal quoddam constitui, ut suum quoddam habeat corpus, quod neque sine capite sit, neque pedibus careat, sed habeat media atque extrema sibi invicem et toti convenientia. Phæ. Quidni? So. Considera, quæso, utrum amici tui oratio sic se, an aliter, habeat. reperies, eam nihilo ab eo epigrammate discrepare, quod Midæ Phrygio inscriptum nonnulli fuisse tradunt. Phæ. Quid istud, et quale? So. Audi: *Ænea virgo sum, Midæ sepulcro imposita, quoad aqua fluet, arboresque virescent, hic permanens prætereuntibus nuntiabo in hoc deplorato Midam jacere sepulcro.* Quod vero nihil interest, quamlibet ejus partem ut primam, vel ut ultimam ponere, ut arbitror, tu ipse vides. Phæ. Orationem nostram mordes, o Socrates. So. Hanc ergo, ne nobis succenseas, dimittamus: quamvis in ea multa reperiri posse exempla videantur, quibus inspectis utilitas nobis ex hoc proventura sit, ne talia imitemur. Verum ad orationes alias descendamus. [265] habebant illæ quidem nonnihil, ut arbitror, quod a viris dicendi studiosis sit observandum. Phæ. Quid illud? So. Erant utique contrariæ. altera siquidem amanti, altera non amanti inhærendum asseverabat. Phæ. Ac strenue quidem. So. Quod verius est, te responsurum putaram, videlicet, Ac furiose quidem. ceterum, quod quærebam, id ipsum est. furorem quendam Amorem vocavimus. an non? Phæ. Certe. So. Furoris autem duas species ponimus: alteram, ab humanis morbis: alteram, ex alienatione divina, qua extra consuetam vitæ constitutionem quis rapitur. Phæ. Omnino. So. Divinæ autem partes quatuor, ut etiam Dii præsunt quatuor. et vaticinii quidem inspirationem Apollini: mysteria, Dionyso: poëticam, Musis: amatorium furorem, Veneri et Amori omnium optimum tribuimus. Ac nescio, quo modo, dum amoris affectum per imagines quasdam effingeremus, veritatem forte aliquam attigimus: forte etiam alio transgressi sumus: ideoque miscentes orationem non penitus improbabilem, fabulosum quendam hymnum composuimus, et quasi ludentes meum ac tuum, o Phædre, dominum Amorem, pulchrorum præsidem puerorum, modeste laudavimus. Phæ. Hæc mihi auditu non injucunda. So. Hoc itaque inde accipiamus, quo pacto a vituperatione ad laudes disputatio pertransivit. Phæ. Quonam modo id ais? So. Mihi quidem videmur cetera revera lusisse: at si quis duarum specierum, in quas modo ex fortuna incidimus, vim arte comprehenderit,

Digitized by Google

opus non ingratum fuerit consecutus. Phæ. Quas species dicis? So. Ut in unam ideam conspiciens, passim dispersa conducat: quo singula definiens, manifestum reddat semper id, de quo agitur: quemadmodum nos in præsentia, quid Amor sit, definivimus, sive bene, sive male id factum sit. Certe hinc disputatio nostra claritatem in se habuit, constantemque sibi ipsi concordiam. Phæ. Alteram vero speciem quam dicis, o Socrates? So. Ut rursus secundum species articulatim pro rerum natura incidat: neque imperiti coqui ritu ullo membra confringat, sed perinde faciat, ut superiores sermones fecerunt, qui confusionem mentis unam communem speciem acceperant. Quemadmodum vero in uno corpore membra gemina eodem nomine nuncupantur, [266] dextrum unum, sinistrum alterum: sic et confusionis speciem in nobis natura unam sermones illi existimaverunt. et prior ille quidem partem sinistram dividens, ac rursus hanc partiens, non prius destitit, quam ibi sinistrum quendam reperiret Amorem, inventumque, ut par est, improbaret. sequens alter in dextram furoris partem nos duxit, ubi Amorem, nomine primi similem, sed divinum inveniens, et amplificans, laudavit tanquam bonorum nobis causam maximorum. Phæ. Verissima loqueris. So. Harum ego divisionum collectionumque, o Phædre, amicus sum, ut et intelligendi, et loquendi aim compos. Ac si quem alium posse arbitror tum ad unum tum ad multa pro rerum natura respicere, hujus a tergo tanquam dei vestigia sequor. atque eos, qui id facere possunt, rectene anne contra cognominem, Deus ipse novit. voco autem hactenus Dialecticos. Nunc vero dic, obsecro, quo nomine pro tua Lysiæque sententia nuncupari oporteat. An hæc dicendi ars est, qua Thrasymachus aliique usi, sapientes et ipsi in dicendo fuerunt, ceteroseque reddunt tales, qui illis, tanquam regibus, offerre munera volunt? Phæ. Regii quidem illi viri, non tamen eorum rerum periti, de quibus interrogas. Sed hanc speciem recte sane Dialecticam appellare videris: rhetorica vero adhuc nos fugit. So. Quomodo istud ais? Pulchrumne aliquid erit, quod ab iis alienum, arte tamen percipiatur? handquaquam spernendum id tibi mihique est, sed dicendum, quid sit reliquum in rhetorica. Phæ. Permulta, o Socrates, in libris, de arte dicendi compositis, tradita. So. Opportune commemorasti. Proœmium arbitror primam orationis partem esse vocandam. talia quædam egregia illa ornamenta artis appellas? Phæ. Sane. So. Sequitur secundo loco narratio, testimoniorumque assertio: tertio, conjecturæ: quarto, verisimilia. probationem quoque et approbationem, ut arbitror, optimus orationum faber Byzantius vir induxit. Phæ. Eximium dicis Theodorum? So. Equidem. hic etiam invenit, quo pacto in accusatione et defensione fieri, et gemisari redargutio possit. [267] Egregium autem virum Euenum Parium cur in medium non adducimus? qui subdeclarationes primus invenit, collaudationes præterea. nec desunt, qui dicant, vituperationes hujusmodi quasdam carminibus memoriæ gratia illum inserere. vir enim sapiens est. Lysian vero Gorgiamque valere sinemus, qui verisimilia veris anteposuerunt, ac vi orationis efficiunt, ut parva esse magna, et magna vicissim parva, vetera item nova, et novissima vetera videantur. Brevitatem quoque loquendi conciosam, rursusque infinitam verborum prolixitatem adinvenerunt. Quæ cum olim ex me audiret Prodicus, risit, seque solum invenisse asseruit, quibus verbis ars illa indigeat. egere autem neque pascis, neque multis, sed mediocribus. Phæ. Sapientissime respondisti, Prodice. So. Hippiam vero nequaquam commemoramus. arbitror enim, eum ipso Eliensem quoque hospitem consentire. Phæ. Cur non? So. Quid porro de musica Poli concinnitate dicemus? qui geminationem verborum, insignes sententias, comparationes, similitudinesque invexit, nominumque usum ad orationis splendorem, prout a Licymnione didicit. Phæ. Protagoræ autem scripta

Digitized by Google

nonne talia quædam erant, o Socrates? So. Recta sane ac propria, o puer, Protagoræ elocutio, et multa in stilo præclara. In commiserationibus autem, a senectute et paupertate commovendis, Chalcedonius orator excelluit: in ira item concitanda et sedanda potens, quasi incantatione, ut inquit, mulceret: in conficiendis solvendisque calumniis, unde opus fuerit, summus. De fine autem orationis omnes convenire videntur: sed hunc alii repetitionem, alii aliter nominant. Phæ. Finem dicis summatim, supra dicta omnia in orationis calce in memoriam auditoribus revocare? So. Hæc inquam, et si quid tu aliud habes, quod de hac arte dicas. Phæ. Exigua quidem habeo, neque memoratu digna. So. Mittamus exigua: sed hæc in lucem potius educamus, ut, quam et quando artis vim habeant, videre possimus. [268] Phæ. Et maximam quidem, o Socrates, in hominum cœtibus potentiam habent. So. Habent profecto. sed, o beate, tu etiam vide, utrum tibi horum vestis, quemadmodum mihi, rara dissutaque videatur. Phæ. Ostende modo. So. Dic age: si quis amico tuo Eryximacho, vel patri ejus Acumeno dicat in hunc modum: Ego quidem illa scio corpori admovere, quibus et calescat pro arbitrio meo, et frigeat, vomitum quoque, rursusque dejectionem, et expurgationes alias provocare, ceteraque hujusmodi multa intelligo, quibus cognitis, et medicum me esse profiteor, et alium quemlibet medicum me facere posse: quid illos responsuros existimas? Phæ. Quidnam aliud, quam percontaturos, numquid etiam sciat, quibus, quando, quousque singula istorum sint adhibenda? So. Ergo si dicat, nullo modo se id intelligere, sed oportere eum, qui ab ipso didicerit, talia quædam facere posse: quid respondebunt? Phæ. Certe hujusmodi hominem insanire, qui, cum ex aliquo medicorum libro audiverit quandoque aliquid, et in medelas nonnullas inciderit, neque quidquam artis intelligat, medicum evasisse se putat. So. Quid vero, si ad Sophoclem et Euripidem diceret quis, scire se parva de se prolixam orationem habere, et contra de magna brevissimam, et, quoties velit, misericordiam movere, atque ejus contrarium, horrorem, et minas incutere, ceteraque similia, atque his docendis tragicam poësin se docere putaret? Phæ. Et hi, o Socrates, ut opinor, illum riderent, qui tragœdiam aliud quidquam putaret esse, quam istorum compositionem, et partibus inviorem, et toti convenientem. So. Non tamen rustice, ut arbitror, increparent, sed facerent perinde ac musicus aliquis, offendens hominem, censentem se musicum esse, ex eo quod sciat, quo pacto fides tum gravissimæ reddantur, tum acutissimæ. hic enim non acerbe quidem diceret, O miser, insanis: sed, utpote musicus, sic mitius admoneret, O vir optime, necesse est omnino hæc illum tenere, qui futurus sit musicus. nihil autem prohibet, eum, qui sic affectus est, ut tu, de harmonia nihil penitus intelligere. nempe quæ ante harmoniam necessaria sunt, agnoscis: harmoniam prorsus ignoras. [269] Phæ. Rectissime. So. Sic et Sophocles illum sibi obvium, quæ tragœdiam antecedunt potius, quam tragœdiam, habere diceret: et Acumenus medicus, medicinam præcedentia, non medicinam. Phæ. Ita prorsus. So. Quid vero, si mellificus Adrastus, aut Pericles, audirent, quæ nunc ipsi referebamus egregia verborum artificia, breviloquia, similitudines, et reliqua illa, quæ in lucem producta consideranda judicabamus: numquid censemus, illos, quemadmodum nos, præ rusticitate asperrime illis succensuros, qui talia scripserint docuerintque, tanquam rhetoricam facultatem? an potius, utpote nobis sapientiores, nos ita increpaturos; O Phædre atque Socrates, non succensendum est, sed ignoscendum, si qui disserendi ignari, definire quid rhetorica sit non possint: atque ita affecti, dum artem antecedentia possident rudimenta, rhetoricam invenisse se jactent, et ea docentes, oratoriam artem absolutam tradere profiteantur. singula vero istorum ad persuasionem disponere, totamque orationem contexere, quasi in his præceptore opus non sit,

Digitized by Google

oportere discipulos suos propria industria comparare. Phæ. Talis profecto, o Socrates, ars illa videtur esse, quam isti tanquam rhetoricam docent, et scribunt. ac mihi videris vera dixisse. Verum oratoris persuasorisque veri artem quonam pacto, et unde nobis vindicare poterimus? So. Consentaneum est, o Phædre, forte etiam necessarium, quemadmodum in ceteris, ita et in hoc certamine peragendo perfectum esse. quippe si tibi natura, ut sis orator, tribuerit, accedente doctrina et exercitatione excellens eris orator: si quid vero tibi istorum defuerit, mancus eris. Quanta vero ars hujusmodi sit, non ea via, quam Gorgias et Thrasymachus secuti sunt, sed alia potius, constare videtur. Phæ. Quanam maxime? So. Videtur, o vir optime, non injuria Pericles oratorum omnium perfectissimus exstitisse. Phæ. Cur? [270] So. Magnæ quælibet artes exercitatione dialectica, contemplationeque sublimium in natura rerum indigent. ipsa enim mentis sublimitas, et vis efficax in quavis re perficienda, hinc quodammodo proficisci videntur: quod Pericles ad ingenii acumen adjunxit. Anaxagoræ namque, hujusmodi rerum indagatoris, familiaritate fretus, contemplationi se tradidit, mentisque et dementiæ naturam illam comprehendit, de qua Anaxagoras diffuse disseruit. unde ad dicendi artem, quod ipsi conducere videbatur, traduxit. Phæ. Quomodo istud ais? So. Medendi artis atque dicendi eadem ferme ratio est. Phæ. Quonam pacto? So. In utrisque partiri naturam oportet, corporis quidem in una, in altera animæ: si modo non exercitatione solum et usu, verum etiam arte, corpori medicinas et alimenta ita sis præbiturus, ut et sanum et robustum efficias; animæ autem per rationes legitimasque institutiones persuasionem affatim virtutemque adhibiturus. Phæ. Ita verisimile est, o Socrates. So. Animæ vero naturam absque totius natura sufficienter cognosci posse existimas? Phæ. Si Hippocrati, Æsculapii successori, credendum est, neque etiam corporis naturam sine doctrina hujusmodi comprehendi posse putabimus. So. Scite loquitur, o amice. oportet autem præter Hippocratem considerare, utrum disputationis nobis ratio consonet. Phæ. Assentior. So. De naturæ igitur perscrutatione quid Hippocrates, et vera ratio dicat, attende. An non ita cujusque natura excogitanda est? primo quidem, utrum simplex illud sit, an multiplex, de quo et ipsi habere artem, et aliis dare posse desideramus: deinde, si est simplex, investigandum, quam, et ad quid in agendo, rursusque quam, et a quo in patiendo natura vim habeat. Quod si species habet multas, his dinumeratis in singulis similiter ac in uno, naturalis et agendi et patiendi vis inquirenda. Phæ. Sic apparet, o Socrates. So. Sine his vero progressio, tanquam cæci iter esse videtur. non tamen cæco vel surdo, qui arte tractat aliquid, est comparandus: sed patet, quod quisquis arte alicui sermones accommodat, naturam substantiæ illius exquisite monstrabit, cui sermones adhibet: id autem est anima. Phæ. Absque dubio. So. Nonne ad id studium illius omne contendit, [271] ut huic penitus persuadeat? Phæ. Prorsus. So. Constat igitur, quod Thrasymachus, et quicunque alius tradendæ incumbit rhetoricæ, primo quidem summa diligentia describere declarareque debebit, utrum anima naturaliter unum, et quiddam simile sit, an secundum formam corporis multiplex. hoc enim esse dicimus, naturam ostendere. Phæ. Omnino. So. Secundo, quid facere cuique, quidve a quoque pati queat, ostendere. Phæ. Certe. So. Tertio, distinctis sermonum animæque generibus atque affectibus, causas omnes percurrere, singula singulis accommodans, docensque, qualis anima, qualibus sermonibus, quamve ob causam necessario hæc quidem movetur, illa vero nequaquam. Phæ. Præclarissimum, ut videtur, hoc esset. So. Neque igitur hoc, o amice, neque aliud quidquam, si aliter tractetur, artificiose unquam tractabitur. Nostri vero in hac arte scriptores, quos ipse audisti, callidi sunt, et, animæ naturam pulcherrime cognoscentes, nos celant. Nos vero, priusquam hoc modo loquantur,

Digitized by Google

et scribant, nunquam ex arte eos scribere confitebimur. Phæ. Quem dicis modum? So. Verba quidem ipsa non facile dixerim. quo autem modo scribere oporteat, si arte scripturi simus, quoad fieri potest, exponam. Phæ. Dic, obsecro. So. Postquam dicendi facultas, quædam animi attractio ac perductio est: futurum oratorem necesse est, quot species animus habet, cognoscere. hæ vero tot talesque sunt, unde tales alii, alii tales efficiuntur. His ita distinctis, sermonum quoque tot talesque sunt species. Tales igitur animi, talibus quibusdam sermonibus certa quadam de causa ad talia quædam facile persuadentur: aliter vero affecti, aliquam ob causam minime. Oportet itaque hominem talia contemplatum, quando hæc in singulis fiunt jamque in ipsa re sunt, ea per sensum velociter assequi: alioquin nondum quidquam plus habere, quam verba sibi quondam a doctoribus tradita. At cum sufficienter potest dicere, qualis a qualibus sermonibus suadeatur, præsentemque hominem acute persentit eo ingenio præditum esse, [272] de quo antea fuerit disputatum, sicque ipsum esse talibus sermonibus ad talia compellendum: is ita instructus tunc demum perfecte artem hanc erit consecutus, cum ad superiora hæc adjunxerit, ut opportunitatem loquendi tacendique calleat, et usum abusumve breviloquii, commiserationis, vehementiæ acrioris, amplificationisque, ceterarumque partium orationis, a præceptoribus traditarum, recte cognoscat: prius vero nequaquam. Eum vero, qui horum quovis caruerit in dicendo, aut docendo, aut scribendo, dixeritque ex arte verba se facere, qui non persuadetur, exsuperat. Ceterum scriptor ita forsitan nos compellabit: O Phædre atque Socrates, itane prorsus, an aliter, dicendi artem capessendam esse censetis? Phæ. Impossibile est, o Socrates, aliter: quamvis non parvum id opus appareat. So. Vera loqueris: atque horum causa oportet, omnibus sursum deorsumque sermonibus revolutis, perquirere, numquid via ad illam ulla facilior breviorque occurrat, ne temere per longam et asperam pererremus, cum liceat per brevem et planam incedere. Quare si quam tu opem affarre potes per ea, quæ a Lysia, vel aliquo alio accepisti, revoca in memoriam, et expone. Phæ. Experiundi causa possem quidem, non tamen ad præsens. So. Visne ego tibi et sermonem recenseam, quem aliquando de hujusmodi rebus audivi? Phæ. Quidni? So. Fertur justum esse, o Phædre, lupi illud dicere. Phæ. Ac tu ita facias. So. Aiunt utique, nihil oportere ista tantum extollere: neque ad superna longo ambitu disputationem efferre. quippe, sicut in disputationis principio diximus, oratorem futurum non oportere veritatem nosse de justis, et bonis, sive rebus, sive hominibus, natura vel educatione talibus. nam in judiciis *nulli* prorsus istorum veritatem, sed persuasionem, curæ unquam esse solere. Id autem esse verisimile, ad quod mentem intendere debeat, qui sit arte disturus. neque facta dicenda esse aliquando, nisi probabile sit, facta fuisse; sed tam in accusatione, quam defensione, semper verisimilia inducenda: et omnino dicentem, verisimile quidem persequi, verum autem negligere. [273] hoc enim si in omni oratione servetur, perfectam artem oratoriam exhibere. Phæ. Ea narrasti, o Socrates, quæ dicunt, qui artem rhetoricam profitentur. memini enim, id nos in superioribus breviter attigisse. videtur autem hoc magnum quiddam esse his, qui in hac arte versantur. sed et Tisiam ipsum graviter pessumdedisti. So. Dicat ergo id quoque nobis Tisias, numquid aliud probabile et verisimile nuncupet, quam quod vulgo videtur. Phæ. Quidnam aliud? So. Hoc præterea scitum et artificiosum invenisse et scripsisse videtur, quod si quis imbecillis et audax, cum robustum quendam timidumque verberibus cæsum spoliaverit, in judicium deducatur, neutrum istorum verum confiteri oportet: sed timidum quidem dicere, non a solo audace illo esse se cæsum: audacem vero hoc refellere,

Digitized by Google

solos fuisse monstrantem, atque ad tale quiddam confugere: Quonam pacto, imbecillis cum sim, robustam hunc invasissem? Ille autem timiditatem suam non dicet, sed falsum aliquid excogitans, forte adversarium arguet. Atque in aliis etiam talia quædam sunt, quæ arte dicuntur. an non sic est, o Phædre? Phæ. Ita prorsus. So. O quam callide abstrusam artem adinvenisse videtur Tisias, vel quicunque alius fuerit, vel quocunque alio cognomine delectetur. Sed numquid hoc, o amice, dicemus, an non? Phæ. Quid istud? So. O Tisia, jampridem, ante accessum tuum affirmabamus, probabile istud et verisimile vulgo non aliter, quam per veritatis similitudinem, fieri. similitudines autem veri ab eo, qui veritatem novit, aptissime ubique reperiri posse asserebamus. Quapropter, si aliud quidquam de hac arte dixeris, auscultabimus quidem: sin minus, his, quæ paulo ante diximus, fidem præstabimus, quod videlicet, nisi auditorum quis ingenia noverit distinxeritque, atque res ipsas in species suas discreverit, rursusque singula idea una comprehenderit, nunquam dicendi artem, quoad homini licet, adipiscetur. hæc autem sine longo studio assequetur nunquam. In quo non ideo insudabit vir prudens, ut dicere et agere ad homines possit, sed ut ea potius et loqui et facere, quæ Diis grata sint, valeat. Viri enim nobis sapientiores, o Tisia, virum mentis compotem aiunt non id meditari debere, [274] ut conservis suis, nisi prout contigerit, obsequatur; sed ut dominis bonis, atque ex bonis, obtemperet. Quamobrem si longior sit circuitus, ne mireris. non enim ut ipse putas, sed magnarum rerum gratia, circumeundum. erunt autem, ut ratio dictat, si quis voluerit, ista quoque pulcherrime ex illis effecta. Phæ. Perpulchre admodum dici hoc videtur, o Socrates: modo aliquis assequi possit. So. At præclarum est, ad præclara semper anniti, et, quidquid contigerit, tolerare. Phæ. Valde. So. De arte hactenus et inscitia orationis sit dictum. Phæ. Satis profecto. So. Reliquum est, ut de scribendi decore et indecentia, quo modo fiat, disseram. Phæ. Plane. So. Scisne, quo pacto maxime de sermonibus dicendo, vel agendo, Deo placere potes? Phæ. Minime. tu vero? So. Audivi equidem nonnulla e veteribus tradita: verum autem ipsi intelligunt. id vero si nos inveniremus, numquid humanarum opinionum nobis amplius cura esset? Phæ. Ridicula sane interrogatio: sed, quæ audisse dicis, recensa. So. Audivi equidem, circa Naucratim Ægypti priscorum quendam fuisse Deorum, cui dicata sit avis, quam Ibim vocant: dæmoni autem ipsi nomen Theuth. hunc primum numerum et computationem invenisse numerorum, geometriamque, et astronomiam: talorum rursus alearumque ludos, et literas. Erat tunc totius Ægypti rex Thamus, et in eminentissima amplissimaque civitate, quas Græci Ægyptias Thebas appellant: Deumque ipsum Ammonem vocant. Ad hunc Theuth profectus, artes demonstravit suas, dixitque, eas distribui deinceps Ægyptiis ceteris oportere. Verum ille, quæ cujusque utilitas foret, interrogavit: et, ipso referente, quod bene dictum videbatur, probabat quidem; quod contra, vituperabat. ubi multa de qualibet arte in utramque partem Thamus fertur Theuthi ostendisse, quorum singula si enarrare pergamus, prolixior erit oratio. Cum vero ad literas descendissent, Disciplina hæc, inquit Theuth, o rex, sapientiores magisque memoriosos Ægyptios faciet. memoriæ namque et sapientiæ remedium id est inventum. At ille, O artificiosissime Theuth, inquit, alius quidem ad artis opera fabricanda idoneus est, alius ad judicandum promptior, quid emolumenti vel damni sint utentibus allatura. atqui et tu literarum pater, [275] propter benevolentiam contrarium, quam efficere valeant, affirmasti. nam illarum usus, propter recordationis negligentiam, oblivionem in animo discentium pariet: quippe qui, externis literarum confisi monumentis, res ipsas intus animo non revolvent. quamobrem non

Digitized by Google

memoriæ, sed commemorationis, remedium invenisti. sapientiæ quoque opinionem potius, quam veritatem, discipulis tradis. nam cum multa absque præceptoris doctrina perlegerint, multarum rerum periti vulgo, cum ignari sint, videbuntur, consuetudine quoque molestiores erunt, utpote qui non sapientia ipsa sint præditi, sed opinione sapientiæ subornati. Phæ. Facile tu, o Socrates, Ægyptios, et alios cujusvis gentis sermones facis. So. At, o amice, qui in Jovis Dodonæi templo versantur, ex quercu sermones primos fatidicos erupisse asserunt. priscis itaque illis, utpote qui non ita, ut vos recentiores, sapientes erant, satis erat ob eorum inscitiam petras et quercus audire, modo vera pronunciarent. tu forsitan interesse censes, quisnam cujusve sit, qui dixerit. non enim id solum consideras, verane an falsa dicantur. Phæ. Recte admodum increpuisti, ac mihi videtur ita in literis evenire, ut Thebanus ait. So. Igitur quicunque se putat sic artem aut mandare literis, aut mandatam suscipere, ut certum quiddam et firmum ex literis sit futurum, admodum ineptus est, ac revera Ammonis vaticinium prorsus ignorat, cum plus aliquid in scriptis esse credat, præter id quod scienti res ipsas, quæ in literis significantur, commemorant. Phæ. Rectissime. So. Grave id habet, o Phædre, scriptura, et pictura revera persimile. picturæ namque opera tanquam viventia exstant: si quid vero rogaveris, verecunde admodum silent. Non aliter sermones putabis fortasse quasi aliquid ipsos intelligentes dicere. verum si sciendi avidus ab iis dictorum aliquid scisciteberis, idem in his semper et unum significatur: omnisque sermo, cum semel scriptus est, passim revolvitur seque apud intelligentes, atque alios, inter quos minime decet: nescitque dicere, quibus oportet, et quibus non oportet. Injuria vero immerito contumeliaque affectus, patris semper eget præsidio. ipse enim neque adversario repugnare, neque opem ferre sibi ipsi potest. Phæ. Hæc quoque recte abs te dicta videntur. [276] So. Quid porro? alium videmus sermonem hujus fratrem, quemadmodum legitimus sit, et quanto melior atque potentior, quam iste, nascatur? Phæ. Quem istum? et quomodo fieri dicis? So. Eum, inquam, qui in animo discentis cum scientia scribitur, quia sibi ipsi auxiliari potest, intelligitque apud quos loquendum sit, apud quos tacendum. Phæ. Scientis sermonem dicis viventem, et animatum, cujus oratio scripta simulacrum quoddam non injuria nuncupabitur. So. Omnino. sed hoc quoque mihi dicas. Mentis compos agricola numquid carissima sibi semina, quorum fructus exspectat, æstate in Adonis hortis summo studio et diligentia sparget, ut octo diebus speciosos inde flores aspiciat? an potius, si quando id egerit, festi cujusdam diei ludique gratia faciet? at ubi serio agens agriculturæ studium adhibuerit, seret quidem, ubi convenit, et satis se consecutum putabit, si octo mensium intervallo satio sua ad fruges pervenerit? Phæ. Ita prorsus, o Socrates, illa quidem joco, ut ais, hæc autem serio faciet. So. Hominem vero, justorum, honestorum, bonorumque scientiam possidentem, agricola imperitiorem ad semina sua spargenda putabimus? Phæ. Minime omnium. So. Non igitur in aqua nigra studiose ipsa calamo cum sermonibus seminabit, cum succurrere illis perlectantibus nequeat, nequeat et ex ipsis veritatem sufficienter ostendere. Phæ. Certe id non est consentaneum. So. Non sane. Ceterum hortos quidem literarum, ut ludi causa, ut videtur, seret atque describet; et postquam scripserit tanquam monumenta thesaurosque ad senectutis futuræ oblivionem, tam sibi, quam ceteris vestigiorum eorundem sectatoribus, lætabitur utique, natos jam tenellos suos fructus inspiciens: ceterisque hominibus ludos alios sequentibus, et convivia horumque similia celebrantibus, ipse interim, his omissis, in sermonum oblectamentis vitam ducet. Phæ. Præclarissimum pro aliorum vilissimo narras, o Socrates,

Digitized by Google

ejus ludum, qui potest in sermonibus ludere, ac de justitia, et aliis, quæ tu dicis, confabulari. So. Est ita profecto, amice Phædre. sed multo mea sententia in his præclarius studium, quando quis arte dialectica utens, animam nactus idoneam, sermones cum scientia plantat, et seminat, qui et sibi ipsis, et satori suo afferre opem possunt, fructusve producunt, et semina reddunt. [277] Unde alii, in moribus aliis nati, id semper munus immortale servare possunt, atque eum, qui hæc habet, beatissimum, quoad homini licet, efficiunt. Phæ. Multo id quoque præclarius. So. Nunc jam illa, o Phædre, his concessis, discernere possumus. Phæ. Quænam? So. Ea videlicet, quorum cognoscendorum gratia hucusque descendimus, ut vituperationem Lysiæ discuteremus in ipsa scribendi arte, sermonesque ipsos, qui vel arte, vel sine arte scribuntur. artificiosum quidem, et artis expers, satis jam declarasse videmur. Phæ. Sic apparet. So. Meminisse rursus oportet, non prius posse aliquem dicendi artem ad summum callere, ad persuadendum atque docendum, ut ratio superior nobis ostendit, quam veritatem earum rerum, quas dicit aut scribit, cognoverit, universamque rem definire, et, definitione posita; rursus secundum species usque ad individua dividere noverit: atque hac ratione animam contemplatus, et quid cuique ingenio congruum est aucupatus, ita maxime disponat exornetque sermonem, variæ quidem animæ varios, et harmonia multiplices, simplici vero simplices sermones accommodans. Phæ. Sic prorsus apparuit. So. Quid autem de illa quæstione dicemus, quam supra tetigimus? honestumne an turpe sit orationes componere, et quomodo studium hoc jure vituperari queat, quomodo nequeat? Num superiora nobis hoc satis declaraverunt? Phæ. Quænam illa? So. Quippe, sive Lysias, sive alius quispiam scripsit quandoque, aut scribit, scribetque privatim quidquam, vel publice civiles quasdam constitutiones, ita ut suis in scriptis magnam quandam stabilitatem et certitudinem putet inesse, turpe id esse scriptori, sive dicatur a quoquam, sive non dicatur, putandum est. siquidem ignorare quid verum sit, quid falsum, de justis et injustis, de bonis et malis, etiamsi vulgus universum laudaverit, fieri nunquam potest quin sit revera turpissimum. Phæ. Turpissimum. So. Contra, qui scripta ludis ut plurimum jocisque necessario similia censet, orationemque nullam aut solutam, aut poëticam, magno componendi studio dignam esse ducit, instar eorum, quæ sine dijudicatione et doctrina persuasionis gratia carminibus recitari consueverunt: [278] sed revera sermonum illorum optimos commemorandi scientibus causa fuisse compositos: in sermonibus autem, qui docendi discendique causa dicuntur, ac vere scribuntur in animo de justis, honestis, et bonis, duntaxat perspicuitatem perfectionemque inesse, eosque solos studio dignos existimat: judicatque sermones hujusmodi filios suos legitimos esse vocandos, primum quidem eum, qui sibi inest, si modo sit adinventus, deinde si qui hujus filii et fratres simul in aliis aliorum animis pro dignitate innati sunt, reliquos autem postponit: hic vir, inquam, talis, o Phædre, videtur esse, quales esse nos exoptaremus. Phæ. Equidem, quæ dicis, cupio prorsus, et voto precor. So. Sed hæc jam satis a nobis de arte dicendi, quasi illudentibus dicta sint. Quare Lysiæ dicas, nos ad Nymphæ fontem Musarumque cœtum profectos, sermones quosdam audisse, qui dicere jusserunt Lysiæ, ceterisque orationum scriptoribus, Homero præterea, et si quis alius nudam poësim, vel cantu exornatam composuit, Solonі postremo, et omnibus, qui civiles institutiones literis mandaverunt: quod si veritatis consciі talia composuerunt, possuntque sua in discussionem tracta defendere, ac dicendo scripta verbis viliora monstrare, non utique ab his, quæ calamo luserunt, sed ab aliis potius, quæ serio excogitarunt, cognominandi videantur. Phæ. Quænam cognomina, et quo pacto accom-

Digitized by Google

modas? So. Sapientis cognomen, o Phædre, magnum, solique Deo convenire videtur. Philosophi vero, aut similis alicujus cognomine, ejusmodi viros, quales modo descripsimus, convenientius modestiusque nuncuparemus. Phæ. Certe non dedecet. So. Eum igitur, qui nulla habet in se præstantiora iis, quæ conscripsit, et sursum deorsumque retorquens, diuturna emendatione addendo, vel subtrahendo composuit, jure poëtam vel orationum legumve scriptorem cognominabis? Phæ. Quidni? So. Hæc itaque amico referas tuo. Phæ. Tu vero quid facias? neque enim amicus tuus prætermittendus. So. Quis iste? Phæ. Isocratem probum, inquam. quid illi nuntiabis? o Socrates. quem esse dicemus? [279] So. Juvenis adhuc Isocrates est, o Phædre. quid autem de illo præsagiam, non præteribo. Phæ. Quidnam? So. Videtur mihi præstantiori ingenio esse, quam Lysiam sua scripta demonstrent. præterea moribus generosioribus præditus. quamobrem nihil mirum putarim, si, crescentibus annis, in arte dicendi, cui nunc incumbit, magis, quam viri pueris, omnibus, qui eloquentiæ unquam se tradiderunt, excellat: atque his etiam studiis non contentus ad majora diviniore quodam instinctu feratur. inest enim, o amice, ipsa natura philosophia quædam illius ingenio. Hæc ego, ab iis Diis accepta, Isocrati mihi dilectissimo nuntio: tu illa, Lysiæ tibi carissimo. Phæ. Ita fiet. sed abeamus hinc, cum æstus nonnihil jam deferbuerit. So. Vota prius his facienda sunt, quam abeamus. Phæ. Quidni? So. O amice Pan, et alii omnes, qui locum hunc colitis, Dii, date mihi, ut pulcher intus efficiar: et quæcunque extrinsecus habeo, intrinsecis sint amica. divitem autem sapientem solum existimem. tantum vero mihi sit auri, quantum nec ferre nec ducere queat alius, nisi vir temperans. Numquid aliud orandum censes, o Phædre? mihi enim satis est optatum. Phæ. Mihi quoque eadem opta. amicorum enim communia omnia. So. Abeamus.

Digitized by Google

LYSIS.

SOCRATES, HIPPOTHALES, CTESIPPUS, MENEXENUS, LYSIS.

[203] Cum ex Academia Lyceum versus per ipsa suburbia proficiscerer, pylidi, ubi fons est Panopius, propinquavi, et ibi Hippothalem Hieronymi filium, et Ctesippum Pæaneum, aliosque una cum his adolescentes offendi. Cum me Hippothales venientem videret, O Socrates, inquit, quonam et unde? At ego, Ex Academia Lyceum versus. Tum ille, Adesdum, neque ulterius progrediaris. Ad hæc equidem, Decet, inquam: sed ubinam, et apud quos vestrum esse me vultis? Ille vero, e regione murorum ostendens gymnasium quoddam circumseptum, et januam apertam: Hic, ait, manere te volumus. hic autem ipsi et alii multi, et quidem honesti, nos exercemus. So. Qua potissimum in re est hæc vestra exercitatio? Hip. In palæstra, quæ nuper est constituta: [204] ac ut plurimum in sermonibus, quos tecum libenter communicaremus. So. Recte agitis. Sed quis ibi præceptor? Hip. Socius tuus et laudator Miccus. So. Per Jovem, non ignaras ille quidem, sed sophista peritus. Hip. Visne me intro sequi, ut eos, qui ibi sunt, videas? So. Id in primis libenter audirem, ad quid ingrediar, et quis honestior adsit. Hip. Alius alii videtur, o Socrates. So. Tibi vero quis honestior, o Hippothales? dic, obsecro. At ille interrogatus obticuit. Tum ego, O Hieronymi fili Hippothales, utrum diligas quempiam, necne, nil opus est ut aperias. novi enim, quam vehementer honestissimos quosque diligere soleas. Etenim ceteris in rebus hebes et inutilis sum: id autem unum mihi munus a Deo datum, ut primo aspectu amicos agnoscam. Ad hæc ille nihil respondit. Verum Ctesippus, Quam urbanus es, inquit, Hippothales, quod amici tui nomen Socrati referre nolis! quod si paulisper tecum iste versetur, audiet te multa de illo loquentem. nobis jam, o Socrates, aures implevit nomine Lysidis. solum vero postquam subbibit, paulum requiescimus. et e somno exciti, ilico nomen Lysidis audire videmur. Et quæ soluta oratione iste pronuntiat, apte quidem et concinne dicta, minus tamen vehementia sunt: at quotiens nostra poëmata scriptaque usurpare et effundere nititur, vehementius agit; et quod gravius est, alta admodum voce in amicos quotidie cantat, quam nos tolerare necesse est. modo vero a te rogatus obticuit. Juvenis, inquam, Lysis hic esse videtur. nam audiens ejus nomen, haud agnovi. Tum ille, Raro nomen ejus enuntiatur: sed ex patris nomine, cum sit vir admodum nobilis, adhuc juvenis ipse significatur. id enim mihi persuadeo, permultum abesse ut figuram ejus ignores: adeo namque honesta indole præditus est, ut vel ea sola notus omnibus esse possit. Cujus, inquam, filius est? dicite, quæso. Democratis, inquit, Æxonei major natu filius. At ego, En, o Hippothales, quam generosam constantemque benivolentiam nactus es. Age, mihi quoque quæ et istis ostende, [205] ut videam, utrum scias, quæ de amicis amicum decet ad se et ad alios dicere. Hip. Quid ex iis, quæ iste loquitur, perpendis, o Socrates? So. Utrum diligere te illum, quem dixit, neges? Hip. Nequaquam, sed nihil effin-

Digitized by Google

gere aut scribere in illos aio. Ad hæc Ctesippus: Haud sana mentis hic est, sed delirat atque insanit. So. O Hippothales, nec carmina, nec etiam cantilenam, si quam in amicos composuisti, audire admodum curo: sed qua mente in illos sis, intelligere cupio. Hip. Ctesippus iste tibi referet. novit enim meminitque: si quidem, ut ipse ait, quotidie audiens a me obtunditur. Cte. Et maxime quidem per deos. nam quam ridiculum est, ut cum iste hunc præ ceteris diligat, nihil tamen ex ingenio suo, quod non etiam quivis puer possit, afferre valeat. Quæ autem civitas universa de Democrate et Lyside hujus avo, deque omnibus illorum majoribus prædicat, eadem et ipse circumfert, divitias, equorum copiam, victorias in Pytho, Isthmo, et Nemea, quadrigis et equis: nec non istis antiquiora. Nam pridem nobis hospitium conviviumque in poëmate quodam retulit: quo quidem ex majoribus Lysidis Herculem quondam ob cognationem excepit: quippe cum ille quoque ex Jove et filia cujusdam principis populi natus esset: quæ anicolæ etiam cantant: ceteraque hujusmodi permulta, o Socrates. Hæc sunt, quæ iste narrando canendoque audire nos cogit. So. O ridicule Hippothales, antequam viceris, laudationem in te ipsum effingis atque decantas. Hip. Non in me ista, o Socrates, prædico. So. Non ut putas. Hip. Qui istuc dicis? So. Maxime omnium in te unum odæ istæ redundant. nam si amicum talem apprehenderis, ornamento tibi erunt laudes ejusmodi, tanquam triumphatori cuidam, cum amicum hujusmodi nactus fueris. sin autem fefellerit, quo majores illi laudes attribueris, eo majorum expers bonorum, magis quoque ridiculus judicaberis. [206] Quicunque igitur in comparandis amicis sapiens est, non prius quenquam eorum laudat, quam ipsorum familiaritatem fuerit assecutus. futura namque formidat. plerique enim, cum laudari se et extolli sentiunt, fastu tumescunt. an non idem tibi videtur? Hip. Mihi vero. So. Nonne quo superbiores sunt, eo difficilius capiuntur? Hip. Verisimile est. So. Qualis tibi venator ille videretur esse, si quis ita feras expelleret, ut et tutiores fierent, et capi difficilius in posterum possent? Hip. Iners videlicet. So. Atqui sermonibus cantibusque non demulcere, sed exacerbare potius homines, labor est a Musis admodum alienus. Hip. Videtur. So. Vide igitur, o Hippothales, ne iis omnibus obnoxium reumque te ob poësis studium reddas. arbitror sane, nullum te bonum poëtam existimaturum, qui se ipsum poëmate læserit. Hip. Nullum per Jovem. quæ enim hæc esset absurditas? Ob hanc profecto causam tecum, o Socrates, mentem meam communico: et si quid habes aliud, consule, qua ratione quis aut dicendo, aut agendo, conciliare sibi quos diligit, possit. So. Non facile dictu est. Verum si hunc mecum colloquio jungeres, tibi forte ostenderem, quæ illi dicenda sint, pro his quæ loqui te et canere erga illum isti narrarunt. Hip. Nihil impedimento fuerit. si enim una cum Ctesippo hoc ingrediaris, et ibi sedens disputes, ipse tibi, ut arbitror, adhærebit. nam audiendi apprime avidus est. ac etiam ibi Mercurialia celebrantes juvenes in unum conveniunt. ad te igitur adventabit: et nisi id fecerit, memento illum Ctesippi familiarem esse propter Menexenum hujus nepotem, cujus ille socius est carissimus. Accersat itaque iste illum, si minus ipse per se accesserit. Sic agendum est, inquam. et simul apprehenso Ctesippo, in palæstram prosecutus sum: et alii nos a tergo secuti sunt. ingressi autem invenimus sacras cerimonias ferme peractas, juvenesque comptos, calculis talisque ludentes: partim in ipso vestibulo extra ludebant, partim in gymnasii angulo paris imparisve jactu exercebantur, calculos e calathis quibusdam extrahentes. hos intuentes alii circumstabant: e quibus Lysis erat, [207] qui adstabat inter juvenes coronatus, et omnibus indole præstans, nec pulcher tantum, sed et honestus et bonus existimandus. nos autem e conspectu, ubi quieti locus erat, consedimus invicem

Digitized by Google

discesserat. conversus Lysis, frequenter in nos oculos conjiciebat, utpote qui propius accedere cuperet, sed solus accedere verebatur. Interim Menexenus inter ludendum ex aula ingressus est, meque et Ctesippum conspicatus, consessum venit. quem Lysis intuitus, secutus est, et juxta eum assedit. adventarunt insuper alii. Hippothales autem postquam multos convenisse perspexit, latere cupiens, ea se recepit, qua videri non posse a Lysida arbitrabatur, ne forte illi molestus foret: et sic adstans audivit. Ego vero Menexenum inspiciens, O fili Demophontis, inquam, uter vestrum natu major? Ambigimus, respondit ille. Cui insuper addidi: Numquid etiam uter generosior sit ambigitis. Et istud. An etiam uter honestior sit. Subriserunt ambo. Uter vestrum ditior sit, haudquaquam interrogabo. amici namque estis. nonne? Et maxime quidem, responderunt. Amicorum vero communia omnia. quapropter hoc nihil differtis, si quidem id vere de amicitia dicitis. Consenserunt. Sed cum percontari vellem, uter justior et sapientior esset, interrupit nos quidam, qui Menexenum accersivit, dicens illum a gymnasii magistro vocari. vicus enim mihi est sacrorum antistes. Abiit igitur: et ego Lysidem interrogavi: Dic age, o Lysis, vehementer te pater ac mater amant? Ly. Valde. So. An non beatissimum fore te cupiunt? Ly. Quidni? So. Videtur tibi beatus ille, qui servit, et cui nihil eorum, quæ concupiscit, agere licet? Ly. Non per Jovem. So. Ergo si te pater et mater amant, beatumque fieri volunt, id omni opera diligentiaque curabunt, ut beate vivas. Ly. Quid prohibet? So. Permittent itaque quodcunque lubet efficere, nec tuis cupiditatibus adversabuntur. Ly. Per Jovem, o Socrates, mihi in plurimis obstant. So. Qui istuc ais? dum te fore beatum exoptant, te impediunt, quo minus voti tui compos efficiaris? [208] Responde ad hæc. Si cuperes aliquo patris tui curru pervehi, capiens habenas, quando pugnat, numquid permitteret? Ly. Nihil minus. So. Quem ergo permitteret? Ly. Est auriga quidam a patre meo mercede conductus. So. Quid ais? mercenario parentes tui concedent potius, quam tibi, liberam equorum administrationem? et argentum præterea hujus operis causa erogabunt? Ly. Sed quidnam? So. Mulos vero jugatos ducere, loriaque cædere tibi concedent? Ly. Cur mihi concesserint? So. Nulline verberare hos licet? Ly. Et valde quidem, mulioni videlicet. So. Servo, an libero? Ly. Servo. So. Servum itaque pluris faciunt, quam te filium: liberiusque agendi arbitrium exhibent. Quin etiam ad hæc mihi responde. Tene tibi ipsi dominari permittunt, an non? Ly. Neque id ullo pacto. So. Quis tibi dominatur? Ly. Pædagogus. So. Nunquid servus? Ly. Servus noster. So. Quam onerosissimum est, ut liber servo subjiciatur. Sed quid agendo prædagogus iste tibi imperat? Ly. Dum ad magistros me ducit. So. Et hi quoque præceptores tibi imperant? Ly. Omnino. So. Multos igitur dominos principesque tibi pater sponte præposuit. Sed cum domum ad matrem redieris, tene sinit quidquid placeat agere, ut beatus sis, vel circa lanificium, vel circa telam, quando texit? an gladium forcipesque, radium ac pecten, ceteraque lanificii instrumenta attrectare sinet? Ly. Non vetaret solum, sed et cæderet, si tangere auderem. So. Pro Deus, injuriamne patri vel matri aliquam intulisti? Ly. Nullam prorsus. So. Quam ob causam te beatum fore, et arbitratu tuo disponere singula nolunt, et quotidie te sic educant, ut semper alicui servias, et, ut brevi complectar, nihil pro tua voluntate agas? quo fit, ut nihil tibi prodesse tam amplis divitiis videantur: quandoquidem quivis magis, quam tu, has administrat: et quod majus est, [209] nec etiam corpus tam generosum, quippe cum alius hoc alat et colat: tu autem nullum habes imperium, o Lysis, nec ullius voti compos efficeris. Ly. Nondum per ætatem licet, o Socrates. So. Vide, ne minus id sit, quod tibi

Digitized by Google

impedimento est, o Democratis fili. nam ista, ut arbitror, et pater et mater tibi concedunt: nec ætatem provectiorem exspectant, quoties legi scribive sibi aliquid optant, tibi enim præ ceteris domesticis ista committunt. Ly. Maxime. So. In his tibi licet tam scribendo, quam legendo, quemvis ordinem literarum servare. et quando lyram sumis, nihil prohibent, ut opinor, parentes tui, quo minus intendas, vel remittas chordarum quamlibet, et frices, et pulses plectro. Ly. Non certe. So. Quid in causa est, o Lysis, quod in iis permittant, in superioribus prohibeant? Ly. Quoniam ista quidem scio, illa contra ignoro. So. En, o optime Lysis, non ætatem exspectat pater ad licentiam tibi exhibendam: sed perfectum ingenium. Etenim cum primum te senserit se ipso prudentiorem effectum, illico et tua omnia, et te libere tibi committet. Ly. Spero equidem. So. Quid porro vicini, nonne eadem ratione se, quæ et parentes, erga te gerent? Vicinum censes tibi suæ domus commissurum gubernationem, si te intellexerit in re familiari peritiorem esse, an ipsum per se ministraturum? Ly. Mihi commissurum puto. So. Athenienses quoque dubitas, quin rempublicam tibi commendent, cum primum te in his rebus prudentiorem aliis esse perceperint? Ly. Non dubito. So. Quid rex magnus? utrum ejus filium natu majorem, cujus Asiæ regnum futurum est, permittet in elixarum carnium jus quidquid velit injicere, potius quam nos, si illi persuaserimus popinæ peritiores esse, quam filium? Ly. Nos videlicet. So. Et filium nihil prorsus; nos autem, etiam si salis multum capientes, immittere vellemus, certe permitteret. Ly. Quidni? So. Et si filius ejus oculis ægrotaret, numquid permitteret cum sibi oculos attrectare, an prohiberet, cum medicum illum non existimaret? Ly. Prohiberet sane. [210] So. Nos autem, si modo putaret peritos medicos esse, nil impediret, etiam si vellemus patefactis palpebris, et cinere superinfuso, curare? Ly. Vera loqueris. So. Quin etiam cetera omnia nobis committeret, potius quam sibi, vel filio, in quibus sapientiores esse putaret. Ly. Necesse est, o Socrates. So. Sic se res habet, amice Lysis: singula, in quibus prudentes sumus, cuncti nobis concedent, et Græci, et Barbari, tam viri, quam mulieres, et in iis arbitrata nostro agemus: nec ullus sponte nobis obstabit, quo minus et nos liberi simus, et aliorum duces: et cum nobis ista conferant, nostra erunt. Quæ vero ignoramus, nemo nos ut lubet, agere permittet: sed omnes pro viribus repugnabunt, non extranei tantum, verum parentes etiam, et quod nobis propinquius est: nos quoque ipsi, non nobis, sed aliis ministrantibus: et ista cum nullo nobis emolumento sint, a nobis aliena existent. consentis? Ly. Consentio equidem. So. Alicuine hominum amici erimus, amabitque nos aliquis in his rebus, in quibus inutiles sumus? Ly. Nunquam. So. Ergo nec te pater, nec ullus alium quenquam diligit, quatenus est inutilis. Ly. Non, ut videtur. So. Si itaque sapiens evaseris, omnes amici tibi et familiares erunt. utilis enim et bonus eris. sin minus, nec alius quisquam tibi, nec parentes, neque propinqui, amici erunt. Potestne aliquis in his superbe sapere atque gloriari, in quibus nondum quidquam sapit? Ly. Qui isthuc fieri potest? So. Si tu præceptore indiges, nondum sapis. Ly. Nondum certe. So. Non ergo superbe sapis, si nil sapis. Ly. Non per Jovem, ut mihi videor. So. Quæ cum audissem, in Hippothalem converti oculos, atque parum abfuit quin offenderim. O Hippothales, hoc pacto cum adolescentibus disputandum, corripiendo illos atque dejiciendo; non blandiendo, ut ipse agis, et efferendo. Sed cum vidissem illum animum turbatumque ex ante dictis, recordatus sum, quod dudum præsens Lysidem latere volebat. recepi ergo me ipsum, linguamque cohibui. [211] Interea reversus Menexenus, juxta Lysidem, unde surrexerat, requievit. Tum Lysis gratiose admodum et amice, a Menexeno seorsum mihi susurravit ad aures: O Socrates, quæ mihi,

Digitized by Google

eadem, obsecro, Menexeno quoque edisseras. Ipse, inquam, Lysis, illi referes. nam attente nos auscultasti. Attente sane, respondit ille. Da igitur operam, ut diligenter reminiscaris, quo illi singula perspicue referas. quod si quid forsitan subterfugerit, rursus a me requires, cum me primum conveneris. Navabo operam, et maxime quidem, ille respondit. sed novi saltem aliquid illi dicas, ut ego audiam, donec redeundi domum sit hora. At ego, Agendum est, præsertim cum ipse jubeas. sed cogita, qua ratione mihi opituleris, si me refellere Menexenus iste contenderit. an non contentiosum esse illum audisti? Ly. Prorsus: et idcirco te cum illo disputantem audire percupio. So. An ut ridiculus habear? Ly. Absit. immo ut illum castiges atque coërceas. So. Haud facile est. vehemens enim et facundus est, Ctesippi discipulus. adest præterea quin etiam Ctesippus ipse. an non vides? Ly. Nihil verearis, o Socrates. age, obsecro, disseras. So. Disserendum videtur. Verum ista nobis seorsum ab aliis colloquentibus, Cur, inquit Ctesippus, soli hæc inter vos agitatis? quin aliis etiam vestra hæc impertite. Impertiendum esse, respondi. hic porro non nihilex iis, quæ conferimus, minus percipit, putatque Menexenum intelligere: quocirca percontari ab illo me jubet. Cte. Quid non interrogas? So. Interrogabo. dic, amabo, o Menexene, quod abs te quæram. Innata mihi est ab ineunte ætate possessionis unius cupiditas quædam, quemadmodum et aliis. ut ecce quidam equos desiderat, aliquis canes, alius aurum, honores alius. hæc equidem parvi facio, nec multum ista me movent: adquirendorum autem amicorum desiderio flagro. Quare amicum bonum habere malim, quam pretiosissimam coturnicem, aut gallum: et per Jovem, potius quam equum atque canem: ac medius fidius, potius quam Darii aurum adipisci, vel ipsum Darium capere, optimum amicum eligere. Videtis, quam sim amicitiæ avidus. Quando igitur te et Lysidem animadverto, [212] stupeo profecto, vosque felices existimo, quod in tam tenera ætate constituti, tantum munus brevi et facile consecuti fueritis, et tu hunc tibi tam facile tanta benevolentia conciliaveris, et hic te mutuo sit amore complexus. Tantum vero a me munus id abest, ut nec etiam quo pacto alter alteri amicus fiat, intelligam. Ceterum hæc abs te, tanquam perito, quærere cupio. quare mihi respondeas, oro. Quando quis aliquem diligit, uter utrius amicus efficitur? amansne amati, an amatus amantis? an nihil interest? Me. Nihil interesse mihi videtur. So. Quid ais? ambo invicem amici fiunt, quandoquidem solus alter alterum diligit? Me. Mihi quidem videtur. So. Quid porro? an non reperiri potest amans quidam, cui amatus haud vicissim in amore respondet? Me. Potest. So. Numquid et odio haberi amatorem sæpe contingit? quod nonnunquam amatoribus erga amatos accidit. amantes enim quam ardentissime nonnunquam, minime redamantur: immo et odio quandoque habentur. an non vera tibi dicere videor? Me. Verissima. So. Nonne in his hic quidem amat, ille autem amatur? Me. Certe. So. Uter ergo utrius est amicus? amansne amati, sive redametur, sive odio habeatur? an amatus amantis? an neuter neutrius tunc est amicus, cum non utrique vicissim amant? Me. Sic se res habere videtur. So. Aliter itaque nunc, quam supra, censemus. tunc enim visum est, si alter solum diligat, ambos amicos esse: nunc contra; nisi uterque diligat, neutrum amicum esse dicendum. Me. Apparet. So. Nihil igitur illi amicum est, qui amat id, a quo minime redamatur. Me. Non videtur. So. Ergo nec amici equorum sunt, quos equi non mutuo amant: nec amici coturnicum, neque canum, nec vini, nec exercitationis amici, nec sapientiæ, nisi sapientia illos vicissim amet. amant nempe hæc singuli: non tamen amica hæc sunt. quamobrem mentitur poëta ille, qui dicit, *Felix ille est, cui pueri amici et equi, venatorii canes, et hospes alienigena.* Me. Nequaquam mihi videtur. So. Verum dicere

Digitized by Google

tibi videtur? Me. Verum. So. Amatum igitur amanti amicum est, ut apparet, o Menexene, sive amaverit, sive oderit; quemadmodum teneriores pueri partim nullo modo amant, [213] partim oderunt, quando a parentibus verberantur: tunc sane, dum vehementer odio habent, genitoribus sunt carissimi. Me. Opinor equidem. So. Non ergo amans amicus secundum hanc rationem, sed amatus erit. Me. Videtur. So. Et odio habitus inimicus, non odio habens. Me. Apparet. So. Ita multi ab inimicis amantur, et odio ab amicis habentur: et inimicis amici sunt, amicis contra inimici; si amatum potius, quam amans, amicum est. Quæ autem hæc esset absurditas, o dulcis amice? Immo impossibile id quidem, amico inimicum, inimico amicum esse. Me. Vera loqui videris, o Socrates. So. Et si hoc fieri nullo modo potest, restat, ut amans amati sit amicum. Me. Apparet. So. Similiter quod odio habet, inimicum ejus quod odio habetur. Me. Necesse est. So. Eadem nobis nunc erunt, quæ et in superioribus, concedenda, quod plerumque amicum sit aliquid non amici, plerumque etiam inimici; quoties non amantem vel fastidientem quis amat. nonnunquam inimicus erit non inimici, vel et amici; quando non fastidientem quis odit, vel fastidit amantem. Me. Ita videtur. So. Quid ergo dicemus, si neque amantes amici erunt, neque amati: nec amantes amatique? num alios quosdam præter istos amicos invicem esse dicemus? Me. Per Jovem, o Socrates, quid respondeam non invenio. So. Vide, o Menexene, ne forte minus recte in superioribus quæsiverimus. Tum Lysis, Id, inquit, mihi videtur, o Socrates: et sic fatus erubuit. Visum namque mihi, invitum illum effugisse quod dicebatur, ex eo quod attentius incumbebat. sic enim, dum audiebat, habere se videbatur. Ego itaque volens Menexenum requiescere, et illius philosophia nimium delectatus, sic Lysidem allocutus sum: O Lysis, vera mihi loqui videris, quia si recte consideravissemus, haud ita nunc aberraremus. Quare ne ulterius hac via pergamus. etenim ardua mihi quasi via quædam aspera consideratio ista videtur. Sed iter, quod nunc ingressi sumus, poëtarum adminiculis peragendum. [214] hi namque nobis tanquam patres atque duces sapientiæ sunt. Dicunt profecto non male, dum qui amici sint, admonent: homines præterea conciliatoris Dei ductu amicos fieri volunt. Sic enim aiunt: *Deus similem semper ad similem agit, et notum facit.* An non hæc ipse aliquando reperisti? Ly. Reperi. So. Fortasse et sapientum scripta legisti, in quibus eadem hæc affirmant, simile simili necessario semper amicum esse. atque hæc est eorum sententia, qui de natura et universo tractarunt. Ly. Vera dicis. So. Nunquid bene dicunt? Ly. Forte. So. Forte id ex parte verum est, forte etiam ex toto: sed nos nondum intelligimus. videtur enim nobis pravus pravo, quo propius adhæret, et frequentius cum eo versatur, eo magis inimicus fieri. nam injuriam infert. fieri vero nequit, ut qui infert, et qui accipit injuriam, amici sint. nonne ita? Ly. Sic prorsus. So. Hac ratione media pars illius sententiæ falsa erit, si quidem pravi similes sunt. Ly. Certe. So. Verum mihi videntur bonos dicere similes esse invicem, et amicos: improbos autem, ut sæpe de illis dicitur, nunquam vel sibi ipsis, vel invicem similes esse, sed perturbatos penitus et instabiles. qui vero secum ipse dissentit, nullo modo cum alio consentiet, nec ulli amicus esse poterit. nonne tu idem existimas? Ly. Profecto. So. Id ergo, ut mea fert opinio, significant, o amice, qui simile simili amicum esse dicunt, quod solus bonus soli bono amicus, malus autem nec bono nec malo unquam revera amicus efficitur. consentis? Ly. Assentior. So. Habemus jam, qui sint amici. nam ratio dictat, eos, qui boni sunt, amicos exsistere. Ly. Constat. So. Idem ego arbitror. sed inest aliquid quod me perturbat. et vide, quæso, quid suspicor. Similis simili qua ratione similis, amicus, et talis tali

Digitized by Google

utilis est. Immo sic etiam consideremus. Simile quodcunque cuivis simili quod emolumentum aut detrimentum inferre potest, quod non ipsummet sibi ipsi valeat? aut quid pati ex illo, quod non ex se ipso similiter pati queat? Hæc itaque, cum talia sint, ut nihil se invicem juvent, [215] quo pacto ab se invicem expetuntur? Ly. Nullo modo. So. Quod non expetit, quo modo amicum? Ly. Nullo. So. An forsitan similis simili quantum similis, non amicus? bonus autem bono, quantum bonus, non quantum similis, amicus existit? Ly. Forte. So. Quid vero? nonne bonus, quatenus bonus est, eatenus sibi ipsi sufficiens? Ly. Ita. So. Sibi ipsi sufficiens, secundum ipsam sufficientiam, nullo penitus indiget. Ly. Quid prohibet? So. Qui nullo eget, nullum expetit. Ly. Nullum sane. So. Si non expetit, nec amat. Ly. Non. So. Qui non amat, non est amicus. Ly. Non videtur. So. Quomodo boni bonis amici erunt, qui nec absentes mutuo se desiderant, cum se ipsis sufficienter vivant, nec præsentes se invicem indigent? Tales viri quanam ratione se invicem multi facere possunt? Ly. Nulla. So. Amici nunquam erunt, qui se invicem non multi faciunt. Ly. Nunquam. So. Considera jam, o Lysis, quo delapsi simus, et nunquid omnino decepti fuerimus. Ly. Quo pacto? So. Accepi quandoque ab aliquo, (in præsentia etiam et reminiscor) quod simili simile adversum est, et boni bonis inimicissimi sunt, qui et Hesiodi testimonio utebatur, dicentis, *figulum invidere figulo, cantorem quoque cantori, et mendicum mendico*. et in aliis similiter necessarium asserebat, similia inter se invidia, æmulatione, contentione abundare: et amicitia dissimilia. Inopem porro divitl amicum necessitate fieri: et imbecillum auxilii gratia forti: et medico similiter ægrotantem: ignorantem quoque peritum desiderare atque diligere. Addebat præterea sublimiora quædam, quod multum absit, ut simile simili sit amicum, sed contra, quod maxime contrarium, maxime contrario amicissimum. unumquodque enim appetere non simile, sed contrarium: ut aridum appetere humidum; frigidum vero calidum; amarum dulce; acutum obtusum; vacuum repletionem; plenum vacuitatem; ceteraque similiter. contrarium enim contrario alimenta præbere: simile autem simili minime vesci. [216] enimvero, qui talia docuit, facundus et elegans quidam vir esse visus est. bene enim dixit. vobis autem quid videtur? Mx. Probe, ut prima fronte apparet. So. Dicimus itaque, contrario contrarium amicissimum esse? Mx. Utique. So. Sit ita, o Menexene. sed, quæso, nonne alienum hoc et extraneum? confestim in nos ultro insurgent sapientes isti, qui refellendi facundia pollent, et a nobis quærent, an non sit maxime contrarium odium amicitiæ? Quid istis potissimum respondebimus? nonne respondere cogemur, eos vera dicere? Mx. Cogemur. So. Nunquid dicent, inimicum amico amicum? vel amicum inimico amicum? Mx. Neutrum. So. Num et justum injusto, vel temperatum intemperato, aut malo bonum? Mx. Non mihi videtur. So. Atqui si secundum contrarietatem amicum est alicui aliquid, amica hæc esse oportet. Mx. Oportet sane. So. Quare nec simili simile, neque contrario contrarium est amicum. Mx. Non videtur. So. Age et hoc advertamus, ne nos magis adhuc lateat, quod amicum revera nihil ex his quæ diximus sit, sed quod neque bonum, neque malum, amicum quandoque boni efficiatur. Mx. Quid ais? So. Ignosce et ipse per Jovem: vacillo enim ob sermonis ambiguitatem: et videtur, ut vetus habet proverbium, pulchrum ipsum amicum esse. Apparet enim molle quiddam, lene, ac pingue: ideoque nos facile forte illabitur, serpit, et penetrat, quasi lubricum quiddam atque lene. Dico enim ipsum bonum pulchrum esse. nunquid et tu? Mx. Et ego. So. Equidem divinans tibi id profero, boni et pulchri amicum esse, quod neque bonum est neque malum. Quorsum ista vaticinor, audi. Viden-

Digitized by Google

tur mihi tria quædam genera esse: Unum, bonum: alterum, malum: postremum, quod neque bonum est, neque malum. tibi autem? Mx. Mihi quoque. So. Nec bonum bono, nec malum malo, nec bonum malo amicum esse, quemadmodum ratio superior perhibet. restat, si quid alicui est amicum, ut quod nec bonum neque malum est, amicum sit aut bono, aut tali alicui quale ipsum est. nihil enim malo amicum est. Mx. Certe. So. Nec tamen simile simili, ut paulo ante monstravimus. Mx. Profecto. So. Non igitur erit illi quod nec bonum est, nec malum, amicum id quod et ipsum tale est. Mx. Non videtur. So. Solum itaque quod nec bonum est neque malum, soli bono amicum fieri potest. [217] Mx. Necessario sequi videtur. So. Numquid recte a nobis, o pueri, id modo expositum est? si ergo sanum corpus consideremus, medicinæ arte non indiget, nec auxilio prorsus ullo: sufficienter enim se habet. unde sanus nemo per ipsum sanitatem medico est amicus. Mx. Nemo. So. Sed ægrotans, ut puto, per ipsum morbum. Mx. Quidni? So. Morbus quidem malum: medicinæ vero peritia bonum quoddam et utile. Mx. Sic est. So. Corpus ex eo quod corpus, nec bonum est, nec malum. Mx. Verum. So. Cogitur autem corpus ex morbo quærere et amare medelam. Mx. Apparet. So. Sequitur, quod nec bonum est, neque malum, boni amicum propter mali præsentiam fieri. Mx. Videtur. So. Constat autem id fieri, priusquam illud ob mali præsentiam malum efficiatur. neque enim malum effectum est loco boni quod appetit, cujusve amicum est. Impossibile namque esse ostendimus, ut malum bono amicum sit. Mx. Impossibile procul dubio. So. Animadvertisne, quæso, quod dico. nonnulla quippe assero talia fieri, quale id quod illis adest: nonnulla minime. perinde ac si quis vellet colore quodam aliquid superlingere, adesset quodam modo infectio colorato. Mx. Adesset. So. Nonne tunc quoque tale coloratum est, quale ipsum esse solet? Mx. Haud intelligo. So. Sic forte intelliges. si quis comas tuas, quæ flavæ sunt, cerussa fucaverit, utrum albæ fiant? an potius videantur? Mx. Videbuntur. So. Verumtamen albedo illis aderit. Mx. Aderit. So. Nihilo magis tamen albæ adhuc erunt: et præsente candore neque candidæ erunt, neque nigræ. Mx. Vera loqueris. So. Sed quando senectute canescunt, tunc, o amice, tales fiunt, quale id quod advenit, cani coloris præsentia canæ. Mx. Quidni? So. Hoc illud est, quod quæsiveram, Numquid omne cui tale aliquid adest, confestim tale et ipsum evadat: an potius si certo modo adest, tale fiat; aliter minime. Mx. Hoc modo potius. So. Eadem ratione quod nec bonum est, nec malum, quandoque præsente malo nondum est malum, nonnunquam malum. Mx. Omnino. So. Quando nondum malum est præsente malo, præsentia hæc bonum appetere cogit: præsentia vero, quæ malum reddit, et appetitum boni et amicitiam rejicit. neque enim ulterius neutrum est, sed malum. [218] Amicum vero, malum bono, et bonum malo esse non potest. Mx. Non certe. So. Ob hanc utique causam sapientes dicendum haud ulterius philosophari, sive dii, sive homines isti sint: nec eos etiam, qui adeo corrupti ab ignorantia sunt, ut improbi sint effecti. nullum quippe malum et penitus ignorantem philosophari. Restant igitur illi, quibus malum id, ignorantiæ scilicet adest, nec tamen rudes penitus ignorantesque sunt, immo et suam ignorantiam agnoscunt: ob quam animadversionem philosophantur, id est, sapientiam amant, nondum boni sut mali. mali enim nequaquam philosophantur, nec boni etiam. nam nec contrarium contrario, neque simili simile, supra nobis amicum apparuit. recordamini? Mx. ET Ly. Recordamur sane. So. Omnino, o Lysis atque Menexene, quid amicum sit, et quid non, invenimus. id enim tam circa animam, quam circa corpus supra concludimus: quod nec bonum est, nec

Digitized by Google

ejus ludum, qui potest in sermonibus ludere, ac de justitia, et aliis, quæ tu dicis, confabulari. So. Est ita profecto, amice Phædre. sed multo mea sententia in his præclarius studium, quando quis arte dialectica utens, animam nactus idoneam, sermones cum scientia plantat, et seminat, qui et sibi ipsis, et satori suo afferre opem possunt, fructusve producunt, et semina reddunt. [277] Unde alii, in moribus aliis nati, id semper munus immortale servare possunt, atque eum, qui hæc habet, beatissimum, quoad homini licet, efficiunt. Phæ. Multo id quoque præclarius. So. Nunc jam illa, o Phædre, his concessis, discernere possumus. Phæ. Quænam? So. Ea videlicet, quorum cognoscendorum gratia hucusque descendimus, ut vituperationem Lysiæ discuteremus in ipsa scribendi arte, sermonesque ipsos, qui vel arte, vel sine arte scribuntur. artificiosum quidem, et artis expers, satis jam declarasse videmur. Phæ. Sic apparet. So. Meminisse rursus oportet, non prius posse aliquem dicendi artem ad summum callere, ad persuadendum atque docendum, ut ratio superior nobis ostendit, quam veritatem earum rerum, quas dicit aut scribit, cognoverit, universamque rem definire, et, definitione posita; rursus secundum species usque ad individua dividere noverit: atque hac ratione animam contemplatus, et quid cuique ingenio congruum est aucupatus, ita maxime disponat exornetque sermonem, variæ quidem animæ varios, et harmonia multiplices, simplici vero simplices sermones accommodans. Phæ. Sic prorsus apparuit. So. Quid autem de illa quæstione dicemus, quam supra tetigimus? honestumne an turpe sit orationes componere, et quomodo studium hoc jure vituperari queat, quomodo nequeat? Num superiora nobis hoc satis declaraverunt? Phæ. Quænam illa? So. Quippe, sive Lysias, sive alius quispiam scripsit quandoque, aut scribat, scribetque privatim quidquam, vel publice civiles quasdam constitutiones, ita ut suis in scriptis magnam quandam stabilitatem et certitudinem putet inesse, turpe id esse scriptori, sive dicatur a quoquam, sive non dicatur, putandum est. siquidem ignorare quid verum sit, quid falsum, de justis et injustis, de bonis et malis, etiamsi vulgus universum laudaverit, fieri nunquam potest quin sit revera turpissimum. Phæ. Turpissimum. So. Contra, qui scripta ludis ut plurimum jocisque necessario similia censet, orationemque nullam aut solutam, aut poëticam, magno componendi studio dignam esse ducit, instar eorum, quæ sine dijudicatione et doctrina persuasionis gratia carminibus recitari consueverunt: [278] sed revera sermonem illorum optimos commemorandi scientibus causa fuisse compositos: in sermonibus autem, qui docendi discendique causa dicuntur, ac vere scribuntur in animo de justis, honestis, et bonis, duntaxat perspicuitatem perfectionemque inesse, eosque solos studio dignos existimat: judicatque sermones hujusmodi filios suos legitimos esse vocandos, primum quidem eum, qui sibi inest, si modo sit adinventus, deinde si qui hujus filii et fratres simul in aliis aliorum animis pro dignitate innati sunt, reliquos autem postposit: hic vir, inquam, talis, o Phædre, videtur esse, quales esse nos exoptaremus. Phæ. Equidem, quæ dicis, cupio prorsus, et voto precor. So. Sed hæc jam satis a nobis de arte dicendi, quasi illudentibus dicta sint. Quare Lysiæ dicas, nos ad Nymphæ fontem Musarumque cœtum profectos, sermones quosdam audisse, qui dicere jusserunt Lysiæ, cæterisque orationum scriptoribus, Homero præterea, et si quis alius nudam poësin, vel cantu exornatam composuit, Soloni postremo, et omnibus, qui civiles institutiones literis mandaverunt: quod si veritatis conscii talia composuerunt, possuntque sua in discussionem tracta defendere, ac dicendo scripta verbis villora monstrare, non utique ab his, quæ calamo luserunt, sed ab aliis potius, quæ serio excogitarunt, cognominandi videantur. Phæ. Quænam cognomina, et quo pacto accom-

Digitized by Google

modas? So. Sapientis cognomen, o Phædre, magnum, solique Deo convenire videtur. Philosophi vero, aut similis alicujus cognomine, ejusmodi viros, quales modo descripsimus, convenientius modestiusque nuncuparemus. Phæ. Certe non dedecet. So. Eum igitur, qui nulla habet in se præstantiora iis, quæ conscripsit, et sursum deorsumque retorquens, diuturna emendatione addendo, vel subtrahendo composuit, jure poëtam vel orationum legumve scriptorem cognominabis? Phæ. Quidni? So. Hæc itaque amico referas tuo. Phæ. Tu vero quid facias? neque enim amicus tuus prætermittendus. So. Quis iste? Phæ. Isocratem probum, inquam. quid illi nuntiabis? o Socrates. quem esse dicemus? [279] So. Juvenis adhuc Isocrates est, o Phædre. quid autem de illo præsagiam, non præteribo. Phæ. Quidnam? So. Videtur mihi præstantiori ingenio esse, quam Lysiam sua scripta demonstrent. præterea moribus generosioribus præditus. quamobrem nihil mirum putarim, si, crescentibus annis, in arte dicendi, cui nunc incumbit, magis, quam viri pueris, omnibus, qui eloquentiæ unquam se tradiderunt, excellat: atque his etiam studiis non contentus ad majora diviniore quodam instinctu feratur. inest enim, o amice, ipsa natura philosophia quædam illius ingenio. Hæc ego, ab iis Diis accepta, Isocrati mihi dilectissimo nuntio: tu illa, Lysiæ tibi carissimo. Phæ. Ita fiet. sed abeamus hinc, cum æstus nonnihil jam deferbuerit. So. Vota prius his facienda sunt, quam abeamus. Phæ. Quidni? So. O amice Pan, et alii omnes, qui locum hunc colitis, Dii, date mihi, ut pulcher intus efficiar: et quæcunque extrinsecus habeo, intrinsecis sint amica. divitem autem sapientem solum existimem. tantum vero mihi sit auri, quantum nec ferre nec ducere queat alius, nisi vir temperans. Numquid aliud orandum censes, o Phædre? mihi enim satis est optatum. Phæ. Mihi quoque eadem opta. amicorum enim communia omnia. So. Abeamus.

Digitized by Google

LYSIS.

SOCRATES, HIPPOTHALES, CTESIPPUS, MENEXENUS, LYSIS.

[203] Cum ex Academia Lyceum versus per ipsa suburbia proficiscerer, pylidi, ubi fons est Panopius, propinquavi, et ibi Hippothalem Hieronymi filium, et Ctesippum Pæaneum, aliosque una cum his adolescentes offendi. Cum me Hippothales venientem videret, O Socrates, inquit, quonam et unde? At ego, Ex Academia Lyceum versus. Tum ille, Adesdum, neque ulterius progrediaris. Ad hæc equidem, Decet, inquam: sed ubinam, et apud quos vestrum esse me vultis? Ille vero, e regione murorum ostendens gymnasium quoddam circumseptum, et januam apertam: Hic, ait, manere te volumus. hic autem ipsi et alii multi, et quidem honesti, nos exercemus. So. Qua potissimum in re est hæc vestra exercitatio? Hip. In palæstra, quæ nuper est constituta: [204] ac ut plurimum in sermonibus, quos tecum libenter communicaremus. So. Recte agitis. Sed quis ibi præceptor? Hip. Socius tuus et laudator Miccus. So. Per Jovem, non ignaras ille quidem, sed sophista peritus. Hip. Visne me intro sequi, ut eos, qui ibi sunt, videas? So. Id in primis libenter audirem, ad quid ingrediar, et quis honestior adsit. Hip. Alius alii videtur, o Socrates. So. Tibi vero quis honestior, o Hippothales? dic, obsecro. At ille interrogatus obticuit. Tum ego, O Hieronymi fili Hippothales, utrum diligas quempiam, necne, nil opus est ut aperias. novi enim, quam vehementer honestissimos quosque diligere soleas. Etenim ceteris in rebus hebes et inutilis sum: id autem unum mihi munus a Deo datum, ut primo aspectu amicos agnoscam. Ad hæc ille nihil respondit. Verum Ctesippus, Quam urbanus es, inquit, Hippothales, quod amici tui nomen Socrati referre nolis! quod si paulisper tecum iste versetur, audiet te multa de illo loquentem. nobis jam, o Socrates, aures implevit nomine Lysidis. solum vero postquam subbibit, paulum requiescimus. et e somno exciti, ilico nomen Lysidis audire videmur. Et quæ soluta oratione iste pronuntiat, apte quidem et concinne dicta, minus tamen vehementia sunt: at quotiens nostra poëmata scriptaque usurpare et effundere nititur, vehementius agit; et quod gravius est, alta admodum voce in amicos quotidie cantat, quam nos tolerare necesse est. modo vero a te rogatus obticuit. Juvenis, inquam, Lysis hic esse videtur. nam audiens ejus nomen, haud agnovi. Tum ille, Raro nomen ejus enuntiatur: sed ex patris nomine, cum sit vir admodum nobilis, adhuc juvenis ipse significatur. id enim mihi persuadeo, permultum abesse ut figuram ejus ignores: adeo namque honesta indole præditus est, ut vel ea sola notus omnibus esse possit. Cujus, inquam, filius est? dicite, quæso. Democratis, inquit, Æxonei major natu filius. At ego, En, o Hippothales, quam generosam constantemque benivolentiam nactus es. Age, mihi quoque quæ et istis ostende, [205] ut videam, utrum scias, quæ de amicis amicum decet ad se et ad alios dicere. Hip. Quid ex iis, quæ iste loquitur, perpendis, o Socrates? So. Utrum diligere te illum, quem dixit, neges? Hip. Nequaquam, sed nihil effin-

Digitized by Google

gere aut scribere in illos sio. Ad hæc Ctesippus: Haud sanæ mentis hic est, sed delirat atque insanit. So. O Hippothales, nec carmina, nec etiam cantilenam, si quam in amicos composuisti, audire admodum curo: sed qua mente in illos sis, intelligere cupio. Hip. Ctesippus iste tibi referet. novit enim meminitque: si quidem, ut ipse ait, quotidie audiens a me obtunditur. Cte. Et maxime quidem per deos. nam quam ridiculum est, ut cum iste hunc præ ceteris diligat, nihil tamen ex ingenio suo, quod non etiam quivis puer possit, afferre valeat. Quæ autem civitas universa de Democrate et Lysidе hujus avo, deque omnibus illorum majoribus prædicat, eadem et ipse circumfert, divitias, equorum copiam, victorias in Pytho, Isthmo, et Nemea, quadrigis et equis: nec non istis antiquiora. Nam pridem nobis hospitium conviviumque in poëmate quodam retulit: quo quidam ex majoribus Lysidis Herculem quondam ob cognationem excepit: quippe cum ille quoque ex Jove et filia cujusdam principis populi natus esset: quæ anicnlæ etiam cantant: ceteraque hujusmodi permulta, o Socrates. Hæc sunt, quæ iste narrando canendoque audire nos cogit. So. O ridicule Hippothales, antequam viceris, laudationem in te ipsum effingis atque decantas. Hip. Non in me ista, o Socrates, prædico. So. Non ut putas. Hip. Qui istuc dicis? So. Maxime omnium in te unum odæ istæ redundant. nam si amicum talem apprehenderis, ornamento tibi erunt laudes ejusmodi, tanquam triumphatori cuidam, cum amicum hujusmodi nactus fueris. sin autem fefellerit, quo majores illi laudes attribueris, eo majorum expers bonorum, magis quoque ridiculus judicaberis. [206] Quicunque igitur in comparandis amicis sapiens est, non prius quenquam eorum laudat, quam ipsorum familiaritatem fuerit assecutus. futura namque formidat. plerique enim, cum laudari se et extolli sentiunt, fastu tumescunt. an non idem tibi videtur? Hip. Mihi vero. So. Nonne quo superbiores sunt, eo difficilius capiuntur? Hip. Verisimile est. So. Qualis tibi venator ille videretur esse, si quis ita feras expelleret, ut et tutiores fierent, et capi difficilius in posterum possent? Hip. Iners videlicet. So. Atqui sermonibus cantibusque non demulcere, sed exacerbare potius homines, labor est a Musis admodum alienus. Hip. Videtur. So. Vide igitur, o Hippothales, ne iis omnibus obnoxium reumque te ob poësis studium reddas. arbitror sane, nullum te bonum poëtam existimaturum, qui se ipsum poëmate læserit. Hip. Nullum per Jovem. quæ enim hæc esset absurditas? Ob hanc profecto causam tecum, o Socrates, mentem meam communico: et si quid habes aliud, consule, qua ratione quis aut dicendo, aut agendo, conciliare sibi quos diligit, possit. So. Non facile dictu est. Verum si hunc mecum colloquio jungeres, tibi forte ostenderem, quæ illi dicenda sint, pro his quæ loqui te et canere erga illum isti narrarunt. Hip. Nihil impedimento fuerit. si enim una cum Ctesippo hoc ingrediaris, et ibi sedens disputes, ipse tibi, ut arbitror, adhærebit. nam audiendi apprime avidus est. ac etiam ibi Mercurialia celebrantes juvenes in unum conveniunt. ad te igitur adventabit: et nisi id fecerit, memento illum Ctesippi familiarem esse propter Menexenum hujus nepotem, cujus ille socius est carissimus. Accersat itaque iste illum, si minus ipse per se accesserit. Sic agendum est, inquam. et simul apprehenso Ctesippo, in palæstram prosecutus sum: et alii nos a tergo secuti sunt. ingressi autem invenimus sacras cerimonias ferme peractas, juvenesque comptos, calculis talisque ludentes: partim in ipso vestibulo extra ludebant, partim in gymnasii angulo paris imparisve jactu exercebantur, calculos e calathis quibusdam extrahentes. hos intuentes alii circumstabant: e quibus Lysis erat, [207] qui adstabat inter juvenes coronatus, et omnibus indole præstans, nec pulcher tantum, sed et honestus et bonus existimandus. nos autem e conspectu, ubi quieti locus erat, consedimus invicem

Digitized by Google

LYSIS.

SOCRATES, HIPPOTHALES, CTESIPPUS, MENEXENUS, LYSIS.

[203] Cum ex Academia Lyceum versus per ipsa suburbia proficiscerer, pylidi, ubi fons est Panopius, propinquavi, et ibi Hippothalem Hieronymi filium, et Ctesippum Pæaneum, aliosque una cum his adolescentes offendi. Cum me Hippothales venientem videret, O Socrates, inquit, quonam et unde? At ego, Ex Academia Lyceum versus. Tum ille, Adesdum, neque ulterius progrediaris. Ad hæc equidem, Decet, inquam: sed ubinam, et apud quos vestrum esse me vultis? Ille vero, e regione murorum ostendens gymnasium quoddam circumseptum, et januam apertam: Hic, ait, manere te volumus. hic autem ipsi et alii multi, et quidem honesti, nos exercemus. So. Qua potissimum in re est hæc vestra exercitatio? Hip. In palæstra, quæ nuper est constituta: [204] ac ut plurimum in sermonibus, quos tecum libenter communicaremus. So. Recte agitis. Sed quis ibi præceptor? Hip. Socius tuus et laudator Miccus. So. Per Jovem, non ignarus ille quidem, sed sophista peritus. Hip. Visne me intro sequi, ut eos, qui ibi sunt, videas? So. Id in primis libenter audirem, ad quid ingrediar, et quis honestior adsit. Hip. Alius alii videtur, o Socrates. So. Tibi vero quis honestior, o Hippothales? dic, obsecro. At ille interrogatus obticuit. Tum ego, O Hieronymi fili Hippothales, utrum diligas quempiam, necne, nil opus est ut aperias. novi enim, quam vehementer honestissimos quosque diligere soleas. Etenim ceteris in rebus hebes et inutilis sum: id autem unum mihi munus a Deo datum, ut primo aspectu amicos agnoscam. Ad hæc ille nihil respondit. Verum Ctesippus, Quam urbanus es, inquit, Hippothales, quod amici tui nomen Socrati referre nolis! quod si paulisper tecum iste versetur, audiet te multa de illo loquentem. nobis jam, o Socrates, aures implevit nomine Lysidis. solum vero postquam subbibit, paulum requiescimus. et e somno exciti, ilico nomen Lysidis audire videmur. Et quæ soluta oratione iste pronuntiat, apte quidem et concinne dicta, minus tamen vehementia sunt: at quotiens nostra poëmata scriptaque usurpare et effundere nititur, vehementius agit; et quod gravius est, alta admodum voce in amicos quotidie cantat, quam nos tolerare necesse est. modo vero a te rogatus obticuit. Juvenis, inquam, Lysis hic esse videtur. nam audiens ejus nomen, haud agnovi. Tum ille, Raro nomen ejus enuntiatur: sed ex patris nomine, cum sit vir admodum nobilis, adhuc juvenis ipse significatur. id enim mihi persuadeo, permultum abesse ut figuram ejus ignores: adeo namque honesta indole præditus est, ut vel ea sola notus omnibus esse possit. Cujus, inquam, filius est? dicite, quæso. Democratis, inquit, Æxonei major natu filius. At ego, En, o Hippothales, quam generosam constantemque benivolentiam nactus es. Age, mihi quoque quæ et istis ostende, [205] ut videam, utrum scias, quæ de amicis amicum decet ad se et ad alios dicere. Hip. Quid ex iis, quæ iste loquitur, perpendis, o Socrates? So. Utrum diligere te illum, quem dixit, neges? Hip. Nequaquam, sed nihil effin-

Digitized by Google

gere aut scribere in illos sio. Ad hæc Ctesippus: Haud sanæ mentis hic est, sed delirat atque insanit. So. O Hippothales, nec carmina, nec etiam cantilenam, si quam in amicos composuisti, audire admodum curo: sed qua mente in illos sis, intelligere cupio. Hip. Ctesippus iste tibi referet. novit enim meminitque: si quidem, ut ipse ait, quotidie audiens a me obtunditur. Cte. Et maxime quidem per deos. nam quam ridiculum est, ut cum iste hunc præ ceteris diligat, nihil tamen ex ingenio suo, quod non etiam quivis puer possit, afferre valeat. Quæ autem civitas universa de Democrate et Lysidе hujus avo, deque omnibus illorum majoribus prædicat, eadem et ipse circumfert, divitias, equorum copiam, victorias in Pytho, Isthmo, et Nemea, quadrigis et equis: nec non istis antiquiora. Nam pridem nobis hospitium conviviumque in poëmate quodam retulit: quo quidam ex majoribus Lysidis Herculem quondam ob cognationem excepit: quippe cum ille quoque ex Jove et filia cujusdam principis populi natus esset: quæ anicnlæ etiam cantant: ceteraque hujusmodi permulta, o Socrates. Hæc sunt, quæ iste narrando canendoque audire nos cogit. So. O ridicule Hippothales, antequam viceris, laudationem in te ipsum effingis atque decantas. Hip. Non in me ista, o Socrates, prædico. So. Non ut putas. Hip. Qui istuc dicis? So. Maxime omnium in te unum odæ istæ redundant. nam si amicum talem apprehenderis, ornamento tibi erunt laudes ejusmodi, tanquam triumphatori cuidam, cum amicum hujusmodi nactus fueris. sin autem fefellerit, quo majores illi laudes attribueris, eo majorum expers bonorum, magis quoque ridiculus judicaberis. [206] Quicunque igitur in comparandis amicis sapiens est, non prius quenquam eorum laudat, quam ipsorum familiaritatem fuerit assecutus. futura namque formidat. plerique enim, cum laudari se et extolli sentiunt, fastu tumescunt. an non idem tibi videtur? Hip. Mihi vero. So. Nonne quo superbiores sunt, eo difficilius capiuntur? Hip. Verisimile est. So. Qualis tibi venator ille videretur esse, si quis ita feras expelleret, ut et tutiores ferent, et capi difficilius in posterum possent? Hip. Iners videlicet. So. Atqui sermonibus cantibusque non demulcere, sed exacerbare potius homines, labor est a Musis admodum alienus. Hip. Videtur. So. Vide igitur, o Hippothales, ne iis omnibus obnoxium reumque te ob poësis studium reddas. arbitror sane, nullum te bonum poëtam existimaturum, qui se ipsum poëmate læserit. Hip. Nullum per Jovem. quæ enim hæc esset absurditas? Ob hanc profecto causam tecum, o Socrates, mentem meam communico: et si quid habes aliud, consule, qua ratione quis aut dicendo, aut agendo, conciliare sibi quos diligit, possit. So. Non facile dictu est. Verum si hunc mecum colloquio jungeres, tibi forte ostenderem, quæ illi dicenda sint, pro his quæ loqui te et canere erga illum isti narrarunt. Hip. Nihil impedimento fuerit. si enim una cum Ctesippo hoc ingrediaris, et ibi sedens disputes, ipse tibi, ut arbitror, adhærebit. nam audiendi apprime avidus est. ac etiam ibi Mercurialia celebrantes juvenes in unum conveniunt. ad te igitur adventabit: et nisi id fecerit, memento illum Ctesippi familiarem esse propter Menexenum hujus nepotem, cujus ille socius est carissimus. Accersat itaque iste illum, si minus ipse per se accesserit. Sic agendum est, inquam. et simul apprehenso Ctesippo, in palæstram prosecutus sum: et alii nos a tergo secuti sunt. ingressi autem invenimus sacras cerimonias ferme peractas, juvenesque comptos, calculis talisque ludentes: partim in ipso vestibulo extra ludebant, partim in gymnasii angulo paris imparisve jactu exercebantur, calculos e calathis quibusdam extrahentes. hos intuentes alii circumstabant: e quibus Lysis erat, [207] qui adstabat inter juvenes coronatus, et omnibus indole præstans, nec pulcher tantum, sed et honestus et bonus existimandus. nos autem e conspectu, ubi quieti locus erat, consedimus invicem

Digitized by Google

discedentes. conversus Lysis, frequenter in nos oculos conjiciebat, utpote qui propius accedere cuperet, sed solus accedere verebatur. Interim Menexenus inter ludendum ex aula ingressus est, meque et Ctesippum conspicatus, consessum venit. quem Lysis intuitus, secutus est, et juxta eum assedit. adventarunt insuper alii. Hippothales autem postquam multos convenisse perspexit, latere cupiens, ea se recepit, qua videri non posse a Lysida arbitrabatur, ne forte illi molestus foret: et sic adstans audivit. Ego vero Menexenum inspiciens, O fili Demophontis, inquam, uter vestrum natu major? Ambigimus, respondit ille. Cui insuper addidi: Numquid etiam uter generosior sit ambigitis. Et istud. An etiam uter honestior sit. Subriserunt ambo. Uter vestrum ditior sit, haudquaquam interrogabo. amici namque estis. nonne? Et maxime quidem, responderunt. Amicorum vero communia omnia. quapropter hoc nihil differtis, si quidem id vere de amicitia dicitis. Consenserunt. Sed cum percontari vellem, uter justior et sapientior esset, interrupit nos quidam, qui Menexenum accersivit, dicens illum a gymnasii magistro vocari. visus enim mihi est sacrorum antistes. Abiit igitur: et ego Lysidem interrogavi: Dic age, o Lysis, vehementer te pater ac mater amant? Ly. Valde. So. An non beatissimum fore te cupiunt? Ly. Quidni? So. Videtur tibi beatus ille, qui servit, et cui nihil eorum, quæ concupiscit, agere licet? Ly. Non per Jovem. So. Ergo si te pater et mater amant, beatumque fieri volunt, id omni opera diligentiaque curabunt, ut beate vivas. Ly. Quid prohibet? So. Permittent itaque quodcunque lubet efficere, nec tuis cupiditatibus adversabuntur. Ly. Per Jovem, o Socrates, mihi in plurimis obstant. So. Qui istuc ais? dum te fore beatum exoptant, te impediunt, quo minus voti tui compos efficiaris? [208] Responde ad hæc. Si cuperes aliquo patris tui curru pervehi, capiens habenas, quando pugnat, numquid permitteret? Ly. Nihil minus. So. Quem ergo permitteret? Ly. Est auriga quidam a patre meo mercede conductus. So. Quid ais? mercenario parentes tui concedent potius, quam tibi, liberam equorum administrationem? et argentum præterea hujus operis causa erogabunt? Ly. Sed quidnam? So. Mulos vero jugatos ducere, lorisque cædere tibi concedent? Ly. Cur mihi concesserint? So. Nulline verberare hos licet? Ly. Et valde quidem, mulioni videlicet. So. Servo, an libero? Ly. Servo. So. Servum itaque pluris faciunt, quam te filium: liberiusque agendi arbitrium exhibent. Quin etiam ad hæc mihi responde. Tene tibi ipsi dominari permittunt, an non? Ly. Neque id ullo pacto. So. Quis tibi dominatur? Ly. Pædagogus. So. Nunquid servus? Ly. Servus noster. So. Quam onerosissimum est, ut liber servo subjiciatur. Sed quid agendo pædagogus iste tibi imperat? Ly. Dum ad magistros me ducit. So. Et hi quoque præceptores tibi imperant? Ly. Omnino. So. Multos igitur dominos principesque tibi pater sponte præposuit. Sed cum domum ad matrem redieris, tene sinit quidquid placeat agere, ut beatus sis, vel circa lanificium, vel circa telam, quando texit? an gladium forcipesque, radium ac pecten, ceteraque lanificii instrumenta attrectare sinet? Ly. Non vetaret solum, sed et cæderet, si tangere auderem. So. Pro Deus, injuriamne patri vel matri aliquam intulisti? Ly. Nullam prorsus. So. Quam ob causam te beatum fore, et arbitratu tuo disponere singula nolunt, et quotidie te sic educant, ut semper alicui servias, et, ut brevi complectar, nihil pro tua voluntate agas? quo fit, ut nihil tibi prodesse tam amplæ divitiæ videantur: quandoquidem quivis magis, quam tu, has administrat: et quod majus est, [209] nec etiam corpus tam generosum, quippe cum alius hoc alat et colat: tu autem nullum habes imperium, o Lysis, nec ullius voti compos efficeris. Ly. Nondum per ætatem licet, o Socrates. So. Vide, ne minus id sit, quod tibi

Digitized by Google

impedimento est, o Democratis fili. nam ista, ut arbitror, et pater et mater tibi concedunt: nec ætatem provectiorem exspectant, quoties legi scribive sibi aliquid optant, tibi enim præ cetteris domesticis ista committunt. Ly. Maxime. So. In his tibi licet tam scribendo, quam legendo, quemvis ordinem literarum servare. et quando lyram sumis, nihil prohibent, ut opinor, parentes tui, quo minus intendas, vel remittas chordarum quamlibet, et frices, et pulses plectro. Ly. Non certe. So. Quid in causa est, o Lysis, quod in iis permittant, in superioribus prohibeant? Ly. Quoniam ista quidem scio, illa contra ignoro. So. Eu, o optime Lysis, non ætatem exspectat pater ad licentiam tibi exhibendam: sed perfectum ingenium. Etenim cum primum te senserit se ipso prudentiorem effectum, illico et tua omnia, et te libere tibi committet. Ly. Spero equidem. So. Quid porro vicini, nonne eadem ratione se, qua et parentes, erga te gerent? Vicinum censes tibi suæ domus commissurum gubernationem, si te intellexerit in re familiari peritiorem esse, an ipsum per se ministraturum? Ly. Mihi commissurum puto. So. Athenienses quoque dubitas, quin rempublicam tibi commendent, cum primum te in his rebus prudentiorem sibi esse perceperint? Ly. Non dubito. So. Quid rex magnus? utrum ejus filium natu majorem, cujus Asiæ regnum futurum est, permittet in elixarum carnium jus quidquid velit injicere, potius quam nos, si illi persuaserimus nos esse peritiores, quam filium? Ly. Nos videlicet. So. Et illum nihil prorsus; nos autem, etiam si salis multum capientes, immittere vellemus, certe permitteret. Ly. Quidni? So. Et si filius ejus oculis ægrotaret, numquid permitteret cum sibi oculos attrectare, an prohiberet, cum medicum illum non existimaret? Ly. Prohiberet sane. [210] So. Nos autem, si modo putaret peritos medicos esse, nil impediret, etiam si vellemus palefactis palpebris, et cinere superinfuso, curare? Ly. Vera loqueris. So. Quin etiam cetera omnia nobis committeret, potius quam sibi, vel filio, in quibus sapientiores esse putaret. Ly. Necesse est, o Socrates. So. Sic se res habet, amice Lysis: singula, in quibus prudentes sumus, cuncti nobis concedent, et Græci, et Barbari, tam viri, quam mulieres, et in iis arbitrata nostro agemus: nec ullus sponte nobis obstabit, quo minus et nos liberi simus, et aliorum duces: et cum nobis ista conferant, nostra erunt. Quæ vero ignoramus, nemo nos ut lubet, agere permittet: sed omnes pro viribus repugnabunt, non extranei tantum, verum parentes etiam, et quod nobis propinquius est: nos quoque ipsi, non nobis, sed aliis ministrantibus: et ista cum nullo nobis emolumento sint, a nobis aliena existent. consentis? Ly. Consentio equidem. So. Alicuine hominum amici erimus, amabitque nos aliquis in his rebus, in quibus inutiles sumus? Ly. Nunquam. So. Ergo nec te pater, nec ullus alium quamquam diligit, quatenus est inutilis. Ly. Non, ut videtur. So. Si itaque sapiens evaseris, omnes amici tibi et familiares erunt. utilis enim et bonus eris. sin minus, nec alius quisquam tibi, nec parentes, neque propinqui, amici erunt. Potestne aliquis in his superbe sapere atque gloriari, in quibus nondum quidquam sapit? Ly. Qui isthuc fieri potest? So. Si tu præceptore indiges, nondum sapis. Ly. Nondum certe. So. Non ergo superbe sapis, si nil sapis. Ly. Non per Jovem, ut mihi videor. So. Quæ cum audissem, in Hippothalem converti oculos, atque parum abfuit quin offenderim. O Hippothales, hoc pacto cum adolescentibus disputandum, corripiendo illos atque dejiciendo; non blandiendo, ut ipse agis, et efferendo. Sed cum vidissem illum animum turbatumque ex ante dictis, recordatus sum, quod dudum præsens Lysidem intere volebat. recepi ergo me ipsum, linguamque cohibui. [211] Interea reversus Menexenus, juxta Lysidem, unde surrexerat, requievit. Tum Lysis gratiose admodum et amice, a Menexeno seorsum mihi susurravit ad aures: O Socrates, quæ mihi,

Digitized by Google

eadem, obsecro, Menexeno quoque edisseras. Ipse, inquam, Lysis, illi referes. nam attente nos auscultasti. Attente sane, respondit ille. Da igitur operam, ut diligenter reminiscaris, quo illi singula perspicue referas. quod si quid forsitan subterfugerit, rursus a me requires, cum me primum conveneris. Navabo operam, et maxime quidem, ille respondit. sed novi saltem aliquid illi dicas, ut ego audiam, donec redeundi domum sit hora. At ego, Agendum est, præsertim cum ipse jubeas. sed cogita, qua ratione mihi opituleris, si me refellere Menexenus iste contenderit. an non contentiosum esse illum audisti? Ly. Prorsus: et idcirco te cum illo disputantem audire percupio. So. An ut ridiculus habear? Ly. Absit. immo ut illum castiges atque coërceas. So. Haud facile est. vehemens enim et facundus est, Ctesippi discipulus. adest præterea quin etiam Ctesippus ipse. an non vides? Ly. Nihil verearis, o Socrates. age, obsecro, disseras. So. Disserendum videtur. Verum ista nobis seorsum ab aliis colloquentibus, Cur, inquit Ctesippus, soli hæc inter vos agitatis? quin aliis etiam vestra hæc impertite. Impertiendum esse, respondi. hic porro non nihilex iis, quæ conferimus, minus percipit, putatque Menexenum intelligere: quocirca percontari ab illo me jubet. Cte. Quid non interrogas? So. Interrogabo. dic, amabo, o Menexene, quod abs te quæram. Innata mihi est ab ineunte ætate possessionis unius cupliditas quædam, quemadmodum et aliis. ut ecce quidam equos desiderat, aliquis canes, alius aurum, honores alius. hæc equidem parvi facio, nec multum ista me movent: adquirendorum autem amicorum desiderio flagro. Quare amicum bonum habere malim, quam pretiosissimam coturnicem, aut gallum: et per Jovem, potius quam equum atque canem: ac medius fidius, potius quam Darii aurum adipisci, vel ipsum Darium capere, optimum amicum eligere. Videtis, quam sim amicitiæ avidus. Quando igitur te et Lysidem animadverto, [212] stupeo profecto, vosque felices existimo, quod in tam tenera ætate constituti, tantum munus brevi et facile consecuti fueritis, et tu hunc tibi tam facile tanta benevolentia conciliaveris, et hic te mutuo sit amore complexus. Tantum vero a me munus id abest, ut nec etiam quo pacto alter alteri amicus fiat, intelligam. Ceterum hæc abs te, tanquam perito, quærere cupio. quare mihi respondeas, oro. Quando quis aliquem diligit, uter utrius amicus efficitur? amansne amati, an amatus amantis? an nihil interest? Me. Nihil interesse mihi videtur. So. Quid ais? ambo invicem amici fiunt, quandoquidem solus alter alterum diligit? Me. Mihi quidem videtur. So. Quid porro? an non reperiri potest amans quidam, cui amatus haud vicissim in amore respondet? Me. Potest. So. Numquid et odio haberi amatorem sæpe contingit? quod nonnunquam amatoribus erga amatos accidit. amantes enim quam ardentissime nonnunquam, minime redamantur: immo et odio quandoque habentur. an non vera tibi dicere videor? Me. Verissima. So. Nonne in his hic quidem amat, ille autem amatur? Me. Certe. So. Uter ergo utrius est amicus? amansne amati, sive redametur, sive odio habeatur? an amatus amantis? an neuter neutrius tunc est amicus, cum non utrique vicissim amant? Me. Sic se res habere videtur. So. Aliter itaque nunc, quam supra, censemus. tunc enim visum est, si alter solum diligat, ambos amicos esse: nunc contra; nisi uterque diligat, neutrum amicum esse dicendum. Me. Apparet. So. Nihil igitur illi amicum est, qui amat id, a quo minime redamatur. Me. Non videtur. So. Ergo nec amici equorum sunt, quos equi non mutuo amant: nec amici coturnicum, neque canum, nec vini, nec exercitationis amici, nec sapientiæ, nisi sapientia illos vicissim amet. amant nempe hæc singuli: non tamen amica hæc sunt. quamobrem mentitur poëta ille, qui dicit, *Felix ille est, cui pueri amici et equi, venatorii canes, et hospes alienigena.* Me. Nequaquam mihi videtur. So. Verum dicere

Digitized by Google

tibi videtur? Me. Verum. So. Amatum igitur amanti amicum est, ut apparet, o Menexene, sive amaverit, sive oderit; quemadmodum teneriores pueri partim nullo modo amant, [213] partim oderunt, quando a parentibus verberantur: tunc sane, dum vehementer odio habent, genitoribus sunt carissimi. Me. Opinor equidem. So. Non ergo amans amicus secundum hanc rationem, sed amatus erit. Me. Videtur. So. Et odio habitus inimicus, non odio habens. Me. Apparet. So. Ita multi ab inimicis amantur, et odio ab amicis habentur: et inimicis amici sunt, amicis contra inimici; si amatum potius, quam amans, amicum est. Quæ autem hæc esset absurditas, o dulcis amice? Immo impossibile id quidem, amico inimicum, inimico amicum esse. Me. Vera loqui videris, o Socrates. So. Et si hoc fieri nullo modo potest, restat, ut amans amati sit amicum. Me. Apparet. So. Similiter quod odio habet, inimicum ejus quod odio habetur. Me. Necesse est. So. Eadem nobis nunc erunt, quæ et in superioribus, concedenda, quod plerumque amicum sit aliquid non amici, plerumque etiam inimici; quoties non amantem vel fastidientem quis amat. nonnunquam inimicus erit non inimici, vel et amici; quando non fastidientem quis odit, vel fastidit amantem. Me. Ita videtur. So. Quid ergo dicemus, si neque amantes amici erunt, neque amati: nec amantes amatique? num alios quosdam præter istos amicos invicem esse dicemus? Me. Per Jovem, o Socrates, quid respondeam non invenio. So. Vide, o Menexene, ne forte minus recte in superioribus quæsiverimus. Tum Lysis, Id, inquit, mihi videtur, o Socrates: et sic fatus erubuit. Visum namque mihi, invitum illum effugisse quod dicebatur, ex eo quod attentius incumbebat. sic enim, dum audiebat, habere se videbatur. Ego itaque volens Menexenum requiescere, et illius philosophia nimium delectatus, sic Lysidem allocutus sum: O Lysis, vera mihi loqui videris, quia si recte consideravissemus, haud ita nunc aberraremus. Quare ne ulterius hac via pergamus. etenim ardua mihi quasi via quædam aspera consideratio ista videtur. Sed iter, quod nunc ingressi sumus, poëtarum adminiculis peragendum. [214] hi namque nobis tanquam patres atque duces sapientiæ sunt. Dicunt profecto non male, dum qui amici sint, admonent: homines præterea concilliatoris Dei ductu amicos fieri volunt. Sic enim aiunt: *Deus similem semper ad similem agit, et notum facit.* An non hæc ipse aliquando reperisti? Ly. Reperi. So. Fortasse et sapientum scripta legisti, in quibus eadem hæc affirmant, simile simili necessario semper amicum esse. atque hæc est eorum sententia, qui de natura et universo tractarunt. Ly. Vera dicis. So. Nunquid bene dicunt? Ly. Forte. So. Forte id ex parte verum est, forte etiam ex toto: sed nos nondum intelligimus. videtur enim nobis pravus pravo, quo propius adhæret, et frequentius cum eo versatur, eo magis inimicus fieri. nam injuriam infert. fieri vero nequit, ut qui infert, et qui accipit injuriam, amici sint. nonne ita? Ly. Sic prorsus. So. Hac ratione media pars illius sententiæ falsa erit, si quidem pravi similes sunt. Ly. Certe. So. Verum mihi videntur bonos dicere similes esse invicem, et amicos: improbos autem, ut sæpe de illis dicitur, nunquam vel sibi ipsis, vel invicem similes esse, sed perturbatos penitus et instabiles. qui vero secum ipse dissentit, nullo modo cum alio consentiet, nec ulli amicus esse poterit. nonne tu idem existimas? Ly. Profecto. So. Id ergo, ut mea fert opinio, significant, o amice, qui simile simili amicum esse dicunt, quod solus bonus soli bono amicus, malus autem nec bono nec malo unquam revera amicus efficitur. consentis? Ly. Assentior. So. Habemus jam, qui sint amici. nam ratio dictat, eos, qui boni sunt, amicos exsistere. Ly. Constat. So. Idem ego arbitror. sed inest aliquid quod me perturbat. et vide, quæso, quid suspicor. Similis simili qua ratione similis, amicus, et talis tali

Digitized by Google

utilis est. Immo sic etiam consideremus. Simile quodcunque cuivis simili quod emolumentum aut detrimentum inferre potest, quod non ipsummet sibi ipsi valeat? aut quid pati ex illo, quod non ex se ipso similiter pati queat? Hæc itaque, cum talia sint, ut nihil se invicem juvent, [215] quo pacto ab se invicem expetantur? Ly. Nullo modo. So. Quod non expetit, quo modo amicum? Ly. Nullo. So. An forsitan similis simili quantum similis, non amicus? bonus autem bono, quantum bonus, non quantum similis, amicus existit? Ly. Forte. So. Quid vero? nonne bonus, quatenus bonus est, eatenus sibi ipsi sufficiens? Ly. Ita. So. Sibi ipsi sufficiens, secundum ipsam sufficientiam, nullo penitus indiget. Ly. Quid prohibet? So. Qui nullo eget, nullum expetit. Ly. Nullum sane. So. Si non expetit, nec amat. Ly. Non. So. Qui non amat, non est amicus. Ly. Non videtur. So. Quomodo boni bonis amici erunt, qui nec absentes mutuo se desiderant, cum se ipsis sufficienter vivant, nec præsentes se invicem indigent? Tales viri quanam ratione se invicem multi facere possunt? Ly. Nulla. So. Amici nunquam erunt, qui se invicem non multi faciunt. Ly. Nunquam. So. Considera jam, o Lysis, quo delapsi simus, et nunquid omnino decepti fuerimus. Ly. Quo pacto? So. Accepi quandoque ab aliquo, (in præsentia etiam et reminiscor) quod simili simile adversum est, et boni bonis inimicissimi sunt, qui et Hesiodi testimonio utebatur, dicentis, *figulum invidere figulo, cantorem quoque cantori, et mendacem mendico.* et in aliis simliter necessarium asserebat, similia inter se invidia, æmulatione, contentione abundare: et amicitia dissimilia. Inopem porro divitî amicum necessitate fieri: et imbecillum auxilii gratia forti: et medico similiter ægrotantem: ignorantem quoque peritum desiderare atque diligere. Addebat præterea sublimiora quædam, quod multum abest, ut simile simili sit amicum, sed contra, quod maxime contrarium, maxime contrario amicissimum. unumquodque enim appetere non simile, sed contrarium: ut aridum appetere humidum; frigidum vero calidum; amarum dulce; acutum obtusum; vacuum repletionem; plenum vacuitatem; ceteraque similiter. contrarium enim contrario alimenta præbere: simile autem simili minime vesci. [216] enimvero, qui talia docuit, facundus et elegans quidam vir esse visus est. bene enim dixit. vobis autem quid videtur? Mx. Probe, ut prima fronte apparet. So. Dicimus itaque, contrario contrarium amicissimum esse? Mx. Utique. So. Sit ita, o Menexene. sed, quæso, nonne alienum hoc et extraneum? confestim in nos ultro insurgent sapientes isti, qui refellendi facundia pollent, et a nobis quærent, an non sit maxime contrarium odium amicitiæ? Quid istis potissimum respondebimus? nonne respondere cogemur, eos vera dicere? Mx. Cogemur. So. Nunquid dicent, inimicum amico amicum? vel amicum inimico amicum? Mx. Neutrum. So. Num et justum injusto, vel temperatum intemperato, aut malo bonum? Mx. Non mihi videtur. So. Atqui si secundum contrarietatem amicum est alicui aliquid, amica hæc esse oportet. Mx. Oportet sane. So. Quare nec simili simile, neque contrario contrarium est amicum. Mx. Non videtur. So. Age et hoc advertamus, ne nos magis adhuc lateat, quod amicum revera nihil ex his quæ diximus sit, sed quod neque bonum, neque malum, amicum quandoque boni efficiatur. Mx. Quid ais? So. Ignosce et ipse per Jovem: vacillo enim ob sermonis ambiguitatem: et videtur, ut vetus habet proverbium, pulchrum ipsum amicum esse. Apparet enim molle quiddam, lene, ac pingue: ideoque nos facile forte illabitur, serpit, et penetrat, quasi lubricum quiddam atque lene. Dico enim ipsum bonum pulchrum esse. nunquid et tu? Mx. Et ego. So. Equidem divinans tibi id profero, boni et pulchri amicum esse, quod neque bonum est neque malum. Quorsum ista vaticinor, audi. Viden-

Digitized by Google

tur mihi tria quædam genera esse: Unum, bonum: alterum, malum: postremum, quod neque bonum est, neque malum. tibi autem? Mx. Mihi quoque. So. Nec bonum bono, nec malum malo, nec bonum malo amicum esse, quemadmodum ratio superior perhibet. restat, si quid alicui est amicum, ut quod nec bonum neque malum est, amicum sit aut bono, aut tali alicui quale ipsum est. nihil enim malo amicum est. Mx. Certe. So. Nec tamen simile simili, ut paulo ante monstravimus. Mx. Profecto. So. Non igitur erit illi quod nec bonum est, nec malum, amicum id quod et ipsum tale est. Mx. Non videtur. So. Solum itaque quod nec bonum est neque malum, soli bono amicum fieri potest. [217] Mx. Necessario sequi videtur. So. Numquid recte a nobis, o pueri, id modo expositum est? si ergo sanum corpus consideremus, medicinæ arte non indiget, nec auxilio prorsus ullo: sufficienter enim se habet. unde sanus nemo per ipsam sanitatem medico est amicus. Mx. Nemo. So. Sed ægrotans, ut puto, per ipsum morbum. Mx. Quidni? So. Morbus quidem malum: medicinæ vero peritia bonum quoddam et utile. Mx. Sic est. So. Corpus ex eo quod corpus, nec bonum est, nec malum. Mx. Verum. So. Cogitur autem corpus ex morbo quærere et amare medelam. Mx. Apparet. So. Sequitur, quod nec bonum est, neque malum, boni amicum propter mali præsentiam fieri. Mx. Videtur. So. Constat autem id fieri, priusquam illud ob mali præsentiam malum efficiatur. neque enim malum effectum est loco boni quod appetit, cujusve amicum est. Impossibile namque esse ostendimus, ut malum bono amicum sit. Mx. Impossibile procul dubio. So. Animadvertisne, quæso, quod dico. nonnulla quippe asscro talia fieri, quale id quod illis adest: nonnulla minime. perinde ac si quis vellet colore quodam aliquid superfingere, adesset quodam modo infectio colorato. Mx. Adesset. So. Nonne tunc quoque tale coloratum est, quale ipsum esse solet? Mx. Haud intelligo. So. Sic forte intelliges. si quis comas tuas, quæ flavæ sunt, cærusa fucaverit, utrum albæ fiant? an potius videantur? Mx. Videbuntur. So. Verumtamen albedo illis aderit. Mx. Aderit. So. Nihilo magis tamen albæ adhuc erunt: et præsente candore neque candidæ erunt, neque nigræ. Mx. Vera loqueris. So. Sed quando senectute canescunt, tunc, o amice, tales fiunt, quale id quod advenit, cani coloris præsentia canæ. Mx. Quidni? So. Hoc illud est, quod quæsiveram, Numquid omne cui tale aliquid adest, confestim tale et ipsum evadat: an potius si certo modo adest, tale fiat; aliter minime. Mx. Hoc modo potius. So. Eadem ratione quod nec bonum est, nec malum, quandoque præsente malo nondum est malum, nonnunquam malum. Mx. Omnino. So. Quando nondum malum est præsente malo, præsentia hæc bonum appetere cogit: præsentia vero, quæ malum reddit, et appetitum boni et amicitiam rejicit. neque enim ulterius neutrum est, sed malum. [218] Amicum vero, malum bono, et bonum malo esse non potest. Mx. Non certe. So. Ob hanc utique causam sapientes dicendum haud ulterius philosophari, sive dii, sive homines isti sint: nec eos etiam, qui adeo corrupti ab ignorantia sunt, ut improbi sint effecti. nullum quippe malum et penitus ignorantem philosophari. Restant igitur illi, quibus malum id, ignorantia scilicet adest, nec tamen rudes penitus ignorantesque sunt, immo et suam ignorantiam agnoscunt: ob quam animadversionem philosophantur, id est, sapientiam amant, nondum boni aut mali. mali enim nequaquam philosophantur, nec boni etiam. nam nec contrarium contrario, neque simili simile, supra nobis amicum apparuit. recordamini? Mx. ET Ly. Recordamur sane. So. Omnino, o Lysis atque Menexene, quid amicum sit, et quid non, invenimus. id enim tam circa animam, quam circa corpus supra concludimus: quod nec bonum est, nec

Digitized by Google

malum, propter ipsam mali præsentiam, boni amicum fieri. Hæc illi omnia concesserant. Et ego valde lætatus sum, tanquam venator, qui id, quod venando investigabam, abunde fuerim consecutus. Deinde, nescio quomodo, extranea quædam et absurda suspicio mihi suborta est, quasi minus vera essent, quæ supra concesseramus. Atque illico turbatus inquam, Papæ, o Lysis atque Menexene, somnium quoddam nacti videmur. Me. Quorsum hæc? So. Vereor, ne tanquam in homines superbos atque vanos in hujusmodi de amico sermones falsos inciderimus. Me. Qua ratione? So. Hac plane. Utrum amicus alicujus amicus est, an non? Me. Necessario. So. Utrum nullius gratia, et propter nihil: an gratia alicujus, et propter aliquid? Me. Certe alicujus causa et propter aliquid. So. Nunquid amica est res illa, cujus gratia amicus alicujus est amicus? an forte nec amica, nec etiam inimica? Me. Haud satis intelligo. So. Verisimile est. verum sic et tu, et ipse, ut arbitror, melius intelligemus. Ægrotantem medici amicum esse diximus? Me. Diximus. So. Nonne propter morbum, et sanitatis gratia, medici est amicus? Me. Ita. So. Morbus malum? Me. Quidni? So. Sanitas bonum, an malum, an neutrum? [219] Me. Bonum. So. Prædiximus, corpus, cum nec bonum sit, nec malum, propter morbum, malum, medicinæ amicum esse: bonum vero medicinam. Causa vero sanitatis amicitiam medicina nanciscitur. sanitas autem bonum. Me. Prorsus. So. Amicum, an non amicum, sanitas? Me. Amicum. So. Morbus inimicum? Me. Penitus. So. Quod ergo nec bonum est, nec malum, propter malum inimicumque, boni amicum est, boni amicique gratia. Me. Patet. So. Ergo amici causa amicum, propter inimicum est amicum. Me. Opinor. So. Agite, pueri, postquam huc disputando devenimus, attendamus obsecro diligenter, ne forte decipiamur. Principio quod amicum amici amicum factum est, simile videlicet similis, quod impossibile esse in superioribus constitit, equidem prætermitto. Sed istud insuper consideremus, ne nos præsens opinio fallat. Medicinam sanitatis gratia amicum esse diximus? Me. Affirmavimus. So. Sanitas nonne amicum? Me. Valde. So. Si amicum, alicujus gratia est amicum. Ly. Est. So. Amici scilicet, si supra concessa permanent. Me. Et amici. So. Nunquid et illud iterum amici causa amicum erit? Me. Certe. So. Necessarium est, ut hoc progressu ad principium quoddam perveniamus, quod non ultra in amicum aliud referatur, sed in ipsum quod primum amicum est, singula, quæ dicuntur amica, respiciant. Me. Necessarium. So. Hoc est, quod modo dicebam considerandum, ne reliqua omnia, quæ amica gratia illius prædiximus, tanquam simulacra quædam ejus nos decipiant: illud autem primum revera sit amicum. Consideremus igitur hoc pacto. Quod quisque multi facit, ut puta pater filium, rebus aliis anteponit: talisque vir ex eo quod filium multi facit, alia quoque nonnulla ob illum æstimat. Exempli causa, si illum cicutam ebibisse senserit, vinum plurimi faciet, modo venena curaturum existimet. Me. Et maxime quidem. So. Nunquid et amphoram, in qua vinum? Me. Valde. So. Num pluris æstimat tunc calicem fictilem, aut tres cyathos, quam filium? an potius sic se res habet? omne hoc studium non ista respicit, quæ alterius gratia præparantur: sed in illud tendit, cujus causa cetera quæsita sunt. [220] Neque verum est, quod sæpe dicimus, quod argentum et aurum multi facimus. omnis quippe intentio æstimatioque illius unius est, ad quod ista parantur. Me. Constat. So. Eadem quoque de amico ratio est. Quæcunque enim, amici cujusdam gratia, amica nobis esse diximus, improprio vocabulo nominavimus. Amicum autem revera illud esse apparet, in quod hæ omnes, quæ vocantur, amicitiæ tendunt. Me. Sic videtur. So. Quapropter revera amicum, nullius amici gratia est amicum. Me. Verum. So.

Digitized by Google

Hoc igitur abait, ut amicum amici cujusdam causa sit amicum. sed nonne bonum amicum est? Me. Sic opinor. So. Num propter malum bonum amatur? et ita se res habet: Si ex tribus, quæ diximus, bonum, malum, neutrum, duo accipiantur, malum vero abeat, et nihil attingat, nec corpus, nec animam, nec aliud quidquam ex his, quæ diximus secundum se ipsa nec bona esse, nec mala: nunquid inutile penitus tunc nobis bonum esset? Si enim nihil nos ulterius læderet, nullo boni favore indigeremus. et iccirco tunc nobis pateret, quod propter malum bonum quæsiverimus amaverimusque: quasi bonum sit mali remedium, malum vero morbus: et cum nullus sit morbus, nulla medela indigeamus. An sic natura institutum est ipsum bonum, ut propter malum ametur a nobis, qui inter bonum malumque medii sumus? ipsum vero suapte natura nil conferat? Me. Ita videtur. So. Amicum itaque illud, in quod desinebant cetera omnia, quæ alterius amici gratia amica dicta sunt, longe aliter quam illa se habet. Illa enim amici gratia amica vocata sunt: ipsum autem, quod revera amicum est, contra amicum esse inimici causa nobis apparuit. quod si inimicum abesset, haud amplius nobis esset amicum. Me. Non, ut mihi præsens ratio persuadet. So. Si malum exstirparetur, [221] utrum fames nulla sitisve restaret, aut hujusmodi aliud? an forte fames aliqua relinqueretur, cum homines ceteraque animalia essent, neque noxia tamen? et sitis appetitusque reliqui, nec mali tamen, malo penitus exstirpato? an ridicula forsitan hæc quæstio est, quid tunc restaret, quid non? Me. Quis novit? So. Hoc saltem novimus, quod nunc accidit esurientem lædi, accidit et juvari. Me. Utique. So. Nonne sitientem quoque, et alia quælibet hujus generis cupientem, quandoque utiliter, quandoque noxie, quandoque neutro modo, appetere accidit? Me. Valde. So. Si mala perdantur, quæ mala non sunt, cum illis una interimentur? Me. Nequaquam. So. Erunt igitur appetitus nec boni nec mali, etiamsi mala fuerint interemta. Me. Verisimile. So. Fierine potest, ut qui desiderat aliquid, atque ardet, id ipsum non amet? Me. Non, ut mihi videtur. So. Hac de causa etiam destructis malis, ut videtur, amica nonnulla restabunt. Me. Ita. So. Sin autem malum causa esset, ut alterum alterius esset amicum, sublato malo nihil amicum esset. nam sublata causa, eventus ejus remanere non potest. Me. Probe loqueris. So. Nonne supra inter nos convenit, amicum amare aliquid, et propter aliquid? ac propter malum, id quod nec malum est nec bonum, ipsum bonum amare? Me. Convenit. So. In præsentia autem alia quædam causa vicissim amandi apparet. Me. Videtur. So. Nunquid, ut modo dicebamus, desiderium amicitiæ causa est? et id quod desiderat, desiderati est amicum, tunc quando desiderat? quod vero supra diximus amicum esse, umbratile quiddam est, quasi fictio prolixius circumscripta? Me. Apparet. So. Enimvero quod appetit, illud quo indiget, appetit. Me. Id ipsum. So. Indigum itaque, amicum est illius quo indiget. Me. Sic opinor. So. Eget quodlibet illo, a quo privatum est. Me. Quid prohibet? So. Ejus igitur quod proprium et cognatum est, ut videtur, amor, amicitia, appetitioque exsistit, o Menexene atque Lysis. Me. et Ly. Concedimus. So. Quare et vos, si amici estis invicem, natura quodammodo propinqui estis. Me. et Ly. Et maxime quidem. So. Et quisquis alius desiderat alium, o pueri, aut amat, ob id desiderat, [222] et diligit, atque amat, quod propinquus illi est vel secundum animam, vel animæ consuetudinem, aut mores, aut speciem: alioquin nunquam diligeret. Consensit plane Menexenus: Lysis tacuit. Sed ego, Quod, inquam, natura proprium est, necessarium est ut amemus. Me. Videtur. So. Ergo necessarium est, ut legitimus, et minime simulans amator, mutuo ab amatis ametur. His Lysis atque Menexenus vix tandem annuerunt: Hippo-

Digitized by Google

thalae autem laetitia gestiens, variis est infectus coloribus. Ceterum velens diligentius sermonem discutere, haec adjeci : Si proprium et simile differunt, diximus jam, o Lysis atque Menexene, quid est amicum. sin autem idem est simile atque proprium, haud facile est sermonem superiorem rejicere, quod non simile simili secundum similitudinem inutile : inutile autem, amicum nullo pacto. Vultis igitur, postquam disserendo velut ebrii facti sumus, fateamur aliud quiddam esse proprium, aliud simile? Mx. Volumus procul dubio. So. Utrum bonum cuique proprium ponemus, malum autem alienum? an malum malo proprium et bono bonum, neutro denique neutrum? Mx. et Ly. Singula haec singulis propria nobis esse videntur. So. Rursus, o pueri, in eos, quos a principio de amicitia redarguimus, sermones nunc incidimus. nam injustus injusto, malo malus, non minus amicus erit quam bonus bono. Mx. Ita videtur. So. Quid porro, si bonum et proprium idem esse dixerimus, nonne bonus bono dumtaxat amicus? Mx. Omnino. So. At istud quoque confutatum a nobis jamdudum existimavimus. recordamini? Mx. Optime. So. Ad quid ergo deinceps sermone utemur? ad nihil videlicet. Operae pretium itaque est, instar sapientum in judiciis, quae dicta sunt, enumerando resumere. Si enim nec amantes, neque amati, nec similes, neque dissimiles, nec boni, nec propinqui, nec alia quotcunque diximus, quorum propter multitudinem haud memini, si, inquam, nihil ex istis amicum est, nihil equidem quod afferam, amplius habeo. [222] Cum ista dixissem, cogitavi quendam e majoribus natu citare. sed illico, tanquam daemones quidam, pedagogi tum Lysidis quam Menexeni, una cum illorum fratribus, eos domum redire jusserunt. hesperus enim venerat. Primum itaque nos, et alii circumstantes, pedagogos repulimus. sed cum nihil nos curarent, et barbarice susurrantes graviter ferrent, crebriusque pueros vocitarent, illorum procacitate devicti, coetum dissolvimus. quippe cum illi Hermaeis, id est quadratis quibusdam lapidibus, insixi importune insisterent. Postea, jam abeuntibus illis, ad Menexenum Lysidemque conversus, haec breviter intuli : In praesentia ridiculi ineptique evasisse videmur, tam ipse grandis natu, quam vos pueri. siquidem isti abeuntes nos carpent, quod amicos invicem nos esse putemus, (ego enim me vobiscum annumero,) nondum autem, quid amicus sit, invenire potuerimus.

Digitized by Google

PROTAGORAS.

FAMILIARIS, SOCRATES, HIPPOCRATES, PROTAGORAS, ALCIBIADES, CALLIAS, CRITIAS, PRODICUS, HIPPIAS.

[309] Undenam, o Socrates? an videlicet a venatione filia venis, ad quam honesta Alcibiadis indoles provocare te solet? Vidi eam nuper: etiam vir ingenitam speciem pro se ferre videtur. virum inquam, puta cui per genas plurima lanugo jam serpit. So. Esto: quid tum? an non probas Homerum, qui gratissima est, inquit, primæ lanuginis ætas? eam vero nunc Alcibiades agit. Fam. Immo vero. At in præsentia unde? numquid ab illo? et quomodo erga te nunc affectus est adolescens? So. Bene quidem, hodie præsertim, mihi visus est. nam mihi supe hodie in dicendo succurrit: et ab illo nunc venio. Ac mirabile tibi quiddam referam: præsentem illum minime intuebar, et alio intendens ad eum vix advertebam. Fam. Quidnam tanti fuit, ut te ab illo diverteret? neque enim formosior ullus e nostris civibus adesse poterat. So. Immo aderat quidam admodum pulchrior. Fam. Quid ais? civisne? an peregrinus? So. Peregrinus. Fam. Cujas. So. Abderites. Fam. Numquid adeo insigni forma præditus tibi visus est peregrinus ille, ut Clinias filio eum præstare putaveris? So. Quid prohibet, o beate, quo minus quod sapientius est, sit et pulchrius? Fam. An forte a sapientis cujusdam colloquio venis? So. Sapientissimi profecto omnium nostræ ætatis hominum, si modo sapientissimus tibi aliorum omnium Protagoras esse videtur. Fam. En quid ais? numquid huc accessit Protagoras? So. Nudiustertius. Fam. An modo cum illo fuisti? [310] So. Modo: et multa locutus sum, audivi etiam multa. Fam. Cur non illa nobis refers? Nisi quid prohibet, sedere hic licet. tibi quidem puer iste cedet. So. Referam equidem, et gratiam insuper, si audieris, habebo. Fam. Nos quin etiam geminas tibi agemus, si dixeris, gratias. So. Audite igitur. Superiori nocte ante lucis exortum Hippocrates Apollodori filius fratet Phasonis ostium meum baculo vehementer pulsavit: et cum ostium aliquis aperuisset, repente ingressus est, clamitans, Dormis, o Socrates adhuc, an vigilas? Ego autem cognita ejus voce, Hippocrates hic est, inquam. o Hippocrates, numquid novi? Nihil, inquit, nisi gratum nuntiaturus advenio. Optime, inquam. sed quid istud? quam te huc causa appulit? Protagoras venit, et prope me divertit. Tum ego, Ille jampridem venit: tu vero modo audisti? Vesperi per deos, inquit ille: scabellumque contractus ad pedes meos subsedit: adjecitque, Hesterno vespere sero admodum ex Œnoe reversus; puer enim me Satyrus fugerat: cumque persequi me illum significare tibi vellem, alio quodam interveniente oblitus sum. At cum venissem, cenatique essemus, et somno nos dare vellemus, tunc primum nuntiat frater venisse Protagoram. Illico ad te properare tentavi, sed intempesta nox detinuit. Somno autem expergefactus, laboreque levatus, mox ad te huc advenavi. Ego vero ejus fortitudinem stupentemque cognoscens, Quid hoc ad te, inquam? num aliqua te injuria Protagoras afficit? Tum ille subridens, Per deos, o

Digitized by Google

Socrates, quoniam solus est sapiens, me vero non efficit sapientem. So. Immo certe et te sapientem reddet, si mercede illi oblata persuaseris. Hip. O Jupiter atque ceteri dii, neque meis neque amicorum rebus parcerem, modo id me consecuturum confiderem; atque idcirco te nunc adeo, ut apud eum pro me intercedas. Ego enim et junior sum, et Protagoram nunquam vidi aut audivi. puer enim tunc eram, cum huc primum accessit. Virum quidem hunc omnes, o Socrates, laudant, et in dicendo sapientissimum ferunt. [311] Sed cur non properamus ad eum, ut domi illum conveniamus? divertit sane, ut audivi, apud Calliam Hipponici filium. eamus jam. So. Nondum, o bone vir, inquam, illuc eundum. nam valde adhuc profunda nox. sed eamus in aulam, ubi deambulabimus quoad aurora lucescat: postea Protagoram ipsum adibimus. neque enim summo mane domo exit Protagoras. Quapropter confide, domi namque illum comperiemus. His dictis, surreximus, et in aulam profecti sumus: ac volens ipse fortitudinis ejus periculum facere, intuitus sum diligenter, atque ita interrogavi: Dic age, o Hippocrates, ad Protagoram nunc accedis, mercedem pro te illi daturus? Ad qualem hominem vadis? et ipse qualis ex eo vir evasurus? Quemadmodum si ad Hippocratem in nomine tecum consortem Coum et Æsculapii stirpe natum proficisci velles, pro te mercedem erogaturus, et aliquis quæreret, Dic mihi, o Hippocrates, mercedem Hippocrati dabis? qualinam homini, et cujus ratione? quid responderes? Hip. Ut medico. So. Qualis et ipse futurus, id est, cujus gratia? Hip. Ut medicus evasurus. So. Sin autem aut Polycletum Argivum, aut Phidiam Atheniensem adires, mercede pro te oblata, et aliquis percontaretur, qualibus hominibus, et qua ratione Polycleto, et Phidiæ argentum offers? quid ad hæc? Hip. Tanquam sculptoribus. So. Tu vero qualis homo futurus? Hip. Sculptor videlicet. So. Attende, obsecro. ad Protagoram nunc ego ac tu proficiscimur, et argentum tui gratia dare illi parati sumus, si modo pecuniæ nostræ sufficiant, persuademusque: sin minus, amicorum, insuper pecunias erogabimus. Si quis ergo nos ad hæc adeo properantes interrogaret, Dicite mihi obsecro, o Socrates et Hippocrates, qualinam homini, et qua ratione Protagoræ pecunias tribuere cogitatis? quid illi responderemus? quodnam potissimum Protagoræ cognomentum audivimus? Phidiam quidem sculptorem nominant; Homerum vero poetam: Protagoram autem? Hip. Sophistam, o Socrates, virum hunc appellant. So. Ergo tanquam ad sophistam mercede persuadendum perginus? Hip. Maxime. So. Si quispiam te interroget, qua mente, et qualis evasurus ipse Protagoram adeas, quid ad illum? Hic Hippocrates erubuit: [312] jam enim aurora paulisper illuxerat, quo vultus ejus patere habitus poterat. respondit deinde, Ut supra dicta concludant, profecto tanquam sophista et ipse futurus. So. An non vereris inter Græcos sophistæ cognomen? Hip. Vehementer, o Socrates, si quod sentio profitendum est. So. Sed enim vide, o Hippocrates, ne forte alio tendat tuum hoc Protagoricæ artis studium, quam ut sophista efficiaris: quemadmodum grammatici ludum, citharædique, atque gymnastici, non artis ipsius exercendæ gratia frequentasti, sed quadam potius aviditate discendi, ut privatum ac liberum hominem decet. Hip. Talis omnino studii mei apud Protagoram ratio futura videtur. So. Scisne, quid nunc facturus sis? an te fugit? Hip. Qua de re? So. Animi tui curam viro, ut ais, sophistæ es commissurus. Quid autem sophista sit si scias, summopere admirabor. quod si ignoras, nescis quale sit istud, bonumne an malum, cui operam impendere studes. Hip. Scire equidem arbitror. So. Dic ergo, quid sophistam esse censes? Hip. Arbitror esse hunc, ut nomen significat, qui rationes ad sapientiam pertinentes intelligit. So. Idem quoque de pictoribus ac fabris licet dicere, eos esse videlicet qui rationes

Digitized by Google

ad sapientiam pertinentes intelligunt. Verum si quis de pictoribus roget, ad quarum rerum sapientiam: responderemus utique, ad efficiendarum imaginum sapientiam; similiterque de cæteris. Et si eodem modo de sophista interrogaremur, qualem ejus sapientiam esse responderemus? quod ejus officium? Hip. Sapientiam profecto qua homines ad dicendum facundi redduntur. So. Vere sic fortasse dicteremus, non tamen sufficienter. Responsio enim illa interrogationem aliam exigit, quibusnam dicendis sophista homines facundos efficiat. Citharista nempe iisdem dicendis aptos facit, in quibus et eruditos, in pulsationibus videlicet citharæ. nonne? Hip. Certe. So. At vero sophista, quam dicendi facultatem præstat? quibus de rebus? patet, quod de his quæ intelligit. Hip. Verisimile id quidem. So. Quid ergo istud est, quod et ipse sophista intelligit, et alios docet? Hip. Per Jovem, ignoro. [313] So. An non vides, quanto discrimini animum tuum subdas? numquid si corpus tuum eidem discrimini supposituras esses, quo vel in melius verti, vel in deterius posset, non prius alicui tantum de te periculum facturo committeres, quam diligenter considerasses, committendumne sit an non: amicos quinetiam, et propinquos diu de hoc ipso consuluisset? Cum vero animum tuum pluris facias quam corpus, et ex ejus corruptela vel integritate contingat tua omnia male, vel bene affici, utrum committendus sit an non hui cheopiti animus, neminem vel propinquorum vel amicorum consuluisti: sed cum hesterno vesperi adventum illius audiveris, ad eum summo mane properas, nullo de hoc consilio habito, utrum credere teipsum illi debeas, necne. immo et tuas omnes, et amicorum pecunias erogare paratus es, quasi jam cognoveris omnino esse Protagoræ adhærendum, quem neque vidisti unquam, ut ais, neque es allocutus. Sophistam vocas illum: et quid sophista sit nescis, cui teipsum es dediturus. Hip. Vera loqui videris, o Socrates. So. Nonne sophista est, o Hippocrates, mercator quidam, et caupo victualium quorundam, quibus animus alitur? Hip. Talis mihi esse videtur. verum quibus alitur animus? So. Disciplinis. sed cavendum est, o amice, ne dum laudat sophista quæ vendit, nos decipiat, ut faciunt qui corporis epulas vendunt, mercatores quidam et cauponæ. Laudant illi quidem sua omnia, neque intelligunt, utrum salubria sint an noxia corpori quæ vendunt: idque ignorant et illi qui emunt; nisi forte illorum aliquis medicus sit, aut gymnasticus. Haud secus illi qui disciplinas varias per urbes venales circumferunt, et cauponantes eas emptoribus vendunt, laudant omnes. ac forte eorum nonnulli ignorant sæpe, quid utile animo sit, quidve inutile ex his quæ vendunt: similiter quoque qui ab illis emunt; nisi illorum aliquis sit animi medicus. Si ergo intelligis ipse, quid ex his prosit, quidve obsit, tuto emere disciplinas et a Protagora et ab alio quovis potes. [314] alioquin cave, o beate adolescens, ne in summum jacturæ discrimen, quæ tibi carissima sunt, deducas. Nam longe gravius periculum est in disciplinis quam cibis emendis. Etenim qui esculenta emit et poculenta, potest antequam his vescatur, in aliis quibusdam vasculis illa domum deferre, ibique deposita diligenter examinare, et advocato aliquo istarum rerum perito, quid edendum bibendumve sit, quid non, quantumque, et quando, deliberare. quamobrem haud grave est in emendo periculum. Disciplinas autem non licet alio in vase transferre, sed necesse est, ut qui emit eas animo capiat, et solvto pretio abeat, intra se ferens, inquinatusque jam, vel ad meliora proveotus. Hæc itaque cum senioribus discutiamus. juniores namque nos annus quam exigat tantæ rei judicium. In præsentia tamen pergamus quo cœpimus, virumque hunc audiamus: quo audito cum aliis communicabimus. neque enim Protagoras ibi solus adest, sed etiam Eliensis Hippias, et Prodicus, ut arbitror, Chius, aliique permulti viri, et admodum sapientes. Placuerunt hæc nobis,

Digitized by Google

atque pervenimus. Et ingressi vestibulum sermonem quendam, in quem inter eundum forte incideramus, tractavimus. ne ergo imperfectus relinqueretur, in vestibulo ipso colloquuti sumus, quoad in disputando convenimus. Audivit nos eunuchus quidam janitor: sed propter sophistarum turbam venientibus irascebatur. Pulsavimus: aperuit. Cum nos vidisset, Hui, sophistæ etiam hi sunt, inquit. haud otium illi. et simul utrisque manibus ulnus ostium clausit. Pulsavimus iterum. sed ille clausis e foribus, O boni viri, inquit, non auditis, otium illi non esse? O bone vir, inquam, neque ad Callian venimus, neque sophistæ sumus. sed confide: Protagora indigemus, videre illum cupimus. hoc nuntiato. Vix tandem fores patefecit. Ingressi, Protagoram offendimus in vestibulo porticus deambulantem. Sequebantur eum multi, hinc quidem Callias Hipponici filius, et germanus ejus ex matre Paralus Pericle natus, et Charmides Glauconis: [315] inde vero alter Periclis filius Xanthippus, et Philippides Philomeli, et Antimœrus Mendæus, qui inter omnes Protagoræ auditores insignior habebatur, discebatque ea mente facultatem illam, ut et ipse sophista futurus eadem quandoque doceret. A tergo præterea sequebantur alii auscultantes Protagoræ, quorum plurimi peregrini esse videbantur, quos ex singulis urbibus, per quas circumvagatur ille, congregat, mulcens eos voce, tanquam Orpheus, et alliciens. illi vero vocem passim permulceti sequuntur. Aderant et nostrates quidam in eo choro. Hunc ego chorum cum contemplarer, ordo me illius mirifice oblectabat. diligenti siquidem cautione singuli observabant, ne passu Protagoram anteirent: sed cum retro pedem verteret, pedisequi auditores apte nimium, et in circulum utrinque divisi, ita cedebant, ut posteri semper essent. Hunc post vidi, ut verbis Homeri loquar, Hippiam Elienem sub opposito porticus vestibulo in throno sedentem. circa quem in subsellüs nonnulli sedebant, Eryximachus Acumeni filius, Phædrusque Myrrhinusius, Andron Androtione genitus, aliique nonnulli partim cives, partim etiam peregrini: qui de rebus naturæ sublimibus, astrorumque progressibus interrogare Hippiam videbantur. ille autem in throno sedens dubitationes singulis enodabat. Vidi præterea Tantalum. aderat porro Prodicus Chius, qui in tabernaculum quoddam secesserat, quo pro more uti Hipponicus consueverat: sed ut omnia confluentium hospitum turba exciperetur, angulum quoque illum extractis obsoletis Callias hospitibus habitandum dederat. Involutus igitur recumbebat ibi Prodicus super villosis stramentis, et quidem multis, ut videbatur. Sedibus autem proximis aliqui considebant, Pausanias Cerameus, et penes eum adolescentulus quidam optimo ingenio et generosa indole præditus, nomine, ut audivi, Agathon: neque mirum videri debet, si Pausaniæ sit carissimus. erat ibidem et Adimantus uterque, tum Cepidis, tum Leucolophidæ filius, aliique permulti. Quos vero discesserant, haud satis extrinsecus percipere potueram, quamquam vehementer audire Prodicum affectabam. [316]. sapientissimus enim divinusque vir mihi esse videtur: sed reboatus quidam ex vocis ipsius rotunditate sub fornice continue revolutus, verba singula confundebat. E vestigio post ingressum nostrum intrarit Alcibiades, ut sis ipse, pulcher, et ego credo, et Critiæ Callæschri filius. Nos autem, cum ingressi de quibusdam una disseruissemus, eaque essemus spectacula contemplati, accessimus ad Protagoram. Deinde, o Protagora, inquam, certa de causa ad te ego et Hippocrates hic venimus. PROT. Numquid seorsum ab aliis mecum loqui vultis? an coram omnibus? SO. Ad nos quidem nihil refert: sed cum audiveris quam ob causam venimus, ipse videris. PROT. Quid ergo istud est, cujus gratia huc accessistis? SO. Hippocrates hic noster est, Apollodori filius, nobili atque felici genere ortus. ipse vero cum æqualibus suis æmulatione concitus de virtute contendit, capitque in republica vir

Digitized by Google

illustris evadere, atque hujus rei compotem familiaritate tua fore se sperat. Vide, utrum de hoc soloe tecum, an coram aliis consultare nos decent. Prot. Videris, o Socrates, recte saluti meæ consulere. prudenti namque cautione indiget peregrinus is, qui amplas urbes circumlustrans, claris ubique juvenibus persuadet, ut relicta aliorum omnium, tam socrum, quam alienigenarum, tam senum, quam juvenum consuetudine, ipsi soli adhæreant, tanquam ipsius familiaritate præstantiores aliis evasuri. invidi adversus eum insurgant necesse est, multique malevoli huic insidientur. Ego vero artem sophisticam antiquam esse arbitror: priscos autem viros in ea peritos, invidiam hanc offensionemque veritos, sub aliarum artium specie dissimulasse: partim quidem sub poëmatis specie, ut Homerus fecit, et Hesiodus, et Simonides; partim vero sub sacrorum oraculorumque appellatione, ut Orpheus, et Musæus, eorumque etiam sectatores. audivi præterea, nonnullos eam artem appellasse gymnasticam: quod Iccus Tarentinus fecisse videtur, et qui adhuc superest sophista nullo inferior Selybrianus Herodicus, qui prisca origine genus a Megarensibus ducit. Pythocles quinetiam, Chius sophista doctissimus, aliique permulti, sub musicæ artis velamine sophisticam facultatem occuluerunt. Hi omnes, sicut dictum est, ut invidiam devitarent, vehementer dissimularunt, et sub artium aliarum prætextu sophisticam artem occuluere. [317] Ego autem ab his omnibus in hoc dissentio: neque conducere versutias istas existimo. Neque enim voti compotes eos fieri arbitror. nam viri in civitate præstantes dissimulationes ejusmodi omnes intelligunt. vulgus autem quodammodo non advertit, sed ea laudat, quæ ipsi prædicant. Subterfugiendi vero studium istud cum non assequitur quod molitur, et insertem indicat fugientem, et adversantes homines reddit infensiores. existimant enim præter cetera hanc versutum seductoremque esse. Ego igitur contrariam quandam viam sum ingressus. Confiteor me esse sophistam, aliosque docere: et hac ingenua confessione, tutius quam dissimulatione illa, vitari invidiam censeo. Aliis præterea rationibus mihi prospexi, ut nihil mali, adjuvante deo, ob sophisticæ professionem sim passus, licet multos annos facultatem hanc exercuerim. Sum equidem grandis natu, et cujusque vestrum ætate pater esse possem. Quamobrem gratissimum mihi erit, si de iis mecum, audientibus omnibus qui intus sunt, verba facere velitis. Hic ego cum suspicatus ostentare auctoritatem suam apud Prodicum et Hippiam velle, quod ejus sapientiæ aviditate inflammati ad eum audiendum profecti essemus, Cur non, inquam, Prodicum atque Hippiam, et eos qui hos comitantur, huc advocamus, ut et ipsi nos audiant? Prot. Advocemus. C. Veltis, sedes hic paremus, ut sedentes edisseratis? Consensimus omnes. et audiendi aviditate admodum festinantes sedes omnes collegimus, et juxta Hippiam confestim paravimus. ibi enim plurima erant subsellia. Tum Callias et Alcibiades adventarunt, Prodicumque et adstipulatores ejus secum duxerunt. Postquam igitur consedere omnes, Repete, o Socrates, inquit Protagoras, his præsentibus quæ me paulo ante pro adolescente hoc obsecrabas. [318] Ab eodem, inquam, exordio nunc, quo supra, incipiam. Hippocrates hic adhærere tibi vehementer exoptat: verum quidnam sit ex hac consuetudine reportaturus, libenter audiret. hucusque nostra se extendit oratio. Prot. Petis, quid mecum lucraturus sis, adolescens? nunquam accedet ad me, quia abeas doctior, singulisque diebus mecum proficies. So. Haud miram hoc, o Protagora: sic enim convenit: quandoquidem et tu tam grandis natu, tamque sapiens, si quæ nescis ab aliquo disceres, præstantior abires. At vero non id dumtaxat exquirimus. Sed perinde ac si Hippocrates mutata sententia versari cum adolescente hoc nuper huc profecto Zeuxippo cuperet, Heracleoti filio, eumque aggressus, ut te nunc, eadem ex illo quæ ex te audiret, quod videlicet quotidie eum

Digitized by Google

eo proficiet, ac deinde interrogaret Zeuxippum, qua in re sit profecturus, respon-deret utique, In pingendo: et si Orthagoram Thebanum conveniat, audiatque ex illo doctiorem se in dies ejus consuetudine evasurum, sed, qua in re doctiorem, interro-get, In tibiarum sono, Orthagoras respondebit: eodem modo et tu huic adolescenti mihique pro illo petenti responde. Ais enim, Hippocratem, si Protagoræ adhære-bit, in dies doctiorem fore. qua tandem in re? declara. Tum Protagoras, Scite interrogas tu quidem, o Socrates: et ego his qui probe interrogant, libenter respon-deo. Hippocrates quidem, si mecum versetur, in eum errorem non incidet, in quem procul dubio incidisset cum sophistis aliis conversatus. alii siquidem juveni-bus obsunt. Invitos namque illos ad artes retrahunt, quas aufugerant, ratiocinati-ones porro computationesque, astronomiam, geometriam, musicam tradunt. et Hip-piam simul aspiciens addidit, Quisquis autem ad me venerit, solum id discet, cujus gratia venit: disciplina vero hujusmodi est, prudens in re familiari et republica consultatio, qua quis et domum recte gubernat, et civitatis negotia optime et di-cendo transigit, et agendo. [319] So. An intelligo quod vis, Protagora? civilem namque artem dicere mihi videris, politicrique viros optimos cives efficere. Prot. Hoc ipsum est, o Socrates, quod passim prædicas. So. O quam præclarum nactus es artificium! si modo es nactus. nihil sane aliud erga te quam quod sentio pro-ferendum. Id equidem, o Protagora, doceri non posse putaram. tibi tamen autu-manti non præstare fidem nequeo. Quam vero ob causam neque doceri posse, ne-que ab hominibus aliis aliis tradi censeo, jure declarare debeo. Equidem, quod et ceteri Græci testantur, Athenienses viros sapientes appello. Video igitur, quando concione congregata aliquid de ædificando deliberare vult civitas, ædificatorum con-silium expeti: et cum de navium fabrica, fabros navium accersiri. idem quoque fa-ciunt in ceteris omnibus, quæcunque doceri et disci posse existimant. Et si quis alius consultare de artis illius opere pergit, cujus expertem esse putant, seu præcla-rissimus in aliis vir sit sive ditissimus sive admodum generosus, nihilo magis admit-tunt, sed exsibilant et explodunt: quoad vel ipse tumultu deterritus a dicendo desistat vel jubentibus magistratibus arciferi aut extrudant ipsum protinus, aut transfigant. Id itaque in omnibus ad perceptionem artium pertinentibus observare consueverunt. At cum de publica civitatis administratione consultandum est, con-sulit architectus æque ac faber ærarius, æque etiam cerdo, mercator, nauta, dives, pauper, ignobilis, generosus: neque horum ullus quemquam explodit, ut in super-ioribus contingebat, quasi nusquam didicerit, nullumque habuerit præceptorem, attamen consultare audeat. Constat porro, quod doceri posse non putant. Neque publice solum hoc, sed et privatim conspicitur. etenim qui civili sapientia pollent virtutem hanc in alium transfundere nequeunt. Siquidem Pericles horum adoles-centum pater, in his rebus quæ sub magistro discuntur, diligenter eos erudivit: [320] in his autem in quibus ipse sapit, neque ipse erudit, neque alteri cuiquam committit erudiendos: sed passim quasi pascentes sine custode pererrant, si forte casu quo-dam in hanc virtutem incidant. Idem quoque Pericles, cum esset Clinias tutor fratris Alcibiadis hujus minoris nati, illique metueret ab Alcibiade, ne forte con-suetudine ejus inquinaretur, segregavit eos, et Cliniam apud Aripharonem educavit: sed nondum sex inde exactis mensibus illi eum reddidit, cum ingenio illius diffide-ret. Multos præterea commemorare possem, qui cum in republica excellentes viri essent, nullum tamen aut propinquorum, aut alienorum edocuerunt. Equidem, o Protagora, dum hæc animadverto, virtutem doceri posse diffido. Contra vero dum te audio hæc asserentem, sententiam mutare cogor, et quæ dicis haudquaquam ar-bitror contemnenda, existimans te usu multarum rerum doctrinaque et inventione

Digitized by Google

sapientem esse. Ergo si potes clarius ostendere nobis, quod virtus doctrina aliqua comparetur, ostende obsecro, ne invideas. Prot. Haud invidebo, o Socrates. Sed utrum vobis tanquam senior junioribus fabulam referam? an prosequar disputando? Tuno sane audientium plurimi, utcunque mallet, dicere concesserunt. Prot. Gratiorem vobis fore fabulam arbitror. Olim quandoque dii soli erant, nulla vero mortalium genera. Sed cum tempus generationis fatale venisset, ipsa dii in terræ visceribus ex igni terraque finxerunt, intervenientibus iis, quæ igni terræque miscentur. Cum vero educere illa in lucem vellent, Prometheo Epimetheoque mandarunt, ut competentibus viribus singula prænimirent. Prometheum itaque rogavit Epimetheus, ut distributionis illius munus ipsi concederet, dispartientemque consideraret. Consensit Prometheus: distribuit ille. Quibusdam robur absque celeritate indidit, quosdam imbecilliora velocitate donavit: armavit nonnulla, inermibus autem aliud quoddam ad salutem machinamentum excogitavit. Quæ enim exiguo corpore clauserat, partim per aërem pennis attolli, partim per terram subrepere jussit: quæ vero in molem amplam auxerat, ea ipsa mole ad salutem suam munivit: [321] similiterque in ceteris exæquans dispertiit singula, adeo ut nullum genus penitus deperdatur. Postquam ipse ita instruxit, ut voraginem mutuam devitarent, excogitare jam cœpit, qua ratione quam facillime sub divo agere vitam possent. Vestivit itaque illa confertissimis pilis setisque, pellibusque durissimis, quibus facile tum hiemis, tum æstus intemperiem tolerarent: et naturalia illis stramenta iisdem ex rebus cubiliaque paravit: pedibusque soleas addidit, ungulas, setas, callum, pelles itidem quam durissimas. Deinde alimenta aliis alia suppeditavit, quibusdam ex terra herbas, nonnullis ex arboribus poma baccasque, radices aliis. nec defuerant, quibus daret ex alterna voragine victum. Ceterum voracibus animalibus genus quodammodo sterile: aliis autem fecundum dedit, ut hoc modo genus conservaretur. Cum vero non esset admodum sapiens Epimetheus, dotes omnes imscius effudit in bruta: neque advertit nihil ex tanta sibi elargitione superfore, quo genus nostrum deinde donaret. Restitit ergo hominum genus immune: unde quo se verteret ambigebat. Dubitanti Prometheus adstitit partitionis illius considerator, viditque cetera animalia suis quæque falta muneribus bonisque referta, hominem autem nudum, inermem, calceorum, stramentorumque indigum. Jam vero imminebat fatalis ipse dies, qui in lucem terra exire cogebat. Cumque aliam salutis humanæ viam consultans Prometheus non inveniret, surripuit Vulcani Minervæque artificiosam cum igne pariter sapientiam, neque enim fieri poterat, ut eam sine igne nanciscerctur quis, vel etiam uteretur. Eam itaque sic hominum generi Prometheus est largitus: atque ita sapientiam quæ victum suppeditat consecuti sumus. Deerat adhuc civilis hominibus sapientia. Erat illa quidem apud Jovem: cujus arcem ascendere Prometheo nondum licebat. horribiles enim Jovis ipsius custodes circumstantes arcem Prometheum deterrebant. Ceterum communem Vulcani Minervæque officinam, in qua artes excolebantur, clam ingressus furatus est igneam Vulcani artem, aliamque Minervæ, atque homini tradidit: qua vivendi facultas obtigit. [322] Prometheus autem, ut fertur, propter Epimetheum furti pœnas dedit. Quoniam vero solus ex omnibus animantibus homo divinæ sortis particeps effectus est, principio solus ob hanc cognationem deos esse putavit, aramque illis statuasque dicavit. deinde vocem in verba articulatim arte distinxit, ædes construxit, vestes calceosque confecit, stramenta elaboravit, ex terra alimenta collegit. Ita homines ab initio constituti sparsim vagabantur habitabantque: nam urbes nondum construxerant. Ergo a feris, cum imbecilliores essent, passim laniabantur. artium enim facultas ad victum comparandum sufficiens erat, ad pugnam

Digitized by Google

vero contra bestias truculentas minime. Civilis namque peritia, cujus pars quaedam est res militaris, expertes erant. Ut igitur se adversus eam pestem munirent, structis urbibus congregati sunt. Congregati autem invicem injuriabantur, quippe qui civili arte carerent. quare dispersi iterum a feris lacerabantur. Verum Jupiter, humanae saluti consulens, Mercurium misit, pudorem et justitiam hominibus affecturum, ut duo haec civitates ornarent devincirentque, et mutua benevolentia cives conciliarent. Interrogavit ergo Mercurius, qua conditione pudorem et justitiam hominibus traderet. Utrum ita haec, ut artes, distribui debent, inquit Mercurius? illae siquidem ita distributae sunt, ut unus in arte medicinae peritus pro rudibus multis sufficiat, ceteraeque similiter. numquid ita pudorem et justitiam hominibus dabo? an omnibus inseram? Omnibus, respondit Jupiter: omnes siquidem horum participes esse debent. neque enim civitates ullae constarent, si horum pauci, ut artium aliarum, participes essent. Legem praeterea meo nomine condas, qua quisquis omnino justitiae pudorisque est expers, tanquam civitatis pestis quaedam ultimo afficiatur supplicio. Haec de causa, o Socrates, tam alii omnes, quam Athenienses, quoties de architectura, vel alio quodam opificio, sermo est habendus, paucos ad consilium adhibent; ceteros autem in artibus rudes excludunt, ut et tu ais, et ego approbo. Quoties autem de civili administratione initur concilium, quae virtus temperantia et justitia constat, jure unumquemque admittunt: [323] quippe cum oportet omnes hujus virtutis esse participes, alioquin civitates nullas consistere. Haec, o Socrates, ejus de quo dubitabatur est causa. Sed ne te decipi suspiceris, hanc insuper accipe conjecturam, quod omnes homines censeant singulos virtutis hujus civilis, temperantiae scilicet et justitiae, compotes esse. Enimvero in ceteris facultatibus, ut tu ais, si quis se jactet, puta quod sit optimus tibicen, cum tamen in hoc ipso sit rudis, audientes hunc rident, atque plurimi indignantur: ipsum quoque propinqui admonent ut insanum, et increpant. Contra vero in civili virtute contingit. nam licet sciant aliqui quempiam injustum esse, tamen si ille hoc coram nescientibus fateatur, insanire eum existimant, neque patefaciendam censent iniquitatem, immo semper, sive adsit, sive non, justitiam ostentandam: eum vero, qui non simulat justitiam, delirare: tanquam oporteat unumquemque civilis virtutis quodammodo participem esse, vel ex hominum coetu vitaque exterminari. Ex his sufficienter ostensum puto, quod merito quemlibet de re civili consultorem admittunt, quia virtutis hujus compotem quemlibet esse censeant. Quod autem virtutem neque innasci, neque sorte contingere putent, sed doctrina et studio comparari, deinceps tibi conabor ostendere. Nemo ob ea mala, quae vel natura vel casu fieri putat, succenset alicui vel objurgat, vel edocet, vel punit eos, qui hisce malis premuntur, ne tales sint: sed omnes potius miserantur, ceu deformes, parvos, valetudinarios homines. nam quis adeo demens, ut ista corripiat? intelligunt sane, ut arbitror, omnes, haec mala, eorumque contraria, naturam hominibus fortunamque provenire. Contra vero cum mala quaedam adesse cuiquam ex studio, consuetudine et doctrina existimant, tunc indignantur, increpant, atque puniunt, ex quorum numero est iniquitas, et impietas, ac summatim quidquid civili virtuti repugnat. [324] quo idcirco quisque passim damnat et corripit, quod de industria atque disciplina tam contraria pravitas, quam civilis virtus, adveniat. Si enim punitionis intentionem considerare volueris, Socrates, ex eo quoque intelliges, quod homines virtutem studio comparari putant. Nemo enim praeteriti gratia punit, et ea mente injustos affligit poena, quia injuriati sunt: nisi quis tanquam brutum absque ratione persentiat. verum qui ratione punire aggreditur, non praeteriti sceleris causa punit: (neque enim assequi potest, ut quod est factum sit infectum:) sed

Digitized by Google

ad futurum respicit, ne iterum aut ipse delinquat, aut alius quilibet exemplo ejus adductus. Quisquis autem hoc proposito censuraque ejusmodi animadvertit in errata, doctrina virtutem existimat comparabilem: nam absterrendi causa plectit. Hac mente opinioneque ad plectendum accedunt tam publice quam privatim, quicunque in peccantes animadvertunt. Condemnant autem puniuntque cum ceteri omnes, eos quos judicant peccatores, tum maxime cives tui Athenienses. Quamobrem Athenienses quoque ex hac ratione in eorum numero esse constat, qui doceri virtutem putant. Ex his aperte, ut arbitror, monstratum est, o Socrates, non injuria cives tuos in civili administratione consilium ærarii fabri coriariique non respuere, atque eos, doctrina et studio per exercitationem acquiri posse virtutem existimare. Restat dubitatio illa, quam de viris virtute claris ipse movebas, Quam ob causam illi filios suos in omnibus, quæ sub præceptore discuntur, erudiunt: quod vero ad paternam virtutem spectat, nihilo aliis hominibus clariores efficiunt. Ad hoc rationem, o Socrates, non fabulam afferam. Sic enim cogita, Utrum est unum aliquid, aut non, cujus necesse sit cives omnes esse participes, si modo constare civitas debeat. Ita enim hæc tua ambiguitas solvitur, aliter vero minime. Si unum hoc exstat, neque est architectorum, neque æreariorum artificum, neque figulorum opificium, sed justitia, temperantia, sanctitas, [325] et, ut paucis comprehendam, viri propria virtus: si hoc est, inquam, cujus participes esse oportet omnes, et cum hoc discere et agere quodcunque placeat aliud; absque hoc nequaquam: expertem vero hujus doceri, corripique et puerum, et virum, et mulierem, quoad correptione melior efficiatur: si quis autem hanc spreverit disciplinam, eum tanquam insanabilem expelli e civitatibus vel interfici: si ita est, inquam, ut diximus, virique præstantes in republica cives, in aliis erudiunt filios, in hoc nequaquam, adverte, quam mirabiliter in eo excellentes evadant. quod enim doceri posse tam privatim quam publice opinantur, ostendimus. Cum vero et doctrina et cura acquiri hoc possit, alia filios docent, in quibus non est adversus nescientes mortis pœna proposita: in quibus autem mors et exilium aut pecuniarum ablatio aut domorum subversio premit iguaros rudesque filios, in his non omni diligentia patres erudiunt: et ubi minæ hujusmodi urgent, doctrina curaque levior adhibetur? Existimare decet, o Socrates, a teneris annis usque ad vitæ finem erudiri eos atque moneri. Nam cum primum puer quæ dicuntur intelligit, nutrix, mater, pædagogus, pater, ad hoc omni cura studioque contendunt, ut in singulis tum verbis, tum operibus optimus puer evadat. sigillatim enim monstrant quid justum, quid injustum; quid honestum, quid turpe; quid sanctum, quidve profanum; quæ agenda sint, quæ non. quibus si obtemperat puer, bene secum agi putant: sin contra renititur, tum veluti contortum obliquumque lignum minis plagisque dirigunt. Posthæc ludimagistris pueros curandos tradunt, morumque bonorum diligentiam multo magis, quam literarum citharæque doctrinam, a magistris exposcunt. præceptores autem curant et excolunt. Et postquam literas didicerunt, ad scriptaque convertuntur, poëtarum in primis excellentium opera legenda illis ediscendaque proponunt, quibus monimenta quamplurima inseruntur, priscorumque virorum virtute præstantium gesta laudantur, ut puer æmulatione accensus præclara majorum facinora imitetur. [326] Citharistæ quoque aliis quibusdam talibus, præsertim temperantiæ, student, caventque ne quid perperam adolescentes agant. Atque ubi pulsare citharam didicerunt, poëtarum iterum aliorum cantus modulatione præstantium cantilenas docent, quas ad citharam concinant: rhythmosque et harmonias puerorum animis conformare conantur, ut mitiores modestioresque et concinniores effecti, ad agendum utiles sint, et ad dicendum. Omnis enim hominis vita numerosa quadam indiget conso-

Digitized by Google

nantia. Post hæc ad gymnasiorum magistros parentes filios mittunt, ut firmum aptumque adepti corporis habitum, optime menti suggerant ministerium; ne fragilitate corporum impediti, a militaribus civilibusque actionibus tanquam laboriosis absterreantur. Hæc nempe observant maxime ii, qui maxime possunt. possent autem maxime opulentissimi viri, eorumque filii, qui primi disciplinarum scholas ingressi, novissimi exeunt. Scholis autem egressi, a magistratibus leges juraque discere, eorumque exemplo vivere coguntur: ne quid ipsi proprio ingenio freti temere agant: sed quemadmodum literarum magistri pueris adhuc scribendi ignaris calamo exemplar quoddam præsignant, ad cujus characteres scribendi artificium imitando perdiscunt, ita civitas leges præscribens priscorum hominum in legibus ferendis prudentissimorum inventa, ad earum normam imperare cogit quemlibet et parere. Eos autem qui prævaricantur, punit: punitioque hujusmodi et apud vos, et apud alios multos, propterea quod tanquam pœna judicialis dirigat transgressorem, directio correctioque vocatur. Cum igitur talis tantaque sit virtutis tam privatim quam publice cura, an dubitas adhuc, o Socrates, mirarisque si virtus docerí queat? Neque vero mirari hoc quisquam debet, immo multo magis si doceri non posset. Quærebas præterea, Quam ob causam bonorum patrum filii mali reperiantur? Hoc iterum docere te pergo. neque hoc mirum videri debet, si vera sunt quæ dixi, videlicet virtutis curam non ad unum aliquem dumtaxat, sed ad omnes spectare oportere, si modo consistere civitas debeat. [327] Si autem ita est, ut loquor, immo certe cum ita sit, elige atque considera quamvis aliarum facultatum et doctrinarum: ut puta si non posset consistere civitas, nisi tibicines omnes essemus, qualiscunque esse quilibet posset, nonne hoc quilibet privatim publiceque unumquemque doceret, hujusque ignarum sine invidiæ livore corriperet? quemadmodum nunc quæ justa et legitima sunt, quilibet sine invidia prædicat, neque hæc, ut alia, colat. prodest enim omnibus communis justitia virtusque: atque idcirco omnes omnibus quæ justa et legitima sunt, libentissime monstrant. Si ergo in tibicinum flatibus eadem animi flagrantia caritateque invicem nos erudiremus, num optimorum tibicinum filii magis quam deteriorum in his scnis periti evaderent? Nequaquam, ut arbitror: sed quicunque natura ad tibias inflandas ingeniosus esset, longe proficeret; tardus autem parum: ac sæpenumero periti tibicinis rudis evaderet filius; sæpe etiam inepti filius, aptus. Verumtamen omnes sufficienter essent tibicines, si cum his conferrentur, qui rudes sunt, nihilque de his rebus intelligunt. Similiter cum existima, Socrates, qui injustissimus tibi videtur inter homines sub lege viventes, justum fore, jurisque auctorem, si quando cum illis hominibus confertur, quibus nec disciplina sit, nec judicia, neque leges, neque necessitas ulla in vita, quæ virtutem colere jubeat, efferatique sint, ut illi quos anno præterito in Lemno poëta Pherecrates erudivit: ac si forte in eos homines incideres, qui ex eorum cœtu sint humani generis hostes, bene tecum agi putares, si Eurybatum offenderes et Phrynondam, deplorandamque fortunam tuam, desiderares nostrorum hominum prævitatem. Nunc autem deliciosior videris, o Socrates; cum enim omnes pro viribus virtutis præceptores sint, nullus tamen tibi talis apparet. quin etiam si quæreres, quis præceptor nos Græce loqui docuerit, [328] nullus utique appareret. item si peteres, quis docuerit mechanicorum artificum filios ministerium illud, quod patres eorum consorteaque alii ejusdem artis exercent, quodve filii imitantur; haud facile, o Socrates, præceptor illorum reperiretur: innumerabilium vero aliorum, perfacile. Ita de virtute dicendum, ac ceteris talibus. Verum satis nos habere putandum, si quis paulo commodius, quam ceteri, juvenes ad virtutem provehat. Ex quibus unum me esse profiteor, subtiliusque ceteris omnibus rationem qua boni honestique

Digitized by Google

fiant, cognoscere, atque ita rem ipsam perficere, ut dignum est ea mercede quam exigo: immo etiam mercede majori; ut ipsi discipuli judicant. Exactionis autem meæ hæc est conditio. Postquam aliquis a me didicit, si vult ille quidem, retribuit quantum exigo argentum: sin minus, ingressus templum, jurejurando adhibito æstimat, quanta mercede digna sibi mea documenta videantur, tantamque deponit. Quod igitur virtus doceri discique possit, o Socrates, hac fabula tibi sit et ratione probatum: quod et Athenienses ipsi testantur. ostendimus item, nihil mirum videri debere, si bonorum patrum mali sint filii, malorumve boni: quandoquidem et Polycleti filii, Parali et Xanthippi istius æquales, si cum patre comparentur, intervallo quodam longissimo superantur: similiter etiam allorum artificum filii. Neque dum adolescentes isti reprobandi sunt: spem quippe tenera præbet ætas. Cum hæc ostendisset Protagoras, loquendi finem fecit. At ego diu post, utpote superiori oratione permulctus, in os Protagoræ inhiabam, sequentium verborum desiderio inflammatus. Verum postquam destitisse prorsus animadverti, me ipse recepi, et ad Hippocratem conversus, O fili Apollodori, inquam, quam ingentes tibi debeo gratias, quod me hac hodie adduxisti! nam plurimi facio hæc a Protagora audivisse. Equidem superiori tempore haud humanam curam esse rebar, qua viri boni efficiuntur: nunc autem eam esse persuasus sum. Sed paulum quiddam restat iterum declarandum, quod videlicet Protagoras facile demonstrabit, postquam multa hæc edocuit. Etenim si quis de iisdem rebus cum aliquo forensium oratorum loquatur, [329] forte tales sermones audiet, quales Periclis esse solent, ceterorumque eloquentiam hominum. si autem de aliquo percontetur, librorum instar, neque quid respondeant, neque quid interrogent, ipsi habent. Et si quis de aliquo dictorum interroget, velut æs percussum alte resonant longeque vociferantur, nisi eorum dicta protinus admittantur. atque ita rhetores breve quiddam interrogati, prolixam producunt orationem. Verum Protagoras iste copiose et ornate loqui potest, quod superior testatur oratio. potest etiam, cum rogatur, summatim ac breviter respondere: tolerareque interrogantem, accipereque et reddere rationem. quod quidem de paucis licet dicere. In præsentia igitur, o Protagora, parum quid ultra desidero: quod si declaraveris, putabo mihi in omnibus satisfactum. Virtutem ais doctrinæ studio comparabilem: et ego, si cui unquam, tibi maxime credo. Quod vero te dicente sum admiratus, aperias obsecro. Dicebas profecto Jovem justitiam et pudorem hominibus infudisse: deinde procedente sermone, sæpe justitiam nominasti, temperantiam, sanctitatem, perinde ac si ista omnia sub una quadam virtute continerentur, unumque aliquid ipsa virtus existat. Hæc mihi liquido explanari velim, Utrum scilicet unum quiddam sit virtus; cujus partes sint justitia, temperantia, sanctitas: an hæc omnia, quæ nunc retuli, nomina unius ejusdemque sint. hoc est, inquam, quod ultra requiro. Prot. At facilis est, o Socrates, ad ista responsio, quod virtutis ipsius, quæ summatim unum est, partes sunt quæ interrogas omnia. So. Utrum quemadmodum vultus unius partes sunt os, nares, oculi, aures? an sicuti auri partes nihilo differunt a toto, præterquam magnitudine quadam et parvitate? Prot. Ita se habere mihi videntur, o Socrates, virtutis partes ad totam, ut vultus partes omnes ad totum. So. Utrum alii homines aliam virtutis partem accipiunt? an necesse est, eum qui unam habet, omnes habere? Prot. Nullo modo: quoniam multi fortes quidem sunt, sed injusti: et alii justi quidem sunt, sapientes minime. So. Numquid sapientia et fortitudo partes virtutis sunt? Prot. Omnino quidem, [330] et præstantissima pars omnium est sapientia. So. Estne hoc quidem aliud, illud vero aliud? Prot. Est. So. Numquid et potentiam utrumque propriam habet? quemadmodum e vultus parti-

Digitized by Google

bus oculus non est auribus similis, neque illorum potentia eadem : neque alia quælibet pars, alterius, aut potentia, aut alio quoquam est similis. Itane virtutis partes se habent, ut neque alia aliarum sit similis, neque idem, neque eadem sit potentia ? an forte ita esse constat ? siquidem naturæ virtutum exemplar quod induximus, congruit. Prot. Sic certe est, Socrates. So. Non est igitur pars virtutis alia talis qualis scientia, neque qualis justitia, vel fortitudo, vel temperantia, vel sanctitas. Prot. Non certe. So. Age consideremus una, quale quid istorum quodvis existit : primum quidem sic : Justitia res quædam est, an nulla ? Mihi quidem res quædam esse videtur. tibi vero ? Prot. Et mihi. So. Quid vero ? si quis a me et te sciscitetur, O Protagora atque Socrates, dicite quæso, num res ista, quam modo justitiam nominabatis, eo ipso quo est justitia, est et justa, an injusta ? Ego quidem justam esse dicam. tu vero una mecum senties ? an aliter ? Prot. Tecum plane. So. Ego igitur interroganti responderem, talem esse justitiam, quale et justum. tu vero ? Prot. Ego quoque. So. Si quæreret iterum, numquid et sanctitatem aliquam esse dicamus, consentiremus utique, ut opinor. Prot. Consentiremus. So. An non et hanc rem aliquam esse dicitis, rogaret ille, nos autem assentiremur ? Prot. Et hoc. So. Num rei istius naturam talem putatis, ut sancta sit, an ut profana ? Interrogationem hanc ægre ferrem, ad eumque conversus objicerem, Bona verba, quæso. Nunquam porro sanctum aliquid esset, nisi et sancta ipsa sanctitas esset. quid et tu ? an non similiter responderes ? Prot. Similiter. So. Si his adjiceret, An quæ supra dixistis, recte accepi ? videbamini mihi paulo ante asserere, ita se invicem partes virtutis habere, ut non sit alia pars qualis est alia. inferrem equidem ad hæc, quod alia recte acceperit : quod vero me in eo consensisse putarit, non recte. [331] Nam Protagoras iste hæc respondit : ego autem quæsivi. Ergo si dicat, O Protagora, vere loquitur Socrates : ipse es qui ais, virtutis partem aliam non esse talem, qualis est alia : tuus hic sermo est. quid illi tu respondebis ? Prot. Necesse est, o Socrates, assentiri. So. His concessis, quid illi potissimum respondebimus, si ultra sic objecerit ? Non ergo talis est sanctitas, ut res justa sit : neque justitia talis, ut sancta : sed illa talis, ut non justa, hæc, ut non sancta. injusta itaque illa, hæc profana. Quid ad hæc, inquam ? equidem mea ex sententia dicam justitiam esse sanctam, justamque iterum sanctitatem. arbitror quoque permissurum te, ut tua vice hæc ipsa respondeam, quod videlicet aut idem est justitia quod est sanctitas, aut hæc duo invicem quam simillima : ut maxime omnium talis justitia sit, qualis est sanctitas, et qualis sanctitas, talis sit et justitia. Vide, utrum me ita respondere prohibeas, an ita sentias ? Prot. Haud ita simplex istud mihi videtur, o Socrates, ut concedi possit, sanctitatem esse justam, sanctamve justitiam. verum differentia quædam inesse mihi videtur. Sed quid tandem id refert ? si vis, esto nobis sanctitas justa, sanctaque justitia. So. Haud hæc admitto, Protagora, neque desidero, ut mihi dicatur istud, si vis, et si tibi placet : sed et me, et te dicatur requiro. Dico autem et me et te, existimans tum demum recte sermonem discuti, cum conditio ista, Si, ex eo tollitur. Prot. Enimvero simile quiddam habet justitia sanctitati. nam quodlibet cuilibet quiddam simile habet, præter illa, quæ omnino inter se contraria sunt, ut album nigrum, molle durum. Atqui et illa, quæ supra diximus aliam atque aliam inter se habere potentiam, nec tale unum esse, quale est aliud, ceu vultus ipsius partes, quiddam simile inter se habent, estque quodammodo tale unum, quale et aliud. Atque hac ratione licet hæc refellas, si placet, quod cuncta invicem similia sint : non tamen quæcunque simile quiddam habent, similia vocanda sunt ; neque etiam quæcunque dissimile quiddam, invicem dissimilia, si

Digitized by Google

exiguum quiddam habent simile vel dissimile. So. Admiror equidem, o Protagora, numquid ita invicem justum sanctumque se habent, ut parum quid simile inter se habeant. Prot. Haud ita omnino: neque tamen ita prorsus, ut ipse arbitrari videris. [332] So. Postquam ista tibi molesta sunt, dimittamus: aliud vero quiddam ex his quæ dicebas, consideremus. Insaniam aliquid vocas? ejusque contrariam sapientiam esse dicis? Prot. Equidem. So. Utrum cum recte et frugaliter homines agunt, tunc ita operantes, temperanter agere tibi videntur? an cum contra operantur? Prot. Temperanter agere videntur mihi, cum frugaliter recteque agunt. So. Nonne temperantia temperanter agunt? Prot. Necesse est. So. Nonne quicunque non recte agunt, insane agunt: et qui ita agunt, non temperanter agunt? Prot. Ita videtur. So. Ergo insane agere, contrarium ejus est, quod temperate agere dicitur. Prot. Est utique. So. Nonne igitur quæ insane fiunt, insania fiunt? quæ temperate, temperantia? Prot. Profecto. So. Nonne quidquid robore fit, fit robuste? et quidquid debilitate, debiliter? Prot. Apparet. So. Et quidquid velocitate, velociter: quidquid autem tarditate, tarde? Prot. Et hoc. So. Et quod eodem modo fit omnino, ab eodem efficitur: quod vero contrario modo, efficitur a contrario? Prot. Assentior. So. Dic obsecro, estne pulchrum aliquid? Prot. Est profecto. So. Huic contrarium aliud quidquam est, quam turpe? Prot. Nihil aliud. So. Est et aliquid bonum? Prot. Et bonum. So. Ei numquid aliud contrarium nisi malum? Prot. Non aliud. So. Estne aliquid in voce acutum? Prot. Sane. So. Num aliud illi contrarium præter grave? Prot. Hoc ipsum. So. An non unicuique contrariorum non multa, sed unum est contrarium? Prot. Unum dumtaxat. So. Resumamus jam quæ hactenus a nobis concessa fuerunt. Concessimus plane, uni unum solum esse contrarium. Prot. Nempe. So. Item quod contrario modo fit, a contrariis effici. Prot. Hoc quoque. So. Admisimus præterea, contrario modo fieri quod insane fit, et quod temperate. Prot. Etiam. So. Rursus quod temperate agitur, a temperantia provenire: quod insane, ab insania. Prot. Convenit. So. An non, si contrario fit modo, fit a contrario? Prot. Utique. So. Fit autem hoc quidem a temperantia, illud autem ab insania. Prot. Certe. So. Contrario modo? Prot. Contrario. So. Nonne igitur a contrariis? Prot. Et a contrariis. So. Insania itaque temperantiæ contraria est? Prot. Apparet. So. Recordamur supra nos concessisse, sapientiæ insaniam esse contrariam? Prot. Certe. So. Quin et uni unum solum esse contrarium? Prot. Et hoc. So. Utrum potius sermonem rejiciemus, Protagora? [333] eumne, quod dicitur unum uni solum esse contrarium? an eum qui volebat sapientiam a temperantia esse diversam; et utramque partem esse virtutis? ac etiam præter id quod diversæ hæ utræque sunt, dissimiles quoque esse tam ipsas, quam earum potentias, quemadmodum vultus ipsius partes? Utrum istorum refutabimus? ambo quidem isti sermones haud satis musice proferuntur: neque enim invicem concinunt. nam qua ratione consonare possunt, si quidem necessarium sit, uni unum dumtaxat contrarium esse, pluribus vero nequaquam: insaniæ autem, quum unum sit, sapientia et temperantia contrariæ videantur? Itane, an aliter, o Protagora? Prot. Esto tandem: quid tum? So. An non hac ratione unum erit sapientia temperantiaque? et supra constitit idem quodammodo esse justitiam et sanctitatem? Age, Protagora, ne pigeat, sed pergamus ad reliqua. videtur tibi vir injustus injuste agendo temperanter sapere? Prot. Ego quidem confiteri hoc, o Socrates, non auderem: plurimi autem hominum asserunt. So. Utrum ergo ad illos, an ad te verba dirigam? Prot. Si placet, ad hunc primo vulgi sermonem edisseras. So. Nihil mea refert, modo ipse respondeas, sive tibi

Digitized by Google

videantur hæc, sive non videantur. sermonem namque ipsum maxime inprimisque ego discutio. contingit tamen ex hoc et me interrogantem, et respondentem, examinari. Ad hæc primum Protagoras honestare se volens, sermonis difficultatem culpare cœpit, postmodum vero respondere admisit. Age, inquam, ab initio mihi responde. Videntur aliqui tibi injuste agendo, sapere temperanter? Prot. Esto. So. Temperanter vero sapere, bene sapere vocas? Prot. Voco. So. Bene autem sapere bene consulere in eo, quod injuste agunt? Prot. Esto. So. Utrum si bene agunt vivuntque dum injuriantur, an si male? Prot. Si bene. So. Diciane bona quædam esse? Prot. Dico. So. Num ea bona sunt, quæ utilia sunt hominibus? Prot. Immo per Jovem, bona quædam voco, etiamsi hominibus utilia non sint. Cum autem videretur mihi Protagoras subirasci, et ad responsionem invitus descendere, mitius eum submissiusque rogavi. Numquid ais, Protagora, [334] quæ nulli hominum utilia sunt? an quæ nullo modo utilia? et talia quædam bona appellas? Prot. Nequaquam. Sed ego multa novi hominibus inutilia, cibos, et potiones, et pharmaca, aliaque permulta: alia vero utilia. quædam autem, quæ ad homines neutra sunt, verum ad equos alicujus momenti sunt: et nonnulla ad boves, ad canes alia: quædam vero ad horum nullum, sed ad arbores potius. et eorum, quæ ad arbores, quædam ita se habent, ut sæpe radicibus prosint, germinibus obsint: quemadmodum sterquilinium radicibus utile, ramusculis caulibusque admodum noxium. Oleum quoque arboribus omnibus herbisque maxime prodest: pilis autem animalium omnium, humanis exceptis, nocet plurimum. nam et pilis hominum et toti corpori confert. Atque ita varium quiddam et multiforme bonum existit, unde et oleum externis nostri corporis partibus optimum, interioribus pessimum. quapropter medici ægrotantibus olei usum vetant, nec uti permittunt, nisi quam pauciss:mo ad obsoniorum quorundam male olentium offensionem rejiciendam. Cum hæc dixisset Protagoras, præsentes frequenti applausu acclamantes, illius dicta comprobaverunt. At ego, o Protagora, inquam, sum equidem nimis oblivioseus, ac si quis orationem in longum protrahat, de quo verba fiunt protinus oblivisco. profecto si surdus essem quodammodo, mecumque sermonem haberes, existimarem altius mihi quam ceteris inclamandum; sic in præsentia cum oblivioseum hominem alloquaris, concisioribus mecum responsionibus utere, si modo curas ut te sequar. Prot. Quam exigis brevitatem? num brevioribus quam oporteat verbis agi tecum jubes? So. Minime omnium. Prot. An forte quot opus est verbis? So. Tot utique. Prot. Numquid ego orationi modum imponam? an tu potius debitum terminum statues? quem non liceat transgredi, eumque loquendo sim observaturus. So. Audivi equidem, scire te adeo abunde, quoties placet, et ample loqui, ut nunquam tibi desit oratio: nec non res eadem paucioribus quam ceteri omnes verbis perstringere: idemque ut ceteri faciant, docere potes, ut audio. Si ergo mecum disputaturus es, [335] brevi illa et concisa ratione dicendi utere quæso. Prot. O Socrates, multis eum hominibus olim dicendo certavi. Ac si ita egissem, ut ipse mones, si, inquam, ad normam mihi ab auditore impositam verba fecissem, haud sane quovis alio homine insignior essem, nomineque Protagoras omnis Græcia resonaret. Ego autem quum cognovissem, superiorem respondendi modum illi minime placuisse, eumque sponte ita deinceps minime responsurum; haudquaquam expedire mihi censui, ut illis disputationibus interessem, atque idcirco, O Protagora, inquam, haud flagito disputationem nobis præter sententiam tuam procedere: etenim si velis ita disserere, ut ego assequi possim, adstabo equidem. nam ipse quidem, ut de te fertur, et tu profiteris, eque potes eadem et summatim perstringere, et amplissime eloqui. es enim sapiens. ego autem ad prolixam orationem

Digitized by Google

ineptus sum: atque utinam ejus compos essem. Verum tua interest nobis aliquantulum indulgere, quandoquidem aeque es ad utrumque paratus, ut disputatio peragatur. postquam vero non vis, et me usque adeo negotia urgent, ut nequeam tecum hic diu orante commorari, quamvis ista libenter audissem: abeo jam quo res ipsa me vocat. His dictis, surrexi protinus abiturus. Sed Callias dextera manum meam prehendit, sinistra pallium, dicens, Haud te dimittemus, o Socrates. nam si exieris, non amplius ita invicem colloquemur. Mane, obsecro: nullius mihi oratio gratior contingere posset quam tua cum Protagora disputatio. quare et mihi et omnibus his obsequere. At ego jam surrexeram exiturus, et ad Calliam inquam: O Hipponici fili, tuam semper philosophiam admiratus sum: nunc laudo insuper atque amo. Quocirca gratificari tibi vehementer optarim, si possibilia poscas. quod vero nunc petis, perinde est, ac si orares, ut Crisonem Himeraeum cursorem juvenemque aequis passibus sequerer, vel aliquem eorum, qui longissimum intervallum excurrere solent, aut diurnum cursum peragere. [336] tunc sane objicerem, multo magis me ipsum optare, quam te, hos cursores currendi viribus assequi: sed assequi nequeo. Quod si cupis me et hunc quasi alterum Crisonem spectare pariter concurrentes, ipsum ora, ut paribus me passibus comitetur. nam ego quidem celeriter currere nequeo, hic autem tarde potest. Ergo si optas audire me et Protagoram disputantes, eum obsecra, ut, quemadmodum a principio fecerat, ita nunc paucis verbis et ad propositam quaestionem respondeat. alioquin quis erit disputandi modus? Putabam equidem, aliud esse invicem colloqui disserendo, aliud concionari. Vides, o Socrates, inquit Callias, juste loqui videtur Protagoras, dum censet licere sibi suo arbitratu disserere, tibi item tuo. Hic Alcibiades, haud recte loqueris, inquit, o Callia. Socrates enim hic concionandi impotentem se esse fatetur, et in hoc Protagorae cedit. si autem et in disputando, recipiendisque et reddendis rationibus cedat alicui, summopere admirabor. Si ergo Protagoras confitetur, Socrate, se esse in disputando inferiorem, sat jam Socrates habet. sin autem hoc quoque sibi vendicat, cum interrogante Socrate disserat et vicissim respondendo haud longas per ambages circumvagetur neque concionando occasionem intercipiat disputandi neque rationem reddere Socrati respuat, dum profusius loquitur, quoad plurimi audientium id quo de agitur obliviscantur. Equidem pro Socrate fidejubeo, cum quos dicentur oblivioni minime mandaturum, licet jocetur nobiscum, oblivionem esse se dicens. Mihi sane videtur Socrates aequiora admodum postulare. decet enim unumquemque sententiam suam exprimere. Post Alcibiadem, ut arbitror, inquit Critias, O Prodice atque Hippia, Callias quidem Protagoram vehementer suffragari videtur: Alcibiades autem contentiosus nimis est et pertinax, quocunque se verterit. Nos autem alteri magis quam alteri favere non decet, vel Socrati, vel Protagorae, sed communiter utrumque rogare, ne postquam coeperint, media in disputatione desistant. [337] Cum haec ille dixisset: Prodicus ait, probe loqueris, Critia. decet enim eos, qui disputationibus his intersunt, communes quidem esse utriusque auditores, aequos autem minime. neque vero idem hoc est et illud. communiter quippe audire utrumque decet, non autem aeque utrique tribuere, sapientiori quidem plus, imperitiori vero minus. Equidem, o Protagora atque Socrates, arbitror vos invicem nonnihil deberé concedere, et de his quae dicuntur, ambigere quidem simul, contendere vero nequaquam. Ambigunt porro propter benevolentiam eam amicis amici: contendunt autem adversarii simul et hostes. Atque ita quam optime disputatio nostra procederet. Vos siquidem disputantes ita maxime a nobis audientibus probaremini, non laudaremini, inquam. Probant utique auditores ipsius mentis judicio absque deceptione: laudant verbis, plerumque mem-

Digitized by Google

dacio præter sententiam aliquid extollentes. Nos item auditores ita maxime gaudio, non voluptate afficeremur. Gaudio afficitur ille, qui discendo et contemplando ipsa intelligentia delectatur: voluptate perfunditur, qui dum comedit, vel alio quodam oblectamento potitur, ipso sensu corporis delectatur. Cum hæc dixisset Prodicus, præsentium plurimi consenserunt. Deinde sapiens Hippias sic exorsus est dicere: Arbitror, o viri præsentes, vos omnes cognatos, propinquosque et concives invicem esse natura, non lege. Simile namque simili natura cognatum. lex autem, tyrannus hominum, multa præter naturam cogit. Turpe itaque esset, si nos, qui rerum naturam callemus, sapientissimique Græcorum omnium sumus, postquam de hoc ipso disputaturi hanc in urbem convenimus, totius Græcæ sapientiæ arcem, hisque in ædibus, amplissimis sumtuosissimisque Atticarum omnium, congregati sumus, nihil tanta hac amplitudine dignum ostenderemus, sed vilium homunculorum more altercantes, invicem dissentiremus. Hortor equidem vos et obsecro, o Socrates atque Protagora, ut libenter sub nobis tanquam arbitris conveniatis, qui vos ad medium reducemus. [338] neque tu sermonis amplitudinem resecare debes ad vivum, o Socrates, et istud tuum, ut ita dicam, breviloquium ad unguem penitus observare: laxa paulisper obsecro sermonibus gubernacula, ut magnificentiores splendidioresque appareant. Oro insuper Protagoram, ne tentis prorsus rudentibus, velisque inflatis temone relicto in altum sermonum mare protinus delabatur, unde nusquam tellus perspiciatur: sed ambo pariter annitamini, ut mediocritatem pro viribus observetis. Efficite quæso quod consulo, utque id servetis integrius, eligite sceptriferum aliquem præsidem atque judicem, qui verbis modum statuat observetque utrumque loquentem. Placuerunt hæc præsentibus, omnesque ea laudarunt. Me vero ad idem hortatus est Callias: rogaruntque eligere arbitrum. At ego, Non decet, inquam, judicem huic disputationi præficere. nam si nobis imperitior erit judex, injustum erit ut deterior aliquis potioribus præsit: sin autem similis, neque rursus recte ita agetur. similis enim nobis similia faciet. Quapropter supervacuus erit. Præstantiorem vero nobis quenquam eligere impossibile revera est, ut arbitror; quippe cum Protagora hoc sapientior alius eligi nequeat. quod si quem elegeritis nihilo doctiorem, asseretis tamen, dedecori Protagoræ hoc dabitur, quod illi tanquam inscio et ignobili arbitrum præscripseritis. Mea vero nihil interest. ceterum ut disputare pergamus quemadmodum cupitis, ita mihi videtur agendum. Si non vult respondere Protagoras, interroget saltem, ego autem respondebo; eique conabor ostendere, quo pacto respondere quis alteri, meo judicio, debeat. Postquam ego illi ad quamlibet ejus interrogationem responsionem dedero, rursus ille mihi similem sermonem subjiciat. si forte tergiversari videbitur, ego simul et vos eum orabimus, quemadmodum vos me nunc oratis, ne cœtum dissolvat. Neque vero opus est hujus gratia censorem unum proponere. vos enim omnes una censebitis. Consenserunt omnes ita esse agendum. Protagoras autem invitus ad hæc descendere videbatur. tandem concedere coactus est interrogaturum se, et postquam satis interrogaverit, breviter responsurum. Itaque in hunc modum interrogare cœpit: Arbitror, o Socrates, præcipuam doctrinæ partem in hoc consistere, ut quis in carminibus peritus evadat. [339] Est autem hoc, ut poëtarum dicta intelligere possit, quæ scilicet recte se habeant, quæ non: sciatque discernere; et cum interrogatur, reddere rationem. Et nunc quidem interrogabit forte quispiam de eo quod utrique simul investigamus, de virtute videlicet. Sed hoc intererit, quod id ad carmina transferetur. Dicit enim Simonides ad Scopam Creontis Thessalici filium, difficile esse virum vere bonum fieri, manibus pedibusque et mente tetragonum id est quadrangulum absque vituperatione fabri-

Digitized by Google

catum. Tenesne memoriter carmina, vel ut referam expetis? So. Nihil opus est. teneo namque, et diligens mihi horum carminum cura fuit. Prot. Bene loqueris. Utrum bene recteque dixisse tibi videtur Simonides, an non? So. Immo optime. Prot. Videturne recte loqui poëta, si ipse sibimet contradixerit? So. Minime. Prot. Attende itaque diligentius. So. Satis, o bone vir, attendimus. Prot. In eisdem carminibus postea dicit, Pittaci, licet sapientis viri, sententiam absonam sibi videri, qua inquit, Difficile est bonum manere. Cernis, eundem Simonidem hæc et superiora dixisse? So. Equidem. Prot. Numquid eadem postea quæ et antea protulit? Eadem, inquam, ut mihi videtur. Et simul metuens, ne quid ultra adjiceret, interrogavi, an non sibi quoque videretur. Rogas, inquit, utrum constare sibimet illum putem, qui hæc utraque dixit? et primo quidem proposuit, bonum virum fieri vere difficile esse: paulo autem post, tanquam sui ipsius oblitus, Pittacum eadem cum illo dicentem, difficile scilicet esse virum bonum manere, carpit, ejus dicta respuens, qui eadem dixerat. Enimvero, cum opinionis ejusdem ac suæ auctorem Pittacum accusat, seipsum damnat. Quapropter aut prius aut posterius non recte dicit. His dictis acclamarunt auditores plurimi, et Protagoram collaudarunt. Ego autem primum, tanquam a pugili robusto percussus, caligantibus præ vertigine oculis vacillavi. nam et ejus vox et aliorum clamor me prorsus obruerant. Deinde vero, (ut tecum ingenue verum fatear,) quo moram ad poëtæ mentem investigandam captarem, ad Prodicum conversus inquam, Concivis tuus, o Prodice, Simonides exstitit. ergo tua interest illi opem ferre. Videor equidem advocare te, [340] quemadmodum inquit Homerum Scamandram ab Achille obsessum Simoëntem advocasse: *O dulcis frater, viri hujus una ambo vim comprimamus.* Haud secus ego te nunc accerso, ne Protagoras Simonidem nostrum expugnet. Emendatio sane circa Simonidis verba tua indiget musica, qua velle distinguis et cupere, et quæ modo dicebas, multa atque præclara. Et nunc quidem vide, num tibi idem quod mihi videatur: neque enim repugnare sibi in dicendo videtur Simonides. Ipse, o Prodice, sententiam tuam prior exprime. Idem tibi videtur fieri atque esse, an aliud? Aliud, inquit Prodicus. Nonne in primis, inquam, Simonides mentem suam aperuit, quod virum vere bonum fieri difficile sit? Vera narras, Prodicus ait. Pittacum autem improbat, non, ut censet Protagoras, idem dicentem, sed aliud. non enim dixit Pittacus, difficile esse virum fieri bonum, ut Simonides, sed bonum perseverare. Est autem non idem, o Protagora, sicut existimat Prodicus iste, esse et fieri. si autem non idem est esse quod et fieri, haudquaquam sibi ipsi Simonides contraria ponit. Ac forsitan diceret Prodicus iste et alii multi secundum Hesiodum, Effici bonum esse difficile: nam ante virtutem sudorem a diis positum ait; at cum ad summum verticem perventum est, facilem esse, quamvis comparatu difficilis fuerit. Prodicus igitur cum hæc audisset, me laudavit. Protagoras autem, Emendatio, inquit, ista, o Socrates, absurdior est quam quod emendas. Tum ego, o Protagora, inquam, male mecum actum est, ut videtur; sumque ridiculus medicus: quippe qui dum curare contendo, morbum exaugeo. Prot. Sic tamen res se habet. So. Qua ratione? Prot. Nimis inscius poëta ille fuisset, si adeo virtutem parvi fecisset, ut facilem esse ejus possessionem existimasset, cum sit omnium difficillima, velut omnibus videtur hominibus. So. Opportune, per Jovem, nostris iste Prodicus sermonibus intervenit. Videtur sane, o Protagora, divina esse Prodici sapientia jamdudum, vel trahens originem a Simonide, vel etiam ab antiquioribus orta. [341] Tu autem, quum multarum rerum sis aliarum peritus, hujus tamen imperitus appares. ego vero eam expertus sum, cum fuerim Prodici istius discipulus. Atqui in præsentia haud satis animadvertere mihi

Digitized by Google

videris, ipsum quod difficile dicitur, forsitan Simonidem non ita accepisse, ut ipse nunc accipis : verum tanquam malum et grave quiddam intelligendum esse passim me Prodicus admonet. nam quoties vel alium laudans, vel te ita loquor : Protagoras sapiens vir est, et δεινὸς, id est, vehemens gravisque : corripit me continuo, quod bona gravia dicam ; cum grave malum sit. Nemo enim ita loquitur ut dicat, graves divitias, gravem pacem, sanitatem gravem : immo gravem morbum, grave bellum, gravem paupertatem ; quasi grave, id est, onerosum, malum sit. Forte igitur Chii atque Simonides ipsum difficile, vel ut malum accipiunt, vel aliud quod tu minus intelligis. Ergo a Prodico sciscitemur : (decet enim de Simonidis scriptis hunc maxime percontari :) Quidnam, o Prodice, Simonides ipso difficilis nomine subintelligi voluit? Prod. Malum profecto. So. Ob hoc, ut arbitror, Prodice, Pittacum reprehendit, dicentem, difficile esse bonum manere : ac si dixisset, malum esse manere bonum. Prod. Et quid aliud putas, o Socrates, sibi voluisse Simonidem, quam vituperare Pittacum, quod nomina recte distinguere nesciebat, utpote qui Lesbius erat, et in voce barbarica educatus? So. Audis, o Protagora, quæ Prodicus iste dicit? Quid ad hæc? Prot. Permultum abest, ut ita sit, Prodice. certe equidem scio, Simonidem difficilis nomine, id quod et alii solent, significare voluisse, non malum, immo quod non facile, sed multis cum laboribus comparatur. So. Ego item hoc voluisse Simonidem arbitror, o Protagora, idemque Prodicum intelligere : sed jocari tecum, tentareque te, utrum sermoni tuo valeas suffragari. Quod enim Simonides difficile non malum intelligi velit, argumento sunt quæ sequuntur. subjungit enim, quod solus Deus hoc munere fruitur. Neque vero si vellet malum esse bonum perseverare, paulo post adjungeret, solum Deum hujus compotem esse, Deoque soli munus id attribueret. dissolutum plane hominem, nec ullo modo Chium Prodicus ita diceret fuisse Simonidem. Ceterum quid tandem sensisse in his carminibus Simonidem ducam, vobis aperiam, [342] si vis de me periculum facere, quemadmodum circa poëtica sim affectus. sin autem vis, te audiam. Protagoras cum hæc audisset, Ut lubet, inquit, o Socrates. verum Prodicus et Hippias, aliique omnes agere me ita jusserunt. Conabor, inquam, quid de his carminibus sentiam, vobis exponere. Antiquissimum apud Græcos et plurimum sapientiæ studium in Creta et Lacedæmonia exstat, et sophistæ plures ibi quam alibi usquam reperiuntur : dissimulant autem, et imperitos esse se fingunt, ne ceteros Græcos superare sapientia deprehendantur : (instar eorum, quos Protagoras sophistas supra dicebat :) sed ut videantur re militari potius et fortitudine ceteros anteire ; suspicantur enim, ne si forte mentis illorum habitus patefiat, ceteri omnes idem studium prosequantur. Ergo celant decipiuntque incolas, qui Lacedæmonios imitantur aurium circumcisione, involutione corigiarum, exercitationibus corporis, brevibus vestibus, perinde ac si hujuscemodi rebus Lacedæmonii ceteros Græcos exsuperent. Lacedæmonii vero quoties cum sophistis suis liberius convenire volunt, externorum hominum familiaritatem ægre ferunt, et clanculum congregantur, exclusisque peregrinis omnibus, una cum sophistis philosophantur. prohibent quin etiam et ipsi et Cretenses adolescentes alias urbes adire, ne quæ apud eos docentur, alibi forte dediscant. Reperiuntur in his civitatibus non viri tantum doctrina egregii, verum etiam mulieres. Quod autem vera loquar, et Lacedæmonii optime ad philosophiam sermonesque sint educati, hinc maxime intueri licet. Si quis cum vilissimo quoque Lacedæmoniorum colloquatur, rudem plerumque in verbis apparere eum primo comperiet. deinde ubicunque rei ipsius opportunitas exigit, instar vehementis jaculatoris verbum non parvi momenti breve contortumque ejaculatur, ut qui cum eo loquitur, nihil a puero differre existimetur. Quod autem

Digitized by Google

Lacedæmoniorum virtus in sapientiæ magis quam exercitationis studio consistat, intelligunt nonnulli nostræ ætatis homines, et olim multi idem animadverterunt, scientes, verba ejusmodi enuntiare posse, viri absolute docti officium esse. [343] Horum e numero fuit Thales Milesius, et Mitylenæus Pittacus, Bias Prieneus, noster Solon, Cleobulus Lindius, Myson Chenæus: septimus horum dictus est Lacedæmonius Chilon. Hi omnes æmuli studiosique fuerunt discipuli Lacedæmonicæ sapientiæ. Quorum sapientiam talem esse comperimus: verba brevia, memoratu unicuique digna. Hi facto concilio ex communi consensu, has Delphici Apolliuis templo primitias sapientiæ dedicarunt, quæ templo inscriptæ, ab omnibus celebrantur: Cognosce teipsum, Nihil nimis. Hæc ob eam causam refero, ut pateat, eam priscæ philosophiæ fuisse figuram, Lacedæmonicum scilicet quoddam, ut ita dixerim, breviloquium. Atqui et Pittaci proprium hoc dictum circumferebatur, a sapientibus celebratum: Bonum manere difficile esse. Simonides itaque, cum sapientiæ gloriam cuperet, cognovit, si proverbium id refelleret convinceretque tanquam insignem certatorem, fore ut ipse illustris ab omnibus haberetur. Quamobrem carmina illa composuit, illi insidiatus, ejus verba disturbaturus, ut arbitror. discutiamus hæc una omnes, ut videamus utrum vera loquar. Primum quidem carmina illa priora insanum hominem indicarent, si dicere volens, Virum effici bonum esse difficile, deinde injecisset hanc particulam Quidem. hoc enim nulla ratione videtur injectum: nisi quis putet, adversus Pittaci verba certantem Simonidem loqui: et cum ille dicat, Difficile esse bonum manere, Simonidem ad hæc objicere, Non ita est, o Pittace, immo bonum quidem virum effici difficile est, et vere, non revera bonum. Non ob hoc Revera, quia sint aliqui vere boni, alii autem boni quidem, sed non vere. absonum hoc utique videretur, neque Simonide dignum. sed ad superexcessum ponere oportet in versibus id quod vere dicit, supplendo ita Pittaci verba: ceu si poneremus Pittacum ipsum dicere, O viri, difficile est bonum manere: et Simonidem respondere, [344] O Pittace, vera minime loqueris. non enim esse, sed fieri virum bonum, manibus pedibusque, et mente quadratum absque vituperatione aliqua fabricatum, est difficile vere. Ita videtur adversus sermonem hoc Quidem injectum: et ipsum Vere haud ab re postremo locatum. atqui et quæ sequuntur, omnia huic attestantur, quod hunc in modum est dictum. Multa insuper exstant, quæ recte disposita in his carminibus, sigillatim ostendere possumus: scite namque et accurate composita sunt: sed prolixior foret oratio. Quare summatim poëtæ hujus formam consiliumque exponendum. Intendit autem in singulis versibus Pittaci verba refellere. ait enim paulo post ferme in hunc modum, quod effici virum bonum difficile vere: possibile tamen ad tempus. factum vero bonum, eo in habitu perseverare, esseque bonum, ut ipse ais, o Pittace, impossibile est, neque humanum: sed solus hoc Deus munere fungitur: hominem vero ita bonum manere, ne rursus labatur, impossibile est, quem fors inopina confringit. Quemnam potissimum inopinatus casus in navis gubernatione submergit? Non rudem hominem. nam semper ille succumbit. et quemadmodum jacentem nullus dejicit, sed stantem quandoque aliquis dejicit, ut jacere cogat; jacentem vero nequaquam: ita solertem et sagacem hominem nonnunquam inopinatus casus circumvenit: cum vero qui nihil pensi unquam habet, minime. et gubernatori quandoque ingens tempestatis impetus improvisus supervenit: et agricultori intemperies anni: et medico quoque similia; adeo ut tunc improvidi fuisse videantur. posset enim bonus aliquis malus fieri: quod alius poëta testatur, dicens, Vir bonus alias pravus, alias bonus est. ut autem malus efficiatur malus, fieri non potest: esse enim semper necesse est. Quamobrem quoties casus inopinatus providum hominem sapien-

Digitized by Google

temque et bonum invadit, malus efficitur. Tu vero dicis, o Pittace, difficile esse bonum manere. Res autem ita se habet, ut fieri bonum possibile sit, difficile tamen: perdurare autem bonum, penitus impossibile. quilibet enim bene agens, bonus: male contra, malus. Quænam circa literas bona est actio? [345] quæve actio virum ad illas bonum efficit? constat quod harum perceptio. Quæ item actio bona bonum efficit medicum? morborum videlicet curandorum peritia. qui bene curat, bonus medicus: qui male, contra malus. Quis ergo malus medicus nonnunquam efficitur? ille certe, cui primo hoc inest, ut medicus sit, deinde ut bonus medicus. hic enim malus quandoque medicus effici potest. Nos autem medicinæ artis ignari, nunquam male agendo aut medici, aut fabri efficeremur, aut aliud tale. quisquis autem non fit medicus, male operatus, neque etiam malus medicus. Ita et bonus vir fieri potest aliquando malus, vel propter tempus, vel laborem, vel morbum, vel alium casum: hæc porro sola est actio prava, privari scientia. Malus autem vir nunquam malus fieret: est enim semper. ac si malus fieri debet, oportet ut a me bonus efficiatur. Ad hoc itaque carmina illa tendunt, ut affirment, impossibile esse virum semper bonum perseverare: fieri autem bonum, eundemque rursus et malum, possibile: plurimum autem optimos esse illos, quos dii diligunt. Hæc itaque omnia adversus Pittacum sunt illata, quod et sequentia clarius patefaciunt. Hac de causa, inquit, nunquam ego, quod fieri nequit, requirens frustra, spero, perpetuo sine reprehensione victurum hominem aliquem ex his qui fructibus terræ vescuntur. deinde vobis quæ comperta mihi sunt, prædico: et cetera, quæ sequuntur. Ita passim in Pittaci verba vehementer invehitur. Unumquemque ecro laudo amoque, libens qui turpe nil patrat. necessitati autem neque dii ipsi repugnant. Id autem est ad hoc idem dictum. Neque enim usque adeo rerum inscius erat Simonides, ut illum laudare se diceret, qui turpe nihil sponte committit: quasi sint aliqui qui sponte male agant. Arbitror equidem, sapientem nullum putare, esse hominum aliquem, qui ultro aberret, malaque et turpia sponte committat. sciunt etenim sapientes omnes, qui mala turpiaque committunt, præter voluntatem peccare. Atqui et Simonides nequaquam laudare se dicit illum, qui non sponte scelera patrat, immo de seipso id quod Sponte dicit, prædicat. Putabat enim, præclarum bonumque virum sæpe seipsum impulsurum, ut amicus laudatorque alicujus efficiatur, amareque et laudare pergat: [346] ut puta si illi morosi et iniqui parentes contingant, aut patria, aut tale aliquid. Improbos quidem censuit homines libenter in parentum patriæque errata invehi solere, et passim illa omnibus divulgare, ut nemo illos, quod parentes et patriam negligant, corripere audeat. quare et vituperare parentes patriamque, et ultra necessitatem voluntariis quoque odiis et inimicitiis agitare. Probos autem viros occultare potius, et ad laudandum seipsos cogere: et si qua in re jure parentibus et patriæ indignantur, consolari seipsos, seque suis conciliare, ut etsi non libenti animo laudent tamen et diligant. Sæpe etiam Simonidem ipsum arbitror, non ex animi sui sententia, sed invitum, ad tyrannum quendam, aut alium talem laudandum et extollendum se contulisse. Hæc igitur ad Pittacum refert: Ego quidem, o Pittace, non te ob id carpo, quod sim natura detractor; quandoquidem mihi satisfacit et ille qui non est malus, nimiumve ignavus. Sciens quidem juvabit civitatem justam vir sanus. neque tamen ipse derogabo: neque enim derogandi sum studiosus. Stultorum namque est infinita progenies: quapropter si quis eos vituperare pergat, defatigabitur. Omnia porro honesta, quibus turpia non miscentur. Haud hoc dicit perinde ac si diceret, Omnia alba, quibus nigra nulla miscentur: ridiculum nempe id esset: sed quasi dicat, media se accepturum, neque illa vituperaturum. Non quæro, inquit, homi-

Digitized by Google

nem irreprehensibilem penitus inter eos, quicunque passim fructibus terræ vescuntur. Deinde vobis, quod mihi compertum est, nuntio, quod videlicet hujus causa neminem laudaturus sum. verum mihi sufficit ille qui medium tenet, neque turpe quid agit. quoniam ego omnes sic diligo atque laudo. Hic utique Mitylenæorum lingua est usus, tanquam adversus Pittacum sic dicens, Omnes autem laudo, et diligo libens. Hic oportet id quod libens dicitur, seorsum a sequentibus capere, addicere postmodum quicunque nihil turpe committit. nam sunt et aliqui, quos ego non libens laudo et diligo. Quod si et tu, [347] mi Pittace, mediocriter consentanea veraque dixisses, nunquam te reprehendissem. nunc vero, cum et maxime et in maximis falsa proferas, quæ vera multis apparent, te reprehendere cogor. Hæc mihi, o Prodice atque Protagora, his in carminibus Simonidis ipsius mens fuisse videtur. Tum Hippias, Bene, inquit, o Socrates, carmina hæc exposuisse videris. est et mihi ratio illis accommodata: quam vobis, si vultis, ostendam. Immo vero, inquit Alcibiades, sed postea. prius autem peragere decet, quæ inter Socratem et Protagoram convenerunt. Et si Protagoras interrogare ulterius vult, respondere Socrates debet: sin autem respondere vult Protagoras, interrogare Socrates. Atqui concedo, inquam, Protagoræ quodcunque horum ipsi gratius est futurum. quod si placet, versus prætermittamus. ea vero, quæ abs te primo quærebam, Protagora, libenter una tecum absolverem. Videtur enim mihi disputatio de rebus poëticis persimilis esse conviviis imperitorum plebeiorumque hominum. Qui cum propter inscitiam nequeant invicem propria voce suisque sermonibus colloqui, mercede exhibita tibicinas introducunt, et aliena voce, hoc est, tibiarum flatu, convivium transigunt. Ubi autem boni præclarique et eruditi viri conveniunt, neque tibicinas ibi, neque saltatrices, neque cantatrices ullas videbis, sed eos propria voce, remotis his nugis jocisque, convivium celebrare, et alternis interrogationibus responsionibusque modeste disserere, etiamsi vinum abunde biberint. Eodem modo si ad hujusce modi disputationes viri tales conveniunt, quales esse nos plurimi prædicant, haudquaquam aliena voce et poëtarum verbis indigent, quos percontari non datur de his, quæ scribunt: et qui eorum testimonia in medium afferunt, partim hoc, partim illud sentire poëtam interpretantur; neque convincere possunt, neque rem ipsam, de qua disserunt, expedire. Tales ergo confabulationes sapientes viri dimittunt, ipsique per se invicem colloquuntur, [348] vicissimque ingenii periculum faciunt. Disputatores autem hujusmodi, ut arbitror, ego et tu nunc imitari debemus, et, poëtis posthabitis, nostris rationibus rem ipsam discutere, facereque tam ingenii nostri, quam veritatis examen. si ergo ultra quærere cupis, respondere tibi paratus sum: sin aliter mavis, te mihi præbe et adjuva ad ea quæ intermisimus peragenda. Cum hæc aliaque hujusmodi intulissem, Protagoras, quid potissimum agendum eligeret, nequaquam aperuit. Tunc Alcibiades ad Calliam conversus, O Callia, inquit, videturne tibi nunc recte Protagoras facere, quum declarare nolit, utrum rationem reddere placeat, necne? mihi quidem non videtur. Sed jam vel disputet, vel disputare nolle se dicat, ut huic quidem hæc adscribamus. Socrates autem cum alio quovis disserat; vel alius, quicunque vult, cum alio quopiam. Protagoras tunc, ut visus est mihi, verecundia motus propter Alcibiadis orationem, Calliæque et aliorum præsentium preces, vix tandem ad disserendum descendit, jussitque Socratem ipsum interrogare, se respondere pollicitus. O Protagora, inquam, ne me tecum ob aliud disserere putes, nisi quia quæ passim dubito, discutere velim. arbitror enim, haud ab re illud ab Homero dictum fuisse, Si duo simul congrediantur, alter altero magis intellexerit. Sagaciores namque sumus cuncti ad quodlibet opus, verbum, et sensum investigandum. si quis autem solus quippiam cogitat, mox

Digitized by Google

passim perquirit aliquem, quicum communicet, approbetque, quoad inveniat. Quamobrem ipse nunc tecum libentius, quam cum alio quovis disputo, existimans te optime omnium dijudicaturum et de aliis omnibus, quæ ad probi viri judicium spectant, et de his maxime, quæ ipse quærebam, videlicet de virtute. Nam quem melius, quam te id facturum sperem? nempe plerique alii probi quidem ipsi sunt, sed alios tales efficere nequeunt. Tu autem non modo virtute præditum esse te ducis, verum etiam ceteros homines eadem ornaturum te polliceris: atque adeo tuo ingenio confisus es, ut ceteris omnibus dissimulantibus, solus ipse artem hanc profitearis, [349] teque palam per omnes Græcos sophistam, quasi publico quodam præconio, prædices, doctrinæ morumque magistrum, et primus mercedem artificii istius exposcas. Quod igitur obstat, quin ipse præ ceteris ad harum rerum judicium sis advocandus interrogandusque, et tecum communicanda sint omnia? Nihil penitus obstat. Atqui et ipse nunc illa, de quibus primo interrogavi, cupio rursus partim abs te mihi in mentem reduci, partim communi judicio discuti. Erat autem talis, ut arbitror, quæstio: Utrum sapientia, temperantia, fortitudo, justitia, sanctitas, quinque nomina ejusdem rei sint, an unicuique horum nominum subsit propria quædam essentia, et res quædam vim propriam habens, adeo ut non sit unum quale est aliud. Dixisti tunc, nequaquam unius rei esse hæc nomina, sed singula nomina rebus singulis adhiberi. quin etiam partes omnes has esse virtutis: haud sane perinde, ut auri partes inter se totiusque consimiles; sed ut vultus partes invicem totiusque dissimiles, propriisque discretas potentiis. si hæc iterum, ut supra, confirmas, exprime: sin aliter modo sentis, hoc discerne. Equidem tibi nihil in sermonibus imputabo, si nunc aliter dicas. neque enim mirarer, si illa tunc Socratis tentandi gratia dixeris. Prot. Hæc omnia partes virtutis esse dico, ex quibus quatuor satis invicem consimiles sunt. fortitudo autem longe ab aliis differt. Quod autem vere loquar, hunc in modum cognosces. Reperies nonnullos homines injustissimos, profanissimos, intemperantissimos, imperitissimos, qui tamen ceteris fortitudine præstant. So. Attende, amabo: considerandum est quod dicis. Utrum fortes, audentes vocas, an alios quosdam? Prot. Immo etiam ad ea præcipites, a quibus plurimi deterrentur. So. Age itaque, virtutem honestum quiddam et pulchrum asseris, eamque ut pulchrum aliquid doces? [350] Prot. Pulcherrimum equidem, nisi forte insanio. So. Utrum hujus quiddam turpe est, quiddam pulchrum? an pulchrum totum? Prot. Totum, quam maxime esse potest, pulchrum. So. Scisne qui audacter in puteis natant? Prot. Immo vero: natatores enim. So. Utrum quia natare sciunt, an ob aliud? Prot. Quia natare sciunt. So. Quinam ex equis maxime pugnare audent? utrum equites, an equestris industriæ rudes? Prot. Equites. So. Quinam clipeis audacter pugnant? clipeiferine, an alii? Prot. Isti quidem: et in ceteris omnibus, si istud quæris, audaciores sunt, qui sciunt, quam qui nesciunt: iidemque homines postquam didicerunt, audent vehementius, quam cum ignorabant. So. Vidistine unquam aliquos horum ignaros omnium, ad hæc omnia tamen audentes? Prot. Vidi equidem et audaces maxime. So. Numquid audaces isti fortes sunt? Prot. Turpe quiddam esset fortitudo: quandoquidem audaces isti furiosi sunt. So. An non dicis fortes audaces ipsos esse? Prot. Dixi equidem, et dico. So. Nonne isti, qui sic audent, fortes quidem minime, sed furentes apparent? et supra rursus sapientissimi illi audentissimi nobis apparuerunt? et quia audentissimi, ideo et fortissimi: atque ita secundum hanc rationem sapientia ipsa fortitudo esset? Prot. Haud satis recordaris, o Socrates, quæ dixi supra, tibique respondi. Equidem interrogatus abs te, utrum fortes viri audentes essent, consensi: utrum vero et audentes fortes essent, non quæsivisti. quod

Digitized by Google

si tunc interrogasses, respondissem, utique non omnes. Quod vero fortes audentes non sint, a me concessum nunquam monstrasses: quia non recte concessissem. Proinde scientes homines, ostendis ignorantibus, seipsis, et aliis audaciores esse: et idcirco idem esse sapientiam et fortitudinem arbitraris. Eadem ratione procedens, robur quoque sapientiam esse duceres. Nam si a me similiter in hunc modum quæsisses, utrum robusti homines potentes sint, asseruissem utique. deinde, utrum palæstræ periti ad certandum potentiores sint, quam ignari, et ipsi postquam didicerunt, se ipsis dum ignorabant, hoc iterum admisissem. Hæc me confitente licuisset tibi argumentis iisdem conjicienti dicere, per concessionem meam sapientiam robur existere. Ego autem nusquam in præsentia potentes homines robustos esse confiteor: robustos tamen potentes esse autumo. [351] Non idem esse robur, et potentiam arbitror. nam et a scientia, et ab insania, et ab ira potest potentia provenire: robur autem a natura dumtaxat, et debita corporum nutritione procedit. Similiter et in illis nequaquam idem esse censendum fortitudinem et audaciam. Quapropter contingit, fortes quidem audentes esse, non tamen audentes omnes esse fortes. Audacia enim ab arte hominibus, ab ira, ab insania datur, quemadmodum de potentia diximus: fortitudo autem a natura, debitaque educatione provenit animorum. So. Dicisne, o Protagora, alios homines bene, male alios vivere? Prot. Dico equidem. So. Numquid bene vivere homo tibi videtur, si cum molestia doloreque vivat? Prot. Minime. So. Sin autem usque ad vitæ finem jucunde quis vixerit, bene vixisse dicendus? Prot. Certe. So. Ergo jucunde vivere bonum: moleste malum. Prot. Si modo honestis fuerit delectatus. So. Numquid ipse, Protagora, quemadmodum alii multi, jucunda quædam mala vocas, tristia bona? Sic autem interrogo. Utrum in quantum jucunda sunt, in tantum non bona, non si quid ab illis provenit aliud: rursusque utrum similiter tristia non ex eo quod tristia mala? Prot. Ignoro, Socrates, utrum ita simpliciter, ut interrogas, respondere me deceat, jucunda omnia bona esse, tristia mala. Sed tutius mihi fore videtur non solum ad præsentem quæstionem, verum etiam ad omnem vitæ meæ rationem, ut respondeam, esse jucunda quædam non bona, et tristia quædam non mala: esse rursus et neutra, quæ neque bona sint, neque mala. So. Num jucunda vocas ea, quæ vel voluptatis participia sunt, vel efficiunt voluptatem? Prot. Prorsus. So. Quæro igitur hoc, utrum ex eo quod jucunda sunt, non bona sint: utrum videlicet ipsa voluptas sit non bonum. Prot. Ut ipse ubique dicis, o Socrates, istud consideremus: et si ad rem conducere hæc consideratio videatur, idemque jucundum bonumque appareat, concedemus: sin minus, tunc jam dubitantes objiciemus. So. Utrum igitur ipse disputationis dux esse vis? an me ducere jubes? Prot. Æquum est te esse ducem. tu namque cœpisti. [352] So. Hoc modo forsitan quod quærimus, patefiet: quemadmodum si quis ad dignoscendam hominis sanitatem, vel alium corporis habitum atque opus, vultum ejus, et manus extremas contemplatus adjiciat, Age jam, pectus mihi dorsumque nuda, ut clarius inspiciam. Ita nunc ego idem ad judicium id requiro. nam cum affectum tuum erga bonum et voluptatem ex tuis verbis agnoverim, tale aliquid mihi expedit dicere: Age Protagora, et in hoc tuam mentem aperias, quid de scientia sentis? numquid idem tibi quod aliis, an aliud placet? Plurimi sane hoc de scientia judicant, quod neque robustum aliquid sit, nec ducat, neque etiam dominetur. neque enim de ipsa ut de duce et principe cogitant: immo sæpe homini præsente scientia, non ipsam dominari existimant, sed aliud aliquid, tum iram, tum voluptatem, alias dolorem, alias et amorem, et sæpe formidinem. Atque ita de scientia cogitant, quasi de mancipio quodam, ab aliis omnibus undique tracto. Numquid et tu idem

Digitized by Google

scientia? an potius præclarum quiddam scientiam, et hominis principem arbitraris, ita ut si quis bona malave discernat, numquam ab alio inducatur ad aliud, quam quod scientia jubet, agendum: sed sufficiens sit hominis adjutrix præsidiumque prudentia. Prot. Videtur mihi quod dicis, o Socrates. nam si cuiquam hominum turpe est negare, sapientiam scientiamque omnium rerum humanarum esse potentissimam, mihi certe turpissimum. So. Præclare nimium vereque loqueris. Sed enim nosti, multos mihi et tibi non credere? aiunt porro, plerosque bonorum conscios, cum bona agere liceat, agere illa nolle, sed alia. Et quotcunque rogavi, quæ hujus rei sit causa, ferunt homines voluptate, vel dolore, vel aliquo alio illorum, quæ supra retulimus, superatos, hæc agere. Prot. Alia quoque multa sunt, o Socrates, in quibus homines errant. So. Age itaque, una mecum conare hominibus persuadere, docereque illos, quænam hæc sit passio, [353] quod aiunt se a voluptatibus superari, et hanc ob causam, quæ cognoscunt bona, non facere. Forte namque dicentibus nobis, illos errare, statim objicerent, O Protagora et Socrates, si non est passio hæc vinci a voluptatibus, quænam est alia? quam dicitis vos? exponite. Prot. Quid vero nos ad multorum opinionem attendere decet, qui, utcunque contingit, loquuntur? So. Conducturum nobis hoc arbitror ad inveniendum, quomodo ad ceteras virtutis partes fortitudo se habeat. Quare si in superiori conventione standum censes, ut videlicet ego ducam, qua maxime inveniri posse quod quærimus, arbitror, sequere: sin minus hoc, et dimitti mavis, mitto. Prot. Probe loqueris. perge igitur, ut cœpisti. So. Si iterum a nobis sciscitarentur, Quid istud vos esse dicitis, quod nos vinci a voluptatibus dicebamus? sic ego ad illos: Audite jam. ego et Protagoras vobis istud declarare conabimur. Numquid perinde hoc fieri dicitis, ut sæpe contingit, homines ciborum poculorumque, et venereorum voluptate pellectos victosque, asciscere illa, etiamsi mala esse cognoscant? Assentirentur illi. Tunc nos ita: Mala vero illa cur dicitis? utrum quia voluptatem hanc præsentem præbent, et suavitate deliniunt? an quia in posterum morbos, inopiam, et alia multa generis hujus adducunt? an etiam, si nihil tale in posterum inferunt tantumque delectant, nihilo minus mala sunt, ex eo quod cognoscentem hominem delectant? Putamusne eos, o Protagora, aliter responsuros, quam quod non propter præsentem voluptatis ipsius illationem mala sunt, sed propter morbos, et alia quæ sequuntur? Prot. Sic vulgus arbitror responsurum. So. Nonne dum morbos adducunt, dolores inferunt? dum egestatem, dolorem? Assentirentur, ut arbitror. Prot. Immo certe. So. Hæc ergo, o viri, non ob aliud, ut ego et Protagoras arbitramur, mala vobis apparent, quam quod in dolores desinunt, ceterisque voluptatibus privant. Confiterentur. [354] Prot. Procul dubio. So. Si contra rursus interrogaremus, O viri, qui bona iterum tristia esse fatemini, nonne ejusmodi quædam dicitis, ceu exercitationes corporum, labores militiæ, medicorum curationes, quæ vel secando fiunt, vel urendo, vel pharmacis, vel inedia, bona dicitis, sed molesta? Consentirent. Prot. Et hoc. So. Utrum hæc ex eo bona vocatis, quod præsentibus doloribus cruciatibusque conficiunt? an ob id potius, quod in posterum ex his sanitas, et bona corporis habitudo, patriæ salus, potentiæ divitiæque sequuntur? Ob id ipsum dicerent, ut existimo. Prot. Ego quoque id judico. So. An ob aliud hæc bona sunt, quam quod in voluptates desinunt, et molestias pellunt? aliumne finem assignare potestis, ad quem respicientes hæc bona vocetis, quam voluptates atque dolores? Non possumus, ut arbitror, responderent. Prot. Sic equidem puto. So. An non voluptatem, ut bonum sequimini, dolorem, ut malum fugitis? Concederent. Prot. Profecto. So. Ergo id malum existimatis, dolorem scilicet, bonum voluptatem: quandoquidem et ipsam

Digitized by Google

oblectationem tunc sane malam dicitis esse, quando majoribus voluptatibus privat, quam præbet: vel quando vehementiores dolores infert illis, quas continet, voluptatibus. quoniam si ob aliud delectationem ipsam malam appellaretis, ad alium finem respicientes, nobis quoque monstrare possetis, sed nequaquam poteritis. Prot. Neque mihi posse videntur. So. Similiter quoque dolorem ipsum tunc dumtaxat bonum dicitis, quum majores fugat dolores, quam infert; aut voluptates molestiis vehementiores inducit. Quandoquidem si ad alium finem respicientes, dolorem bonum judicaretis, nobis aperire possetis. sed non poteritis. Prot. Vera narras, o Socrates. So. Si me contra interrogaretis, o viri, quamobrem ubique multa de hoc loquar: Ignoscite mihi, protinus responderem. primo namque haud facile demonstrari hoc potest, quid est quod dicitis, a voluptatibus superari. deinde demonstrationes omnes in hoc ipso consistunt. et nunc etiam retractare licet, [355] si quo modo habetis aliud quod bonum dicatis, quam voluptatem, et quod malum aliud, quam dolorem. An sufficit vobis vitam jucunde absque tristitia ducere? Quod si sufficit, neque dicere potestis aliud bonum, vel malum, quod non ad hæc tendat, audite quod sequitur. Aio equidem his ita se habentibus, ridiculum vobis esse sermonem, quando dicitis hominem mala cognoscentem esse mala, illa nihilominus agere, cum liceat non agere, voluptatibus tractum atque perculsum. atque iterum quando dicitis, hominem bonorum conscium agere nolle, præsenti voluptate detentum. Hæc autem ridicula esse patebit, nisi multis utamur nominibus, jucundo, tristi, bono ac malo. sed postquam duo hæc esse apparuerunt, duobus ipsa nominibus appellamus, primum quidem bono ac malo, postea jucundo ac tristi. His positis, ita dicamus, cognoscentem hominem mala esse mala, illa nihilominus agere. Si quis autem quærat, quamobrem, Quia videlicet victus, respondebimus. A quo? quæret ille. Nobis autem non licebit ulterius a voluptate victum dicere. aliud enim nomen voluptatis loco suscepit, bonum. Ideo respondebimus illi, victum a bono. Tunc, si ille qui nos interrogat, contumeliosus forte vir sit, ridebit nos atque dicet quod absurdum est quod dicitis. si facit quis mala, sciens mala esse, cum non oporteat facere, victus a bonis: an bona hæc digna sunt, ut mala vincant, vel non digna? Non digna dicemus. neque enim aberrasset ille, quem dicimus a voluptatibus superatum. Ad hæc ille, Quamobrem bona indigna sunt, ut mala vincant? vel mala, ut bona? numquid ob aliud, quam cum hæc majora sunt, illa minora? vel plura hæc, illa pauciora? Non habebimus præter hanc causam aliquam. Addet ille, Constat jam, quod superari hoc dicitur, loco exiguorum bonorum majora mala suscipere. Hæc itaque sic se habeant. Mutemus igitur hæc nomina, accipiamusque ad eadem jucundum ac triste; dicentes Hominem agere tunc diximus mala, dicamus nunc tristia, scientem tristia esse, a voluptariis superatum, talibus scilicet, ut victoria sint indigna. [356] quæ vero alia inest ad dolorem indignitas voluptati, quam excessus inter se atque defectus? hoc est, cum inter se hæc majora minorave fiunt, plura item, et pauciora, vehementiorsque, et remissiora. Si quis autem dixerit: At multum differt, o Socrates, voluptas præsens a futura voluptate atque molestia: dicam equidem, Num alio quopiam, quam voluptate atque molestia? haud sane alio potest. Sed perinde est ac si vir peritus ponderum, collectis voluptariis, collectisque tristibus, eminusque et cominus, lancibus supponeret, diceretque utra sint plura. Si enim voluptaria cum voluptariis libres, majora semper et plura sunt eligenda: sin autem tristibus tristia compares, pauciora atque minora: sin jucunda cum tristibus, et tristia a voluptariis excedantur, sive propinqua remotis, sive remota propinquis, ratio illa est eligenda in qua hæc insunt: quod si jucunda a tristibus excedantur, minime. An aliter se res

Digitized by Google

habet, o viri? scio equidem, nihil afferre eos aliud posse. Prot. Idem et ipse arbitror. So. Postquam vero ita se id habet, illos hunc in modum interrogabo. Apparent oculis vestris eædem moles cominus majores, minores eminus? Ita respondebunt. Et crassa, et multa similiter? et æquales voces prope majores, longe vero minores? Consentient. Si in hoc bene agere, et felicitas nostra consisteret, hoc est, in magnis molibus fabricandis, accipiendisque, parvisque vitandis, quænam nobis potissima vitæ salus esset? Num ars dimetiendi? an apparentis potentia? Immo potentia hæc nos deciperet, et errore confundens sæpe nos cogeret eadem alias aliter judicare, atque adsciscere, in actionibusque et electionibus magnorum ac parvorum sæpius pœnitere. Dimetiendi vero facultas apparens hoc abrogaret refelleretque, veritatemque aperiens animo quietem daret in veritate manenti, atque ita vitam servaret. Consentirentne homines ad hæc, dimetientem artem servare nos an aliam? Prot. Hanc ipsam. So. Quid porro? si in ipsa paris imparisve electione salus vitæ consisteret, quando quod plus est, recte eligi oporteret, et quando quod minus, vel ipsum ad seipsum, vel aliud forte ad aliud, [357] sive prope, seu procul sit, quid potissimum nostram vitam servaret? nonne scientia? et non metiendi quidem, quum excessus atque defectus ars ista sit. cum vero paris, et imparis habenda ratio sit, non alia, quam numerandi scientia. Concederent homines hæc, an non? Prot. Absque controversia consentirent. So. Postquam vero salus vitæ apparuit in recta voluptatis et doloris electione consistere, quoad plura et pauciora, majora et minora, propinquiora et remotiora pertinet, nonne dimetiendi primo facultas excessus atque defectus, æqualitatisque mutuæ consideratrix? Prot. Necesse est. So. Quoniam vero metiendi facultas est, necesse est, ut ars et scientia sit. Prot. Admittent. So. Quæ vero potissimum hæc scientia sit, alias considerabimus. sufficit in præsentia, scientiam esse, quantum ad eam spectat responsionem, quam ego et Protagoras vestræ eramus quæstioni daturi. Hæc, si recordamini, erat quæstio. Nos quidem consensimus, nihil scientia potentius esse: immo semper, ubicunque adest, voluptati cunctisque aliis dominari. tunc vos objecistis, voluptatem sæpenumero scienti homini dominari. Quod cum vobis nequaquam daremus, statim vos ita rogastis: O Protagora atque Socrates, si hoc non est a voluptatibus superari, sed aliud quiddam, declarate vos quid istud. Si illico vobis respondissemus, inscitiam esse, nos protinus risissetis. nunc autem si nos deridetis, vos quoque ipsos irridebitis. Ipsi enim vos paulo ante confessi estis, defectu scientiæ aberrare illos, qui in voluptatum et dolorum electione delinquunt. ea vero bona sunt, et mala. Neque defectu scientiæ tantum dixistis, sed ulterius addidistis, defectu scilicet scientiæ metiendi. Actio autem aberrans, absque scientia, ut et vos non latet, ab inscitia provenit. quapropter quod dici solet, a voluptatibus superari, extrema inscitia est: quam veluti morbum Protagoras hic, et Prodicus, et Hippias curaturos se, quasi medicos profitentur. Vos autem, quia aliud quiddam esse hoc quam inscitiam opinamini, neque vos ipsos, neque filios vestros, hisce sophistis rerum harum doctoribus curandos traditis, quasi virtus doceri non possit. sed, cum pecuniis indulgeatis nimium neque mercedem his præceptoribus offeratis, privatim publiceque delinquitis. Hæc plane vulgo respondissemus. [358] Nunc autem vos etiam, o Prodice atque Hippia, una cum Protagora hoc percontor, (communis enim vobis hic sermo,) nunquid vera vobis loqui videar, an falsa? Vere admodum dicta esse superiora, visum est omnibus. Conceditis igitur, inquam, quod jucundum est, esse bonum, quod triste, malum. Distinctionem vero illam nominum, quam Prodicus hic inducere solet, rejicio, ejusque requiro judicium. sive enim voluptarium, sive delectabile, seu lætum, seu quomodocunque

Digitized by Google

aliter nomines, optime Prodice, hoc mihi nunc ad quod volo respondeas. Subridens Prodicus assensus est: et alii pariter consenserunt. Tum ego, Quid ad hoc, o viri? actiones omnes, quæ ad jucunde et sine molestia vivendum tendunt, nonne honestæ et utiles? honestumque opus, bonum et utile? Annuerunt. Si ergo jucundum ipsum bonum est, nemo vel sciens, vel existimans alia meliora esse his quæ fecit ac potest, deinde hæc agit, dum meliora potest. quod vero dicitur, ab affectibus superari, nihil est aliud, quam inscitia: et quod, affectibus dominari, sapientia. Placuit omnibus. Quid vero? inscitiam nonne tale quiddam dicitis, quando quis falsa opinione decipitur circa res plurimi faciendas? Hoc quoque dederunt. Nemo vero libens ad mala descendit, vel ad illa quæ mala existimat. Neque hoc, ut videtur, naturæ hominis inest, ut ad ea quæ censet mala, loco bonorum declinare velit: et cum e duobus malis alterum eligere cogitur, nemo quod pejus eligit, dum licet quod est minus malum eligere. Hæc omnia cunctis nobis rata habenda visa sunt. Quid, inquam, timorem ac terrorem vocatis? numquid quod ego erga te dico, Prodice? exspectationem porro quandam mali, sive timorem, seu terrorem dicatis, ipse voco. Visum est Protagoræ atque Hippiæ, timorem ac terrorem hoc esse: Prodico autem timorem quidem esse hoc, terrorem vero minime. Nihil id refert, inquam, o Prodice: sed istud, si vera sunt supra dicta. Voletne aliquis ad illa proficisci, quæ metuit, dum licebit ad ea quæ minime timet? an fieri nequit, secundum ea quæ jam concessimus? nam quæ quis metuit, constitit, quod mala esse putat; quodque nullus sponte ad illa descendit, et accipit quæ mala existimat. Hæc quoque omnibus placuerunt. [359] His ita suppositis, o Prodice, inquam, et Hippia, primam ejus responsionem Protagoras coram vobis tanquam veram defendat: immo vero nunc non primam. inquit enim, primo ex quinque virtutis partibus nullam talem esse, qualis est alia, et unamquamque propriam habere potentiam. Non hoc exigo nunc, sed quod postea dixit. inquit enim in sequentibus, Quatuor virtutis partes satis invicem propinquas esse: unam vero illarum, scilicet fortitudinem, a reliquis longe differre. Quod inde conjici posse dicebat, quod plerique invenirentur fortissimi viri, qui tamen profanissimi, injustissimi, intemperantissimi, et insipientissimi essent: ex quo patere volebat, fortitudinem ab omnibus aliis virtutis partibus plurimum differre. Cujus ego responsum statim vehementer sum admiratus, multoque etiam magis, postquam vobiscum hæc tractavi. quare ab illo sciscitatus sum, utrum fortes audaces vocaret. Ille vero præcipites insuper addidit. Recordaris, Protagora, hæc te respondisse? Prot. Recordor. So. Dic obsecro nobis, ad quid præcipites homines fortes nuncupas? an ad ea, quæ timidi aggrediuntur? Prot. Non. So. Ergo ad alia? Prot. Nempe. So. Utrum timidi audenda aggrediuntur? metuenda fortes? Prot. Ita fertur, o Socrates. So. Vera narras. verum non istud requiro: immo vero tu ad quid præcipites fortes appellas? num ad mala, scientes esse mala perniciosaque? vel ad ea, quæ talia non sunt? Prot. Impossibile hoc esse, abs te superioribus rationibus est ostensum. So. Et in hoc quoque vere loqueris. Quamobrem, si hoc recte est demonstratum, ea quæ mala perniciosaque judicat, nullus aggreditur: quandoquidem constitit, inscitiam esse quod dicitur ab affectibus superari. Prot. Plane. So. Enimvero omnes invadunt illa, quæ audent, tam timidi, quam fortes: atque hac ratione eadem et timidi, et fortes aggrediuntur. Prot. Immo contraria omnino sunt, o Socrates, ea ad quæ fortes et timidi proficiscuntur. nam ad bellum quidem ire hi volunt, illi vero nolunt. So. Utrum ire honestum, an turpe? Prot. Honestum. So. Nonne si honestum, etiam

Digitized by Google

bonum esse supra consensimus? omnes enim actiones honestas et pulchras, etiam bonas esse convenimus. Prot. Vera loqueris: et mihi quidem semper ita videtur. So. Probe. [360] Verum quosnam dicis in prœlium ire nolle, cum iter id pulchrum bonumque sit? Prot. Timidos. So. Nonne si pulchrum et bonum, etiam est jucundum? Prot. Concessum est. So. Numquid cognoscentes timidi ad pulchrum, melius et jucundius proficisci nolunt? Prot. At vero si istud admittimus, superiores conventiones pervertimus. So. Quid porro? vir fortis, nonne ad id, quod pulchrum, melius jucundiusque est, tendit? Prot. Necesse est confiteri. So. Omnino igitur fortes viri neque turpiter metuunt, si quando metuunt, neque turpiter audent. Prot. Ita est. So. Si non turpiter, honeste et pulchre. Prot. Certe. So. Sin honeste, etiam bene. Prot. Utique. So. Nonne et timidi, et feroces, et furiosi, contra turpiter audent, et metuunt turpiter? Prot. Est istud. So. Cur turpiter et male audent, nisi propter ignorantiam et inscitiam? Prot. Ob hanc ipsam causam. So. Quid? vocas hoc, quo timidi ipsi timidi sunt, timiditatemne, an fortitudinem? Prot. Timiditatem. So. Timidi autem nonne propter metuendorum inscitiam apparuerunt? Prot. Sane. So. Propter hanc ergo inscitiam timidi sunt? Prot. Nempe. So. Illud autem quo timidi sunt, timiditatem esse asseruisti. Prot. Asserui. So. Nonne igitur metuendorum et non metuendorum inscitia timiditas erit? Prot. Erit. So. Enimvero contraria est fortitudo timiditati. Prot. Absque dubio. So. An non sapientia metuendorum et non metuendorum, eorundem inscitiæ contraria est? Prot. Prorsus. So. Horum vero inscitia timiditas? Prot. Et maxime quidem. So. Sapientia igitur metuendorum et non metuendorum fortitudo est, eorundem inscitiæ contraria existens. Haud ulterius annuit Protagoras, sed siluit. Tum ego: Quid taces, Protagora? cur non aut annuis, aut renuis? Ipse rem perage, inquit. Concludam protinus, inquam, si unum hoc dumtaxat interrogavero, Utrum tibi nunc etiam, ut et supra, insipientissimi quidam esse videantur, qui tamen fortissimi sint. Contendere nimis, inquit, videris, o Socrates, ut ipse respondeam. ergo morem tibi geram. Impossibile dico videri, ex his quæ supra concessimus. Non ob aliam causam, inquam, de his omnibus te percontor, quam quod nosse cupiam, qualia sint quæ ad virtutem pertinent, quidve ipsa sit virtus. [361] Scio equidem, hoc declarato statim notum fore et illud, quo de ego et tu tot jam verba consumsimus: dum ego quidem virtutem doceri posse negarem; tu vero posse asseverares. Atqui arbitror, nostræ disputationis exitum, si hominis instar vocem nancisceretur, derisurum nos, et his atque hujusmodi correptionibus reprehensurum, Quam absurdi estis, o Socrates atque Protagora. tu quidem ab initio dicebas, o Socrates, doceri non posse virtutem: nunc repugnare tibi ipsi studes, dum ostendere niteris, omnia hæc esse scientiam, justitiam scilicet, temperantiam, fortitudinem: qua ratione maxime virtutem doceri posse constat. Si enim aliud quiddam esset scientia quam virtus, quod Protagoras asserere supra tentabat, plane doceri non posset. nunc autem si universum scientia apparebit, quod ipse inferre conaris, o Socrates, mirum erit, si per doctrinam virtus comparari non possit. Protagoras autem primo quidem doceri virtutem voluit: nunc contra adniti videtur, ut quodvis aliud potius quam scientia virtus appareat; quo pacto minime omnium doceretur. Equidem, o Protagora, videns hæc omnia sursum deorsumque graviter perturbata, ut in lucem veniant, vehementer affecto. Velim autem, his inter nos enarratis, quid virtus est ostenderemus, rursusque utrum doceri possit necne, monstraremus: ne sæpius nos Epimetheus ille fallat in consideratione decipiens, quemadmodum in distributione neglexit, ut tu narrabas.

Digitized by Google

Prometheus enim ea in fabula mihi magis quam Epimetheus placuit: quo utens, et universæ vitæ meæ providens hæc omnia tracto. Atqui si ipse velles, ut ab initio dixi, libentissime de his rebus tecum deliberarem. Tum Protagoras, studium hoc tuum, inquit, o Socrates, sermonisque discursum laudo. etenim cum cetera, nisi me fallit opinio, a me absint vitia, invidia certe omnium remotissima. Et de te quidem multis jam dixi, me omnium quos convenerim maxime te admirari, æqualium certe quam maxime. addo quinetiam, nil mirum mihi fore, si sapientiæ studio clarus evaseris. Ac de his alias, quandocunque voles, edisseremus. [362] Nunc jam hora est, ut me ad alia conferam. Ita, inquam, agendum est, si tibi videtur; quandoquidem et ipse jam pridem alio abire cogebar, ut dixi: verumtamen ut Callix, honesto adolescenti, morem gererem, perstiti. His dictis atque auditis abivimus.

Digitized by Google

LACHES.

LYSIMACHUS, MELESIAS, NICIAS, LACHES, FILII LYSIMACHI ET MELESIÆ, SOCRATES.

Virum spectastis armis dimicantem, o Nicia atque Laches. quam vero ob causam spectare hunc nobiscum una ego et Melesias hic vos jussimus, supra minime declaravimus, nunc autem aperiemus. nam libere vobiscum loquendum existimamus. Sunt enim nonnulli, qui hæc derident, ac si quis eos consulat, sententiam suam non exprimunt: sed illud de quo consultatur, et consultantis mentem conjicientes, alia præter ea quæ sentiunt, proferunt. Cum autem vos arbitremur et ad intelligendum sufficere, et quæ cognoscitis simpliciter explicare, socios ad eorum, quæ referemus, deliberationem ascivimus. Est autem, de quo altius sum exorsus, ejusmodi. [179] Hi nobis filii sunt, hic quidem hujus filius, avito nomine Thucydides nuncupatus: meus item alter, avi similiter nomen servans. nam Aristidem nominamus. Videturque nobis quam diligentissima horum cura suscipienda, neque agendum putamus, quod multi solent, qui filios suos, cum primum adoleverint, ad propriam sinunt libidinem vivere: immo vero tunc studium diligentius adhibendum. Cum itaque adesse nobis filios videamus, judicavimus, vos præ ceteris cogitasse, qua ratione educandi sint, ut optimi fiant. quod si non multum animadvertistis, in præsentia admonemus, vos id negligere non debere, exhortamurque, ut una nobiscum de filiorum educatione deliberetis. quam vero ob causam nobis hæc videantur, o Nicia atque Laches, audire decet, quamvis paulo prolixiora sint, quæ sequuntur. discubuimus in convivio simul ego et Melesias hic, atque hi nobiscum adolescentuli. Ut igitur in principio sermonis significavi, libere vobiscum audacterque loquemur. sane uterque nostrum multa potest patris sui præclara facinora tum pace, tum bello filiis enarrare, patrisque gesta erga rempublicam sociosque insignia recensere: a nobis vero res gestas referre nullas possumus. Quare et horum nos pudet eaque damnamus, et patrum negligentiam sæpe culpamus, quod nos, postquam adolevimus, in mollitie quadam et delitiis vivere permiserunt, resque aliorum gessere. Eademque adolescentibus his ostendentes, edicimus, si se ipsos neglexerint, nostraque præcepta contemserint, ignobiles eos futuros: sin autem curaverint, forte dignos avitis nominibus evasuros. ipsi vero parituros se nobis respondent. Nobis autem de hoc invicem consultantibus, qua disciplina vel consuetudine potissimum optimi fieri possunt, exposuit quispiam, operæ pretium esse, ut armis dimicare perdiscant: laudavitque istum, quem vos modo certantem spectastis, et contueri jussit. Optimum itaque fore putavimus, ut et nos ad hoc spectaculum veniremus, et vos una convocaremus, tum ad spectandum, tum etiam, si vultis, [180] de adolescentum educatione communi consilio deliberandum. Hæc sunt, quæ vobiscum conferre cupiebamus. Vestra nunc interest, tam de hac re, utrum discenda sit necne, consulere, quam de aliis, si quam disciplinam vel studium adolescentis laude dignum invenitis: et quid circa communionem facturi

Digitized by Google

estis, prædicere. Ni. Sententiam profecto vestram, o Lysimache et Melesia, probo, et vobiscum una investigare paratus sum: similiterque affectum hunc Lachetem existimo. La. Vera perpendis, o Nicia. profecto, quod paulo ante referebat Lysimachus de suo et Melesiæ patre, quam aptissime dictum mihi videtur adversus illos, et nos, et omnes, quicunque civilia tractant. nam, quod querebatur Lysimachus, illi tam filios, quam cetera domestica, negligunt. in his itaque probe, Lysimache, loqueris. Quod autem nos ad consultandum de eruditione adolescentum accersis, Socratem autem istum non invitas, admiror: primo quidem concivem; deinde hic ut plurimum conversantem tractantemque, ubi aliqua sit disciplina decora talis, qualem exigis, et exercitatio juvenum. Ly. Quid ais, Laches? Socrates hic talia unquam curavit? La. Et maxime quidem, Lysimache. Ni. Ego quoque ad hoc non deterior, quam Laches, testis esse possum. Nuper enim hospitem ad me deduxit erudiendi filii gratia Agathoclis discipulum Damonem, musicæ præceptorem, urbanum quidem virum præ ceteris, atque pretium non in musica solum, sed etiam in ceteris facultatibus, quibus certe dignus fit, ut ejus disciplinæ consuetudinique adolescentes ejusmodi committantur. Ly. Haud amplius, o Socrates, Niciaque, et Laches, ego atque æquales mei, juniores cognoscimus, utpote qui nos domi ob ætatem plurimum continemus. verum si quid boni, o Sophronisci fili, concivi huic tuo consulere potes, consule. decet enim: nam paternus nobis es amicus. semper enim ego ac pater tuus familiares amicique fuimus, ac ille vita prius decessit, quam ulla inter nos simultas exoriretur. Mihi quoque quodammodo aures adhuc Socratis nomen circumsonat, quod hi pueri domi altercantes invicem frequenter usurpant, celebrantque summopere: quos ego nondum percontatus sum, utrum Socratem Sophronisci filium dicant, [181] an alium. Sed, o pueri, dicite mihi, hicne Socrates ille, quem adeo frequenter commemorare soletis? Pu. Iste procul dubio, pater. Ly. Bene quidem per Junonem, o Socrates, quod erga patrem tuum recte te geris omnium virorum optimum, et quod nobis propria tua erunt, tibique nostra. La. Ne virum hunc dimittas, Lysimache. nam ego alibi ipsum inspexi quandoque non erga patrem tantum, verum etiam erga patriam mirum in modum officiosum. porro in ipsa apud Delium fuga mecum una pedem retulit: idque ratum habeas velim, quod si ceteri similiter se gessissent, haud totam perpessa fuisset civitas nostra ruinam. Ly. Optima hæc laus est, o Socrates, quæ tibi nunc a viris fide dignis tribuitur, qui in iisdem laudandi et ipsi sunt, in quibus te laudant. Scito igitur, me tua lætari gloria, tibique summa benevolentia esse devinctum existimato. Oportet ergo, te primum ad nos accedere, domesticosque, ut decet, censere. Quare posthac, postquam nos invicem agnovimus, ne aliter facias: immo benevolentia quadam domestica complectaris et nos, et hos juniores, ut mutua inter nos amicitia utrinque servetur. Hæc sane et tu facies, et nos deinceps iterum in memoriam revocabimus. Ad id autem, quod inquirere cœpimus, quid dicitis? Num conducere putatis adolescentibus, ut armis pugnare perdiscant? So. Conabor equidem, o Lysimache, si quid potero de his consulere, et quæ postulas cuncta perficere. Verum par esse mihi videtur, ut, cum et junior his, et ad hæc imperitior ipse sim, audiam primo quid ipsi sentiant, discamque: ac si quid ultra sententias illorum habuero, tunc demum tibi hisque aperiam. Ceterum cur non ipse prior, o Nicia, loqueris? Ni. Nihil prohibet, Socrates. Videtur mihi peritia hæc passim prodesse juvenibus: neque in his immorandum, quibus juvenes otium nacti sese dare consueverunt; sed eam facultatem comparare præstat, per quam habitus corporis robustus adquiritur. nulla enim alia exercitatione inferior hæc est, [182] aut minus laboriosa. decet præterea liberum hominem maxime

Digitized by Google

exercitatio talis, et equestris peritia. nam in eo certamine, cujus nos athletæ sumus, et in his, quorum nobis est certamen propositum, hi soli decertant, qui in ejusmodi belli instrumentis se exercent. Conferet quin etiam peritia hæc in ipsa pugna, quoties in acie ordineque certandum. maxime vero tunc proderit, cum acies dissolventur, et singulari certamine oportebit vel insequi repugnantem, vel invadentem in fuga repellere. Nunquam sane, qui hac facultate instructus est, uni succumbet, forte vero nec etiam pluribus: immo hac passim exsuperabit. Præterea alterius cujusdam præclaræ disciplinæ facultas hæc desiderium affert. quilibet enim, cum didicerit armis pugnare, disciplinam circa ordinandas acies, quæ statim sequitur, affectabit. hæc autem assecutus, et circa hæc cupiditate gloriæ inflammatus, ad exercitus præfecturam se conferet, ac summatim ad omnia, quæ circa hæc versantur, instituta studiaque præclara et cognitu usuque digna, sese prima illa ducente convertet. Adjiciemus item quiddam non contemnendum, quod unumquemque in prælio audentiorem fortioremque mirum in modum hæc facultas efficiet. Neque illud insuper reticendum, quamvis levius cuiquam videri possit, quod et aptiorem ibi virum efficiet, ubi maxime aptum promtumque apparere oportet. ibidem certe ob ipsam dexteritatem hostibus terribilior apparebit. Mihi itaque, o Lysimache, operæ pretium esse videtur, ut hæc adolescentes percipiant: quamve ob causam ita putem, exposui. Verumtamen libenter audirem, si quid præter hæc Laches velit afferre. LA. Absurdus profecto sermo existimaretur, o Nicia, si quis aliquam disciplinam diceret minime comparandam. præstare enim videtur, scire omnia. enimvero facultas hæc circa arma, si disciplina quædam est, ut ferunt qui eam docent, et talis præterea qualem Nicias prædicat, discenda est: sin autem disciplina non est, sed nos decipiunt qui hanc pollicentur: vel disciplina est quidem, sed haud multi pretii: quid discere hanc oportet? Ad hæc dicenda ea sane conjectura me movet, quod, ut reor, si alicujus hæc esset pretii, nunquam Lacedæmonios latuisset, quibus nihil aliud curæ est in omni vita, quam ita se in omnibus comparare, [183] ut bello ceteros omnes exsuperent. quod si forte illos fugit, non tamen hos præterisset hujus rei magistros, quod hujusmodi rebus illi summopere studeant, quodque in his honoratus ab illis aliquis multas apud alios pecunias cumularet; quemadmodum tragœdiarum poëta apud nos honoratus, nempe qui tragœdiis confidit suis, haud extrinsecus Atticam circumlustrat, per alias urbes ostentatus, verum statim huc adveniat, et sua merito iis viris ostendit. Hos vero, qui in armorum ludis versantur, video Lacedæmonem putare quasi quoddam inaccessibile templum, neque summo etiam pede ascendere unquam audere. immo circumoberrant, et apud alios se potius jactant, præcipue inter illos, qui et ipsi se aliis multis in re militari inferiores esse confiterentur. Præterea non paucis, o Lysimache, generis hujus hominibus interfui dimicantibus, et quales sint novi. inde quoque conjectare licet. quasi enim dedita opera nullus unquam in bello illustris evasit eorum, qui his ludis incubuerunt: quamvis in ceteris omnibus ii proficiant maxime, qui se frequenter exercent. soli tamen hi præter ceteros ad hoc voti impotes sunt: usque adeo infortunati videntur. Etenim Stesilaum hunc, quem vos mecum tanta in turba sese ostentantem contemplati estis, et mira nimium profitentem, alibi quandoque inspexi, certius revera se ipsum haud sponte intuentibus demonstrantem. Ascendit quandoque navem, et adversus ingentem navem aliam decertavit instrumentum quoddam militare tenens manibus ab aliis longe diversum, quippe cum et ipse ab aliis discrepet: habebat hic dorydrepanum, id est telifalcem. Reliqua quidem viri hujus gesta haud digna auditu sunt: hoc tamen non est silentio prætereundum, quid contigerit ex tam mira cautione hujusque viri ma-

Digitized by Google

chinamenta, qui tela falcem addidit. eo siquidem dimicante, falx navis se fulcimentis implicuit. Trahebat autem Stesilaus, ut explicaret, neque poterat: navis navem transibat. ille autem interea navem cursu comitabatur, hastam continens. Cum vero navis navem jam transiret, eumque hastam tenentem attraheret, ad extremum teli [184] manu devenit. Risus ergo ac strepitus ampla in navi concitus ob Stesilei habitum et ob id insuper, quia ad summam quis navem jacto lapide in pedes ejus coegit, ut hastam dimitteret. tunc sane et illi, qui triremi vehebantur, haud ulterius risum continere potuerunt, cum ejus falcifalcem illa navi suspensam intuerentur. Forte alicujus hæc pretii sunt, ut Nicias asserit: veramtamen ea, quibus interfui, talia quædam sunt. quamobrem, ut in principio dixi, sive disciplina hæc est, parum prodest: sive non est, sed simulant qui hanc profitentur, haud res studio digna videtur. Ita sane arbitror, si quis timidus facultatem hanc sequatur, audaciorem ob hanc effectum, clariorem fore quam fuerit. Sin autem fortis quispiam eam sectetur, observatum ab hominibus, si parum quid aberret, magnas calumnias subiturum. invidiose namque scientiam hujus professio. quocirca, nisi virtute minum in modum ceteris præstet, qui hanc sibi scientiam vindicat, vitare non potest quin ridiculus habeatur. Ejusmodi videtur mihi, Lysimache, hujus disciplinæ studium. Oportet autem, ut ab initio dicebam, summopere hunc Socratem obsecrare, ut circa propositam quæstionem sua ex sententia consulat. Ly. Rogo equidem, Socrates. etenim discrementis cujusdam sententiam consultatio hæc desiderat. nam si invicem hi convenissent, minus ejusmodi consultatione opus foret: postquam vero Laches, ut cernis, et Nicias dissident, præstat audire nunc, cujus ipse sententiæ potius suffrageris. So. Quid vero, Lysimache? hisce tu adhærebis, si plures nostrum laudabunt? Ly. Quidnam aliud quis agat, o Socrates? So. Numquid et tu, Melesia, similiter faceres? ac si de exercitatione filii consultares, num pluribus nostrum fidem præstares, an potius illi, qui sub perito exercitandi magistro didicisset, neque exercuisset? Me. Illi merito, Socrates. So. Ipsi itaque majorem fidem adhiberes uni, quam nobis quatuor. Me. Forsitan. So. Scientia enim, non multitudine, judicare oportet, quod recte est judicandum. Me. Procul dubio. So. Nonne id in primis considerandum est, si quis inter nos est peritus an in re, [185] de qua nunc deliberamus: an non? et si quis talis inveniatur, illi credendum, sententia ceterorum postposita? si nullus, alius quidam nobis investigandus? An circa exiguum quiddam nunc periculum subire censetis, ipse atque Lysimachus, potius quam circa rem quandam vestrarum possessionum omnium pretiosissimam? Filiis namque bonis vel malis effectis, universa domus paterna eodem modo gubernabitur, quo et filii affecti erunt. Me. Vera loqueris. So. Diligenter igitur huic rei invigilandum. Me. Valde. So. Quonam igitus paeto quod modo dicebam consideraviscemus, si invenire voluissemus, quis nostrum maxime in certando artificiosus evaderet? nonne cum perscrutati essemus, qui et didicit, et exercuit, cui videlicet idonei hujus rei præceptores exstiterint? Me. Ita equidem arbitror. So. An non prius etiam, quid illud sit, cujus præceptores indagaremus? Me. Qui isthuc ais? So. Sic clarius forte percipies. non videtur inter nos in principio constitisse, quid illud sit, in quo perquirimus, quis nostrum sit peritissimus, et hujus gratia præceptores habuerit, quis non. Ni. Nonne quærebamus, o Socrates, utrum oporteat discere adolescentes armis dimicare, necne? So. Ita prorsus, o Nicia. sed cum de oculorum medela quærit aliquis, adhibendane sit, an non, tunc de medela putas, an de oculis, consultari? Ni. De oculis. So. Et quando quæritur, utrum frænum equo adhibendum, necne, et quando, tunc non de fræno, sed de equo potius, consultatur? Ni. Verum. So. Ut

Digitized by Google

autem paucis comprehendam, quoties quis aliquid alicujus gratia quærit, de illo ipso consultatio est, cujus gratia aliud quæritur, non de eo quod quæritur alterius gratia. Ni. Necesse est. So. Oportet itaque consultorem examinare, utrum ad illius curationem peritus sit, cujus gratia in præsentia deliberamus. Ni. Omnino. So. An non dictum est, de disciplina perquiri, adolescentum animi gratia? Ni. Dictum. So. Ergo, si quis nostrum curandorum animorum arte polleat, valeatque eos sufficienter excolere, et præceptores eruditos habuerit, inquirendum? La. Nunquamne vidisti, o Socrates, sine præceptoribus aliquos in re quadam peritiores, quam cum præceptoribus evasisse? So. Vidi equidem, Laches: quibus ipse tamen non crederes, si se optimos artifices prædicarent, nisi opus aliquod artis illorum recte constructum [186] et unum et plura monstraverint. Ni. Verum est quod dicis. So. Nos itaque decet, o Laches et Nicia, postquam Lysimachus atque Melesias ad consultandum de filiis convocarunt, cupientes optimos illorum animos effici, si præceptores nos habuisse fatemur, eos ostendere, qui et ipsi primum optimi fuerint, et multorum adolescentum animos erudiverint, postea nos quoque docuerint. vel si quis nostrum præceptorem habuisse neget, opera sua monstrare debet, in medium que afferre, quinam Atheniensium, vel hospitum, aut servi, aut liberi, diligentia sua absque controversia boni evaserint. Sin autem neutrum ostendere possumus, ut alios consultores adeant, jubere debemus, neque in amicorum filiis depravandis id subire periculi, quo apud adolescentum domesticos accusationem maximam mereamur. Equidem, o Lysimache atque Melesia, de me ipso in primis assero, nullum hac de re mihi magistrum exstitisse, quanquam a tenera ætate semper rem hanc affectavi. verum tamen sophistis mercedem solvere non valeo, qui soli polliciti sunt bonum me et clarum efficere. ipse vero proprio ingenio artem hanc invenire etiam nunc minime possum. Quam si Nicias hic vel Laches invenit, vel didicit, haud equidem admirabor. etenim pecuniis magis abundant, ut ab aliis discere queant: et seniores sunt, ut jam invenire potuerint. Videntur autem mihi ad erudiendum sufficere. neque enim usque adeo intrepide de studiis juveni bonis vel malis statuissent, nisi putassent sufficienter hæc cognoscere. Cetera his equidem credo: quod vero dissentiant, admiratus sum. Atqui quemadmodum nuper Laches jubebat, ne me dimitteres, sed percontareris: ita nunc ego vicissim te rogo jubeoque, Lysimache, ne Lachetem Niciamque dimittas, sed ab his scisciteris, dicens eis Socratem dixisse, rem ipsam non intelligere, neque dijudicare posse, quis vestrum vera loquatur: quippe cum nec inventor harum rerum ipse fuerit, neque ab alio docente didicerit. Tu autem, Laches ac Nicia, dicite utrique nobis, quem circa juvenum educationem doctissimum conveneritis: et utrum discentes ab aliquo sciatis hæc, an ipsi potius inventores sitis. Quod si didicistis, quis utriusque magister? quive alii artis ejusdem professores? ut si minus [187] vobis ad hæc a reipublicæ negotiis superest otii, eos adeamus, persuadeamusque vel muneribus, vel gratia, vel utrisque, ut et nostrorum et vestrorum filiorum curam suscipiant, ne improbi facti majoribus suis dedecori sint. Sin autem ipsi vos hoc invenistis, adducite in medium, si quos forte alios diligentia vestra ex pravis bonos clarosque homines reddideritis. Enimvero si nunc primum docere incipitis, animadvertendum est, non Carem quendam mercede conductum, sed et vestros et amicorum filios in discrimen nos ducere: et profecto, ut habet proverbium, in vasis ipsius jactura artem figulariam experimini. Dicite itaque, quid ex his adesse et competere vobis asseritis vel negatis? Hæc tu ab illis sciscitare, Lysimache, neque eos dimittas prius, quam respondeant. Ly. Probe loqui Socrates, o viri, mihi videtur. Si ergo vobis gratum futurum est, o Nicia atque Laches, interrogantibus

Digitized by Google

respondere, ipsi videritis. mihi certe et huic Melesiæ gratum, si veliti omnia, quæ interrogat Socrates, ratione percurrere. Etenim statim a principio dixi, idcirco ad consultandum vos accersi, quod excogitata vobis hæc jam, ut decens est, arbitraremur: præsertim cum filios habeatis, ut nos, ea ferme in ætate jam constitutos, in qua de eruditione sit cogitandum. Si ergo nihil prohibet, dicite, obsecro, unaque cum Socrate hoc considerate, et reddentes, et accipientes invicem rationem. recte namque et hoc iste dicebat, de maximo quodam nostrorum omnium in præsentia nos deliberare. Videte itaque, utrum sic agendum existimetis. Ni. Videris certe mihi, Lysimache, Socratem ex patre tantum cognoscere, neque cum eo unquam consuetudinem habuisse: nisi forte, dum esset puer, patrem secutus aliquando vel in templo, vel alio populari conventu, tibi adhæserit. virum autem hunc factum, nondum, ut apparet, es allocutus. Ly. Cur, o Nicia? Ni. Ignorare videris, quod quicunque sermone, quasi genere, propinquat Socrati, illique disputans hæret, licet de alio quoquam cœperit disputare, cogitur tandem Socratis verbis adductus suæ vitæ reddere rationem, quæ sit præsentis, quæ [188] anteactæ ipsius vitæ conditio: et postquam in hæc incidit, non prius eum dimittit Socrates, quam cuncta hæc sufficienter examinaverit. Ego autem hoc familiariter usus sum, ac necessarium esse cognosco hujus ex verbis hæc perpeti, quodve nunc ipse patiar non ignoro. Delectat me admodum hujus, o Lysimache, consuetudo. neque enim obesse puto ut in memoriam reducatur, si quid non recte vel fecerimus, vel faciamus. immo vero necesse est eum qui hæc non refugit, cautiorem in posterum fieri, existimantem secundum illud Solonis tamdiu discendum, quamdiu vivit, neque sperantem senectutem ipsam mentem nobis daturam. Mihi itaque nec insuetum est, nec injucundum a Socrate hoc examinari. atqui jampridem id sciebam, sermonem nobis non de pueris præsente Socrate, sed de nobis ipsis, futurum. Quamobrem nihil prohibet, quo minus cum Socrate, utcunque vult ipse, disseram. verum considera, quo pacto ad hoc Laches afficiatur. La. Simpliciter equidem, Nicia, erga sermones afficior, immo vero, si vis, dupliciter. porro verborum studiosus videri cuipiam possem, et aliquando contra. nam quoties de virtute vel de sapientia quadam aliquem audio disputantem, revera virum dignumque sermonibus ipsis, mira quadam afficior voluptate, contemplans dicentem simul, ac dicta, quam congrua inter se et consona sint. Atque hic profecto vir musicus esse mihi videtur, harmoniam suavissimam modulatus, non lyram, neque jocularia quædam instrumenta, sed vitam revera contemperans concordia verborum et operum, concinentem secundum Doricam videlicet melodiam, non Ionicam, aut Phrygiam, aut Lydiam, sed eam certe, quæ sola Græca est harmonia. Talis itaque vir mirifice suis me verbis delectat, efficitque, ut verborum avidior esse videar; tanta attentione dicta illius accipio. Quisquis autem agit contra, meas offendit aures, et quo loqui videtur ornatius, eo efficit magis ut videar a sermonibus abhorrere. Socratis quidem verba nondum expertus sum, opera certe quandoque: mihique compertum est, hunc præclaris sermonibus, omnique libertate loquendi dignum esse. [189] Si ergo et hoc habet, cum eo plane consentio, atque libentissime ab ejusmodi viro examinabor, neque molestum mihi erit ab eo aliquid discere. Atqui et Soloni hoc adjecto concedo: quod a bonis viris dumtaxat multa senescens discere volo. Hoc igitur sit mihi concessum, ipsum præceptorem bonum esse, ne forte, dum invitus disco, indocilis esse videar. neque mihi curæ est, utrum sit præceptor junior, vel nondum opinione hominum clarus, vel aliud tale quid habeat. Tibi igitur prædico, Socrates, ut me quomodocunque vis et doceas, et redarguas, et discas quod ipse noverim. Sic certe erga te affectus sum ex eo die, quo mecum subiisti discrimen,

Digitized by Google

tusque virtutis fecisti periculum, testimonium illud perhibens, quod exhibere debet quisquis juste periculum est factutus. Dicas ergo quod jubet, nihil ætatem nostram veritus. So. Ergo incusare vos non poterimus, quasi minus ad consulendum investigandumque paratos. Lv. Sed nostrum utique opus, o Socrates, unum namque ego te nostrum reputo. Cogita itaque pro me adolescentum gratia, quod ab iis quærere nos oporteat, cumque ipsis disserendo consulta. nam mihi quidem multa excidunt e memoria ob senium ex his, quæ perquirere statuerim : atque ea rursus quæ audierim, si qui alii sermones intervenerint, non satis recolo. Quapropter vos invicem quæ proposuimus, percurrite : ego vero audiam, et cum audivero, una cum hoc Melesia quidquid statuetis, peragam. So. O Nicia atque Laches, Lysimacho Melesiæque parendum. Quæ igitur supra investigare contendimus, videlicet quinam præceptores nobis disciplinæ talis exstiterint, vel quos alios ipsi nos meliores fecerimus, forte nihil obesset inter nos ipsos examinare. verum ejusmodi quædam consideratio in idem redibit, ut arbitror, et altius repetetur. Si de aliquo forte sciremus, quod præsens alicui melius efficiat illud, cui sit præsens, atque rursus admovere illi ipsum possemus : constat quod illud ipsum cognosceremus, circa quod aliquando consilium iniremus, investigantes, quo pacto facillime quis et optime illud adipiscatur. Forte non intelligitis : verum sic facilius comprehendetis. Si sciremus, quod visus [190] oculis præsens meliores illos efficit quibus adest, rursusque possemus ipsum oculis adhibere, patet quod etiam quid ipse visus sit, cognosceremus, de quo aliquando consultandum nobis esset, qua ratione quam facillime et commodissime ipsum quis comparet. Si enim id ipsum nobis esset ignotum, quid ipse visus est, quid auditus, nunquam idonei consultores medicinæ circa oculos aureve essemus, investigantes quomodo optime quis visum auditumve recuperet. La. Vera narras, o Socrates. So. Nonne hi nos in præsentia, o Laches, elegerunt consultaturos, qua ratione virtus animis filiorum suorum adhibita, eos meliores efficiat ? La. Profecto. So. Nonne igitur constare id oportet, videlicet quid ipsa virtus sit, intelligere ? Si enim, quid virtus sit, penitus ignoremus, quo pacto consulere cuiquam poterimus, viamque optimam et facillimam ad virtutem ostendere ? La. Nullo modo, o Socrates. So. Fatemurne, Laches, quid virtus sit intelligere ? La. Fatemur certe. So. Si intelligimus, certe quid sit etiam exprimere possumus. La. Nihil prohibet. So. Haud tamen quid universa sit virtus, statim, vir optime, perquiramus. majus namque id opus. sed de parte primum aliqua videamus, utrum satis nobis pateat : atque hunc in modum facilior nobis erit investigatio. La. Utcunque placet, agamus. So. Quam itaque potissimum virtutis partem eliciemus ? an videlicet eam, ad quam ipsa armorum disciplina spectare videtur ? videtur autem multis ad fortitudinem. nonne ? La. Et maxime quidem. So. Primum ergo, quid fortitudo sit, o Laches, aperire conemur : deinde investigabimus, quo pacto ab adolescentibus, quoad exercitatione et doctrina fieri potest, comparetur. quapropter annitere, quid fortitudo sit, nobis exponere. La. Haud dictu difficile istud, o Socrates. certo scito, illum esse fortem, qui ordinem servans expugnandis hostibus instat, neque refugit. So. Bene loqueris, Laches. sed ego forsitan, cum verbis obscurioribus te rogarem, causam dedi, ut aliud responderis, quam quod interrogans ipse senserim. La. Qua ratione id ais, Socrates ? So. Explicabo, [191] si potero. Fortis utique is est, quem dicis ipse, quicunque ordinem non deserens adversus hostes pugnat. La. Hunc ipsum dico. So. Atqui et ego. Sed numquid et ille, qui non permanens, sed fugiens pugnat ? La. Quomodo fugiens ? So. Quemadmodum Scythæ dicuntur non minus fugiendo quam insequendo pugnare. unde et Homerus equos Æneæ laudans ait, ce-

Digitized by Google

ferrime hinc et illinc persequi atque fugere: Æneamque ipsum similiter ab ipsa metuendi scientia quandoque laudavit, dixitque illum esse metuendi fugiendique peritum. La. Et recte quidem, o Socrates: nam de curribus loquebatur. tu vero de Scytharum equitibus loqueris. equites sane illorum sic dimicant: armaturæ autem Græcæ periti, quemadmodum ipse dicebam. So. Præter Lacedæmones, Laches. Nempe Lacedæmones inquit in Platæis, cum scutiferis propinquassent, non sustinuisse primum illorum impetum, neque perstitisse, sed fugisse potius: postquam vero Persarum solutæ sunt acies, se convertisse, atque equitum more dimicantes in ea pugna victores evasisse. La. Vera narras. So. Merito ergo dicebam, interrogationem meam non rectam minus rectæ responsionis tuæ causam extitisse. Interrogare enim volebam, non solum de iis qui circa levem armaturam fortes sunt, sed etiam de equitibus, deque omnibus simpliciter in quovis belli genere fortibus; neque in terra dumtaxat, sed et in maritimis tempestatibus: immo etiam de his, quicunque adversus morbos, vel inopiam, vel civilia negotia fortes sunt. neque de his tantum, qui adversus dolores metusve constantes sunt, verum de illis etiam, qui contra voluptates concupiscentiasque pugnare fortiter possunt, sive persistentes, sive etiam tergiversantes. sunt namque et in hisce rebus, o Laches, fortes nonnulli. La. Et maxime quidem, o Socrates. So. Nonne omnes hi fortes sunt? verumtamen partim circa voluptates, partim circa dolores, partim circa cupiditates, partim circa timores fortitudinem possident: et qui timidi sunt, circa eadem, ut arbitror, timidi. La. Sic est omnino. So. Quid sit utrumque horum, interrogabam. Rursus itaque pro viribus exprime, quid ipsa fortitudo sit, quæ in his omnibus eadem reperitur. Nondum intelligis? La. Non satis. So. Dico autem perinde [192] ac si interrogassem, Quid est ipsa velocitas, quæ in currendo nobis adest, citharamque pulsando, et in loquendo, et in discendo, ceteris-que permultis? quam quidem possidemus, ut dictu dignum est, vel in manuum, vel pedum, vel oris vocisque, vel intelligentiæ motibus. Nonne et tu similiter dicis? La. Prorsus. So. Ergo si quis me percontaretur, O Socrates, quid esse dicis istud quod in omnibus velocitatem nominas? responderem utique, Vim brevi in tempore multa peragentem velocitatem vocare, tam circa vocem, quam cursum, ac cetera omnia. La. Recte. So. Conare igitur et tu, Laches, fortitudinem similiter definire, quænam potentia ipsa sit eadem in voluptate, doloreque, et omnibus, quibus convenire illam modo pariter dicebamus, et fortitudinem per singula nominari. La. Videtur mihi fortitudo tolerantia quædam animi esse, si quod per omnia fortitudini convenit, dicendum. So. Dicendum profecto, si nobis ipsi ad interrogata respondeamus. arbitror autem, non quamlibet tolerantiam fortitudinem te putare. quod hinc sane conjicio. hoc ferme cognosco, Laches, te pulchrum quiddam fortitudinem esse putare. La. Immo certe pulcherrimum. So. Nonne tolerantia, quam prudentia comitatur, et pulchra est et bona? La. Omnino. So. Ea vero, quam imprudentia, nonne contra damnosa ac noxia? La. Nempe. So. Pulchrumne ipse vocabis quod tale sit, damnosum ac noxium? La. Nefas istud, o Socrates. So. Non ergo tolerantiam ejuscemodi fortitudinem nuncupabis, quandoquidem haud pulchra est, cum tamen fortitudo ipsa sit pulchra. La. Vera loqueris. So. Prudens itaque tolerantia, secundum orationem tuam, est fortitudo. La. Videtur. So. Videamus ergo quænam tolerantia, et ad quid prudens, sit fortitudo: numquid ad omnia tum magna, tum parva? veluti si quis toleret, dum prudenter argentum erogat, cognoscens ex hoc sumtu se lucraturum, hunc ne fortem dices? La. Nequaquam. So. An vero si quis medicus, cum filius ejus, vel alius quivis, pulmonum anxietate gravatus, potum dari cibumque petit, toleret, neque

Digitized by Google

flectatur? [193] La. Neque tolerantiam hanc fortitudinem appellabo. So. At vero in bello tolerantem virum promtumque ad pugnam, qui prudenter singulis circumspectis prævideat, aliorum sibi fore præsidium, et adversus pauciores debilioresque suis pugnandum, loca quin etiam et præsidia habeat commodiora: virumne, inquam, tali cum providentia et apparatu tolerantem, fortiorem dices eo, qui in contrario quodam exercitu constat ac tolerat? La. Immo vero hunc qui in contrario, Socrates. So. Imprudentior tamen est hujus, quam illius alterius, tolerantia. La. Vera loqueris. So. Ergo et hominem equestri scientia præditum, et in equestri certamine tolerantem, minus fortem dices eo, qui expers hujus scientiæ tolerat? La. Mihi quidem ita videtur. So. Atqui et illum præterea, qui sciens funda jacere, arcumque intendere, vel aliud quodvis, toleret, minus fortem? La. Omnino. So. Item quicunque sine arte natandi in puteum descendentes, eo in opere tolerare ac persistere audent, vel in alio quovis opere sine arte, eos tu fortiores dices his qui sunt in eis artibus eruditi? La. Quid aliud quis dixerit, Socrates? So. Nihil, si modo ita quis putet. La. Puto equidem. So. Attamen imprudentius hi pericula subeunt, tolerantque, quam illi qui arte hæc aggrediuntur. La. Videntur. So. Nonne supra turpis ac noxia nobis audacia tolerationque imprudens apparuit? La. Maxime. So. Constitit autem fortitudinem pulchrum aliquid esse. La. Constitit plane. So. Nunc rursus concessimus turpem illam imprudentemque tolerantiam fortitudinem esse. La. Sic apparuit. So. Rectene loqui tibi videmur? La. Non mihi per Jovem, o Socrates. So. Non ergo secundum Doricam harmoniam, ut verbis tuis utar, ego ac tu modo concinimus. nam opera nobis verbis non consonant. re quidem ipsa diceret aliquis fortitudinis nos esse participes, verbis autem minime, ut arbitror, si nos in præsentia audiverit disputantes. La. Verissima narras. So. Videturne tibi pulchrum esse, ut sic affecti simus? La. Nequaquam. So. Visne sermoni quem induximus, hoc saltem credamus, pareamusque? La. Quidnam, et cui potissimum? So. Sermoni inquam, tolerare jubenti. [194] Si ergo tibi placet, et nos in hac ipsa quæstione constemus toleremusque, ne ipsa nos fortitudo derideat, quod minus fortiter ipsam investigemus, si sæpenumero tolerantia ipsa constantiaque fortitudo est. La. Ego quidem, o Socrates, sum ad perseverandum paratus, quamvis insueti mihi hi sermones sint. Sed quidam me adversus superiora contendendi instigat ardor: ac nimium ægre fero, sic usque adeo ineptus sum ad ea quæ sentio proferenda. Nempe mihi videor quid fortitudo sit, intelligere. nescio tamen, quo pacto paulo ante me subterfugerit, ut quid ipsa sit, verbis complecti nequiverim. So. Nonne bonum venatorem decet, amice, explorando discurrere, et sagaciter insequi, neque ignave desistere? La. Decet profecto. So. Vis itaque Niciam istum ad venationem hanc invitemus, si quo pacto esset nobis sagacior? La. Quidni velim? So. Age, Nicia, amicis tuis sermonum fluctu nutantibus subveni, vacillantibusque, si quam vim habes, accurre. cernis, quantum nostra deficiant, ac dubia sint. Tu ergo explicans, quid esse fortitudinem putes, ambiguitatem solve, tuamque sententiam ratione confirma. Ni. Videmini, o Socrates, mihi jamdiu non recte fortitudinem definisse. Ejus porro sententiæ, quam recte abs te inductam quandoque audivi, nullam facitis mentionem. So. Cujuanam sententiæ, Nicia? Ni. Sæpenumero ex te audivi, quemlibet ad ea bonum esse, in quibus est sapiens: ad ea malum, in quibus inscitus. So. Vera per Jovem refers, o Nicia. Ni. Nonne igitur si fortis vir bonus est, est et sapiens? So. Audis, Laches? La. Audio equidem: sed quid dicat, non satis intelligo. So. At ego mihi intelligere videor. opinor enim hunc sapientiam quandam, fortitudinem dicere. La. Quam sapientiam, Socrates? So. Nonne ab hoc istud quæris? La. Certe. So.

Digitized by Google

Age, Nicia, huic declara, qualis sapientia secundum orationem tuam sit fortitudo. neque enim tibicinaria. Ni. Non. So. Neque etiam citharistria. Ni. Neque ista. So. At vero quenam ista, et cujus rei scientia? La. Recte admodum interrogas illum, o Socrates: ideoque exponat, quam sapientiam esse dicat. Ni. Scientiam metuendarum rerum, et non metuendarum, [195] tam in bello, quam in ceteris omnibus. La. Quam absurde hic, o Socrates, loquitur! So. Quamobrem ita dicis, Laches? La. Quia diversa est a fortitudine sapientia. So. Non dicit Nicias. La. Non hercle: et idcirco delirat. So. Quin doceamus illum; omissis convicils. Ni. At cupit Laches iste, o Socrates, me tanquam nihil dicentem redargui, postquam sibi idem nuper accidit. La. Absque dubio, Nicio: idque conabor ostendere. nihil enim dicis. Nonne in morbis medici metuenda cognoscunt? an videntur tibi fortes ista cognoscere? vel tu medicos fortes vocas? Ni. Minime. La. Neque agri cultores, ut arbitror: licet hi in agris colendis, quæ sint metuenda, cognoscant. quin etiam artifices alii quæ audere decet, et quæ metuere suis in artibus, sciunt, qui nihilo magis fortes sunt. So. Quid tibi dicere Laches videtur, o Nicia? Ni. Aliquid certe dicit, non tamen verum. So. Quare? Ni. Quoniam medicos arbitratur ulterius quidquam nosse circa ægrotos, præter id quod ægrum noxiumque, vel quod sanum et salubre. ipsi vero hoc dumtaxat intelligunt. utrum vero extimescendum, malumque alicui sit esse sanum potius, quam ægrotare, censesne hoc, o Laches, medicos intelligere? an non putas præstare nonnullis ex morbo non surgere, quam convalescere? dic enim, tune asseris omnibus præstare ut vivant, nec multis conducere mortem? La. Hoc equidem potius. Ni. Quibus mori præstat eadem metuenda malaque existimas, quæ et illis quibus vivere? La. Nequaquam. Ni. Harum vero rerum judicium medico tribuis, vel alteri cuidam artifici, præterquam metuenda et non metuenda intelligenti, quem ego fortem voco? So. Advertisne, Laches, quid iste loquatur? La. Adverto equidem, quod vates fortes nuncupat. nam quis alius norit quibus mori præstet, quam vivere? Atqui, o Nicia, utrum fateris vatem esse te, vel neque vatem, neque fortem? Ni. Numquid vatis officium putas, metuenda et invadenda dignoscere? La. Puto equidem. nam cujus alterius? Ni. Ejus plane quem ipse dico, multo magis, vir optime. quippe ad vatem spectat solum futurorum portenta signaque prænoscere, sive mors cuiquam immineat, sive morbus, seu jactura rerum, vel victoria, [196] vel clades in bello, aut alio quovis certamine. Quid autem ex his cuique, aut pati, aut non pati præstet, cur vates potius, quam quivis alius, judicabit? La. Nescio quid iste sibi velit, Socrates. neque enim vatem, neque medicam, neque alium quempiam declarat, quem fortem esse dicat: nisi forte Deum quendam esse ipsum dixerit. Mihi quidem videtur Nicias ingenue fateri nolle, se nihil dicere: sursum vero deorsumque fertur, et ignorantiam suam abscondit. Enimvero et nos paulo ante, ego scilicet ac tu, Socrates, tergiversari similiter poteramus, si dissimulare voluissemus, adeo ut non videremur nobis ipsis contraria loqui. Si igitur in judicio nobis esset orandum, deceret quodammodo hoc efficere. nunc autem quid opus est in hoc cœtu frustra se verbis ornare? So. Nihil, ut mihi videtur, Laches. sed videamus, ne forte Nicias aliquid se dicere putet, neque verborum gratia ista dicat. quare ab ipso planius sciscitemur, quid sentiat: ac si quid veri afferre videtur, assentiemur; alioquin docebimus. La. Ipse, si vis, interroga, Socrates. ego enim satis percontatus sum. So. Nihil me prohibet. communis enim et mihi et tibi erit interrogatio. La. Omnino quidem. So. Dic mihi, o Nicia, immo dic nobis: (nam et mihi et Lacheti quæstio hæc est communis:) fortitudinem esse dicis metuendorum et non metuendorum scientiam? Ni. Equi-

Digitized by Google

dem. So. Hoc autem dignoscere non cujuslibet viri opus esse: postquam neque medicus neque vates hoc noscit: neque fortis est, nisi hanc ipsam scientiam sit adeptus. an non ita dicebas? Ni. Ita prorsus. So. Quare, ut proverbio fertur, Non sus hoc quævis norit, neque fortis erit. Ni. Non certe, ut mihi videtur. So. Constat utique, Nicia, quod neque Crommyoniam suem fortem fuisse credis, neque jocandi gratia hæc dico: verum arbitror, eum qui ita loquitur, nullius bruti admittere fortitudinem; neque concedere, brutum aliquod adeo sapiens esse, ut quæ perpauci homines propter difficultatem cognoscunt, ea leo, vel leopardus, vel aper aliquis noverit: sed necesse est illum, qui ita, ut tu, fortitudinem definierit, dicere, leonem, cervum, taurum ac simiam ad fortitudinem æque natura institui. [197] La. Per Deos recte loqueris, Socrates: idque nobis, o Nicia, revera declara, utrum sapientiores nobis has feras esse dicas, quas omnes fortes esse fatemur; vel contra omnium opinionem fortes esse negare audeas. Ni. Equidem, Laches, neque bruta fortia voco, neque aliud quidquam terribilia propter ignorantiam non formidans, sed intrepidum atque fatuum. An pueros omnes fortes vocare me putas, qui ob inscitiam nihil metuunt? Arbitror equidem, intrepidum non idem esse, ac forte. nam fortitudinem et providentiam in paucis admodum reperiri existimo: ferocitatem vero, audaciam, intrepiditatem absque providentia, in multis et viris, et mulieribus, pueris que, et feris. Quæ igitur et tu, et alii multi fortia nominatis, ego ferocia nuncupo: fortia vero, quæ prudenter discernunt, quæ audacia et quæ metu sint digna. La. Vides, o Socrates, quàm belle hic vir, ut putat ipse, se verbis subornat. eos autem fortitudinis munere privare contendit, quos alii omnes fortes esse consentiunt. Ni. Ergo vero nequaquam, o Laches, sed bono esto animo. Aio enim, et te et Lamachum sapientes esse, si fortes estis: et alios insuper multos Atheniensium. La. Nihil adversus hæc inferam, etiamsi quid valeam, ne me dicas revera Æxoneum quendam maledicum et detractorem esse. So. Ne dicas, o Laches. haud enim advertisse videris, hunc a Damone amico nostro ejusmodi sapientiam accepisse: Damon autem Prodici est admodum studiosus: Prodicus vero præ ceteris sophistis egregie talia quædam nomina distinguere dicitur. La. Profecto his studiis se extollere, Socrates, magis sophistam decet, quam virum publicis merito fungentem muneribus. So. Decet eum, Laches, qui res maximas gerit, maximam quoque habere prudentiam. inquirendum vero nunc censeo, ad quid potissimum significandum Nicias fortitudinis nomen instituit. La. Tu ipse perquire hæc, Socrates. So. Efficiam, vir optime, ne tamen putes ex communione te disputationis excludi, sed et tu mentem adhibe, et nobiscum dicenda considera. La. Esto ita, si tibi agendum ita videtur. So. Immo certe videtur. tu autem, Nicia, dic nobis [198] iterum a principio. scis in sermonis principio nos fortitudinem veluti quandam virtutis partem consideravisse. Ni. Equidem. So. Nonne et tu quod supra est inductum, ut partem aliquam respondisti, tanquam sint et partes aliæ, cunctæ autem virtutis nomine nuncupentur? Ni. Quidni? So. An tu easdem, quas ego, partes nominas? nam ego quidem ultra fortitudinem, temperantiam, justitiamque, et talia quædam nomino. num et ipse? Ni. Ego quoque similiter. So. Attende jam. hæc enim admittimus. De his autem, quæ metu digna et terribilia sunt, et de his quæ audacia digna sunt, deinceps consideremus, ne forte tu alia esse putes, alia quoque et nos putemus. quæ enim nos ducimus, exponemus. tu vero si dissentis, doce. Arbitramur terribilia esse, quæ metum incutiunt: audacia digna, quæ metum nullum objiciunt. metum vero inferunt non præsentia mala, non præsentia, sed quæ exspectanter. metum siquidem futuri mali exspectationem vocamus. An non et tu idem sentis,

Digitized by Google

o Laches? La. Et maxime quidem, Socrates. So. Audis, o Nicia, terribilia metuendaque futura mala nos dicere; audacia vero digna, futura bona, vel certe non mala. Tune ita de his, an aliter sentis? Ni. Ita certe. So. Horum scientiam fortitudinem vocas? Ni. Prorsus. So. Videamus præterea, utrum de hoc tertio nobiscum sentias. Ni. Quid istud? So. Dicam equidem. Mihi sane atque huic videtur, quorumcunque scientia aliqua est, non aliam scientiam esse præteritorum, ut facta sunt: aliam præsentium, ut fiunt: aliam futurorum, ut optime fieri possint: sed ejusdem scientiæ opus esse hæc omnia esse. quemadmodum circa sanum et salubre per omne tempus, non alia præter unicam medicinam scientia prospicit quæ fiunt, quæ facta sunt, quæ fient, quo pacto fiant. et circa illa quæ terra nascuntur, agricultura se similiter habet. Quin etiam in bello vos ipsi testes eritis, rem militarem subtiliter et alia omnia, et futura prospicere. neque enim subjici illam vaticinio vultis, sed præesse potius: utpote acutius quæ in bello fiunt, quæve futura sunt providentem. [199] atqui et lex ita statuit, non vatem præfecto exercitus dominari, sed præfectum exercitus vati præesse. Asseremus hæc, o Laches? La. Asseremus. So. An tu nobis consentis, o Nicia, ad eandem scientiam pertinere, eadem ut præterita, ut præsentia, ut futura sunt cognoscere? Ni. Equidem. nam ita mihi videtur, o Socrates. So. Nonne, vir optime, fortitudo scientia est metuendorum contrariorumque, ut ipse prædicas? Ni. Est utique. So. Constitit autem, ea quæ metuimus, futura mala: quæ vero audemus, futura bona esse. Ni. Plane. So. Eadem vero scientia est earundem rerum præteritarum, præsentiumque et futurarum. Ni. Vera hæc sunt. So. Non solum igitur metuendorum contrariorumque fortitudo scientia est. neque enim futura duntaxat bona malave intelligit: verum etiam præsentia præteritaque, et omnia simpliciter, ut aliæ scientiæ, prospicit. Ni. Ita videtur. So. Partem itaque tertiam fortitudinis nobis, Nicia, respondisti: quanquam nos, quid universa fortitudo sit, interrogavimus. enimvero, ut videtur in præsentia, secundum orationem tuam non modo metuendorum contrariorumque fortitudo scientia est, sed bonorum omnium atque malorum, omniumque simpliciter quomodolibet sese habentium. Sicne modo, an aliter judicas, Nicia? Ni. Ita mihi videtur, o Socrates. So. Putas, o beate vir, huic aliquam deesse virtutem, qui norit bona omnia prorsus, ut effecta sunt, fiuntque et fient: malave similiter? eumque virum indigere temperantia et justitia putas vel sanctitate, cui soli competit, ut tam circa deos, quam circa homines bona et mala prudenter intelligat; hæc devitet, porrigat illa; quandoque scit recte cum omnibus vivere? Ni. Vera loqui videris, o Socrates. So. Quod ergo abs te inductum est, Nicia, non pars virtutis, sed universa virtus est. Ni. Apparet. So. Verumtamen fortitudinem diximus partem aliquam esse virtutis. Ni. Diximus plane. So. Quod vero nunc dicitur, non apparet. Ni. Non. So. Non ergo invenimus, Nicia, quid ipsa sit fortitudo. Ni. Non videmur. La. Atqui rebar, o amice Nicia, [200] inventurum te, postquam me Socrati respondentem despiciebas. ideoque sperabam, te ex Damonis sapientia hæc nobis declaraturum. Ni. Quam belle agis, o Laches, quod nullius momenti existimas apparuisse te supra nihil de fortitudine intelligere: solum vero id curas, utrum ego quoque talis videar: neque quidquam interesse censebis, modo et ipse tecum nihil intelligam ex his rebus, quas scire debet, quisquis se magni facit. Videris ergo revera humanum quiddam agere, quod non te ipsum, sed alios respicis. Ego autem arbitror, mihi satis de superioribus esse dictum. si quid vero minus sufficienter dictum est, posthac cum Damone ipso corrigam, quem tu, cum nunquam videris, existimas deridendum: cumque aliis etiam emendabo: ac postquam omnia confirmavero, absque invidia

Digitized by Google

te docebo. nam hac maxime indigere disciplina videris. La. Sapiens quidem es, o Nicia: verumtamen Lysimacho huic et Melesiæ consulo, ut studium meum ac tuum circa filiorum eruditionem non exigant, sed Socratem hunc, ut in principio dixeram, obnixe ad hoc opus accersant. ego quoque, si mihi adulti essent filii, idem fecissem. Ni. Enimvero et ipse censeo, si modo velit Socrates curam adolescentum suscipere, alium neminem esse quærendum. nempe Niceratum huic libentissime commendarem, si ipse acciperet. verum quoties de hoc sibi verba facio, alios quosdam offert, ipse renuit. Experire ergo, Lysimache, num Socrates tibi magis obtemperet. Ly. Par est, o Nicia: quandoquidem et ipse multa vicissim erga hunc facere studerem, quæ erga alios multis non facerem. Quid ais, Socrates? moremne geres, curabisque, ut optimi adolescentes evadant? So. Durum certe id esset, Lysimache, si quis ejusmodi curam renueret. Quapropter si ego in superiori disputatione sapiens apparuissem, hi autem inscii, merito ad opus hoc ipse præcipue vocandus essem. cum vero pari in dubitatione versemur, quis nostrum potius eligatur? mihi quidem nullus præcipue eligendus esse videtur. Ceterum, cum hæc ita se habeant, videte, [201] an recte nobis consulam. Oportere, o viri, existimo, (hæc enim non efferentur) communiter omnes invicem quærere, primum quidem nobis ipsis optimum præceptorem: egemus enim: deinde adolescentibus, neque pecuniis neque aliis parcentes. ita vero vivere, ut nunc vivimus, et filios ipsos ita curare, non consulo. Si quis autem nos irriserit, quod tam grandes natu præceptoris ludum ingredi statuamus, Homeri illud objiciendum. ait enim, viro egeno verecundiam non conferre. Quamobrem spretis omnibus detractorum verbis, communem nostri adolescentumque curam suscipiamus. Ly. Placent mihi quæ loqueris, Socrates: statuoque, quo senior sum, eo studiosius una cum adolescentibus discere. Verum hæc mihi servato. cras prima luce domum venito: neque aliter facito, ut de his rebus consilium ineamus. nam hodiernus jam solvendus est cœtus. So. Efficiam quod jubes, Lysimache: et si Deus voluerit, cras ad te veniam.

Digitized by Google

CHARMIDES.

SOCRATES, CHÆREPHON, CRITIAS, CHARMIDES.

[153] Heri cum ad vesperam Potidæa ab exercitu rediissem, protinus solitæ exercitationis loca, utpote qui diu abfuissem, properans repetivi, ac Taurei palæstram, quæ e conspectu est majestatis regiæ templi, sum ingressus. ubi multos comperi partim ignotos mihi, partim notos, et quidem primos. Qui cum me ex insperato vidissent, longe congratulati sunt aliunde alius occurrentes. Chærephon præcipue, utpote natura concitatior, e medio statim prosiliens accurrit, ac manu me prehendens, O Socrates, inquit, quo pacto incolumis evasisti? nam paulo ante quam abiremus, apud Potidæam pugna commissa est, quam hi nuper audierant. At illi ego respondens, Ita, inquam, ut cernis, evasi. Nuntiatum nobis est, inquit, pugnam acerrimam extitisse, atque in ea plurimos nobis notos occubuisse. Vera, inquam, vobis nuntiata fuerunt. An tu, inquit, prælio interfuisti? Interfui. Sede hic, nobisque enarra. nondum enim aperte omnia intelleximus. His dictis, me prope Critiam Callæschri filium sedere jussit. Sedens itaque, Critiæ et aliis congratulatus sum primo: deinde quæ in belli expeditione contigerant, ut quisque requirebat (alius enim aliud appetebat) recensui. cum vero de his rebus abunde locuti essemus, rursus ego illos interrogavi, quænam esset his temporibus philosophiæ conditio, et qui essent adolescentes vel sapientia, vel indole, vel utrisque, præclari. Tunc Critias versus fores inspiciens, [154] intuitusque adolescentes quosdam ingredientes altercantesque invicem, et turbam post eos aliam, Socrates, inquit, quod de honestis percontabaris, mox cogniturus videris. nam qui nunc ingrediuntur, præcursores sunt amatoresque cujusdam, qui omnium hujus temporis honestissimus et speciosissimus judicatur. atqui videtur et ipse propemodum ingredi. Quisnam iste, et cujus filius, inquam? Nosti, inquit, quodam modo et tu. sed cum hinc abiisti, nondum adoleverat. Charmidem noveras, filium Glauconis patrui nostri, patruelem meum? Cognovi equidem. neque puer tunc contemnendus erat: nunc vero adultum esse illum jam arbitror. Statim intelliges, ait, quantus et qualis evaserit. Dum hæc ille dicit, Charmides ingreditur. Apud me quidem, o amice, nulla perpendendi discernendique facultas. profecto perinde sum erga honesta indole claros, ac album filum in lapide albo: ferme namque omnes ejusmodi homines mihi admodum placent. Præcipue vero tunc ille et corporis proceritate, et egregia indole, mirandus apparuit. ceteri autem omnes capti ejus amore videbantur: usque adeo illius ingressu obstupuerunt perturbatique sunt. multi præterea retro amatores hunc sequebantur. Et quantum ad viros attinet, nil mirum est: sed quod est mirabile, pueros etiam consideravi, quorum nullos, vel minimus quivis, alium quenquam intuebatur; immo illum ipsum cuncti, tanquam dei imaginem quandam, contemplabantur. Hic ad me conversus Chærephon, Qualis tibi adolescens videtur, o Socrates? an non speciosam præ se vul-

Digitized by Google

tus fert indolem? Mirifice, inquam. Atqui, inquit, si nudare se vellet, vultum nihili faceres, præ illa quæ latet intus forma mirabili. Eadem hæc Chærephonti ceteri etiam consenserunt. Insuperabilem hercle, inquam, virum narratis, si parum quid insuper huic adesset. Quid istud? interrogavit Critias. Si optimo, inquam, animi habitu natura decorus esset: consentaneum tamen est talem hunc esse, Critia, cum vestra ex stirpe sit genitus. Immo certe, quoad ingenium spectat, et pulcherrimus est et optimus. Quid igitur non nudamus, inquam, animum prius, interioremque decorem potius quam exteriorem speciem contemplamur? nam cum talis sit, nobiscum disserere non negabit. Volet certe, respondit Critias. nempe sapientiæ [155] studiosus est, et ut sibi ceterisque videtur, valde poëticus. Longa, inquam, serie generositatem hanc Solonis ex genere trahitis. Verum cur non mihi jam monstras adolescentem, accersens huc illum? neque enim dedecet, vel etiamsi minor natu esset, cum eo disserere, præsente te patruele ejus atque tutore. Prebe loqueris, ait. vocandus est jam. Atque his dictis, ad eum qui pone sequebatur conversus, Voca, inquit, Charmidem, dicens illi, me velle medico eum cuidam committere malæ illius valetudinis causa, de qua mecum conquestus est. Mihi ergo dixit Critias, paulo ante Charmides ab ipso solis exortu gravato se capite surrexisse conquerebatur. Quid prohibet igitur, simulare remedium aliquod contra capitis gravedinem te habere? Nihil prohibet, inquam: modo veniat. At veniet. Quod et factum est. venit enim, risumque effusiorem omnibus concitavit: nam unusquisque nostrum una sedentium, locum cedere volens Charmidi, ut prope eum sederet, proximum dedita opera in latus impulit: quo factum est, ut eorum qui utrinque sedebant novissimi, unum surgere cogeremus, alterum humi prostratum dejiceremus. ille vero accedens, me inter Critiamque assedit. Ego vero percontante illo, utrum capitis medelam scirem, vix tandem me scire respondi. Quænam ista? quæsivit. Folium quoddam, inquam. At insuper addenda est incantatio quædam, quam si quis adhibeat, folioque utatur, sanitas restituitur. absque vero incantatione folium nihil confert. Ad hæc ille: Exscribam [156] equidem hanc te dictante incantationem. Utrum si mihi persuaseris, inquam? an etiam si non persuaseris? Ille subridens ait, Si tibi persuasero, Socrates. Hem, nomen ipsum plane tu meum tenes? Teneo, equidem, nisi injurius sum. frequens enim de te inter æquales meos sermo habetur. memini quin etiam, cum puer adhuc essem, te cum Critia hoc versari solitum. Recte tu quidem. audentius enim incantationis tibi modum ostendam. paulo vero ante nesciebam, quo pacto vim illius tibi monstrarem. Est autem talis, o Charmides, ut caput solum curare nequeat: quemadmodum sæpe ex peritis medicis audivisti, qui, quoties aliquis dolore oculorum affectus eos consulit, aiunt non posse oculis mederi, nisi prius capiti medeantur, neque caput absque totius corporis medicina posse curari. Hac de causa regulis quibusdam toti conferentibus utuntur, et a toto ad partem transeunt restituendam. An non audisti, ita dicere illos, et ita esse? Prorsus. Recte loqui tibi videntur, sermonemque hunc approbas? Maxime omnium. Enimvero cum probari sibi hæc audirem, Talis est, inquam, o Charmides, incantationis quoque hujus potentia: quam didici ibidem in exercitu a quodam medicorum Thracum Zamolxidis sectatorum, qui et immortalitatem afferre dicuntur. adjecit præterea Thracius ille medicus, etiam Græcorum medicos, quæ supra narrata sunt, prædicare. Ceterum Zamolxis, ait, rex noster ac deus tradit, Quemadmodum oculos sine capite curare non decet, neque sine reliquo corpore caput: ita neque sine anima corpus. eaque causa est, cur medicos Græcos morbi corporum multi lateant, quia totum ipsum ignorant, quod in primis curare oportet: quo male affecto impossibile est,

Digitized by Google

partem aliquam bene valere. Omnia namque vel bona, vel mala, ab anima in corpus, et hominem totum manant: indeque similiter ut ex capite in oculos effluunt. Illam igitur primum, [157] et maxime curari jubet, si modo caput et universum corpus bene valere debet. Animæ vero medelas esse docet incantationes quasdam. Eas præclaris rationibus contineri, quibus animæ temperantia tribuatur: qua inserta atque præsente, facile esse sanitatem capiti totique corpori tradere. Ille igitur, cum medelam incantationesque doceret, jussit, ut nullis precibus motus alicui contra capitis dolorem remedium adhiberem, nisi prius animam incantationibus ipsis purgandam commiserit. Hunc sane nostrorum temporum errorem dicebat esse, quod plerique, absque temperantiæ sanitatisque studio, medici esse contendunt. Me itaque mirum in modum præmonuit, mandavitque, caverem, ne quis unquam dives, seu nobilis, sive pulcher, mihi, ut aliter faciam, persuadeat. Illi hoc ego jurejurando interposito confirmavi, promisique non aliter me esse facturum. quamobrem necesse est paream: tibi quoque obsequar. Nam si voles, secundum hospitis præcepta, animam tuam prius incantationibus omnibus Thracis illius subjicere, medicinam capiti admovebo: sin minus, non potero, o amice Charmides, tibi prodesse. Cum igitur hæc audisset Critias, inquit, Lucro erit gravedo hæc capitis adolescenti, si hujus causa sanitatem mentis lucrabitur. Assero autem tibi, Charmidem hunc æqualibus omnibus non specie tantum præcellere, verum etiam eo ipso præstare ceteris, cujus ipse incantationem habere dicebas. An non temperantiæ supra dixisti? Hujus ipsius, inquam. Scito igitur, omnium suæ ætatis adolescentum hunc videri temperatissimum, et in ceteris omnibus, pro ætatis incremento, nullo inferiorem esse. Consentaneum est, o Charmides, inquam, in his, quæ dixit Critias, te ceteros antecellere. neque enim referre quisquam posset, ut arbitror, duarum apud Athenienses familiarum conjugium, quo verisimilius sit pulchram honestamque prolem nasci, quam majorum tuorum conjugio. Nam paternum genus hujus Critiæ Dropidi ab Anacreonte Soloneque aliisque poëtis permultis est illustratum, decore, virtute et alia [158] felicitate præcellens. eadem quoque est materni generis gloria. nemo enim Pyrilampo avunculo tuo aut pulchrior, aut major in omni continenti visus est unquam, quoties ille vel ad regem magnum, vel ad alium in continenti habitantium, legatus accederet. ac summatim universa hæc domus nulla in re est inferior altera. Quare probabile est, te tali stirpe creatum primas partes in omnibus obtinere. Quantum igitur ad eam speciem, quæ cernitur oculis, attinet, o dulcis Glauconis fili, videris mihi nihilo a superioribus tuis degenerasse. quodsi et ad temperantiam, et ad alia, ut Critias hic testatur, natura es institutus, beatum te, o chare Charmides, mater peperit. Ergo sic se res habet. Si inest tibi, ut ait Critias, temperantia, et sufficienter es temperans, neque Zamolxidis, neque Abaridis Hyperborei incantationibus indiges: sed jam tibi medela est capitis admovenda. sin autem deest temperantia tibi, incantatio medelam antecedere debet. Responde itaque ipse mihi, utrum assentiaris Critiæ, et asseras temperantiæ te satis habere, an deesse aliquid recognoscas. Tunc ergo ipsius Charmidis genæ rubore suffusæ, gratiorem speciem ostenderunt. nam pudor eam ætatem decet. deinde admodum generose respondit: Haudquaquam facile est, quæ in præsentia quæsita sunt, vel admittere, vel renuere. Si enim me temperantem esse negavero, primo quidem turpe videbitur, quod ipse mihi derogem: deinde Critiæ hujus, aliorumque multorum, quibus temperans esse videor, tanquam falsam sententiam abrogabo. sin autem affirmavero, odiosa videbitur hæc de me ipso jactantia. quapropter quorsum me vertam, nescio. Probe loqui videris, Charmides, inquam. itaque communiter investigandum puto, utrum quod quæro

Digitized by Google

possideas, necne : ne vel tu aliter, quam velis, loqui cogaris, vel ego temere mederi festinem. Si ergo gratum tibi futurum est, cupio una tecum investigare : sin minus, dimittendum arbitror. Immo certe gratissimum, inquit, omnium. Quamobrem, ut ipse præstare putas, ita perquire. Hunc in modum, inquam, commodior indagatio futura videtur. Constat profecto, si inest [159] temperantia tibi, habere te aliquid, quod de hac opineris. necesse est enim, inhærentem ipsam tibi, si modo inhæret, aliquem sui sensum præbere, ex quo aliqua circa ipsam insurgat opinio, qua, quid et quale temperantia sit, conjectes. nonne putas? Puto equidem. Nonne hoc censes? videlicet, postquam scis loqui Græce, dicere utique possis, quidnam id tibi videtur? Fortassis. Ut ergo conjiciamus, utrum tibi insit necne temperantia, dic age, quidnam ex sententia tua temperantiam esse dicis? Piguit eum primo, neque libens ad respondendum venit. demum ita respondit, Temperantiam esse duco, decenter agere singula, et quiete per viam incedere, quiete et loqui, ac summatim quiete omnia facere : et ut brevi complectar quod quæris, quietudo quædam esse mihi videtur. Nunquid recte? inquam. ferunt sane, quietos homines temperatos esse. sed videamus, an vera loquantur. Dic igitur, nunquid pulchrum aliquid temperantia sit. Ch. Est prorsus. So. Utrum in grammatici facultate pulchrius est easdem literas cito scribere, an quiete? Ch. Cito. So. Legere autem, celeriterne, an tarde? Ch. Celeriter. So. Quin etiam pulsare citharam velociter, et promte certare pulchrius est, quam quiete ac tarde? Ch. Est ita. So. Quid vero in pugnorum brachiorumque ludis, nonne celeritas ipsa laudatur? Ch. Utique. So. Currere autem atque saltare, et ceteri corporis actus, nonne si propere et promte fiunt, ad pulchrum spectant? si ignave remisseque, ad turpe? Ch. Apparet. So. Patet ergo, quantum ad corpus attinet, non quod tardum, sed quod velox maxime, esse pulcherrimum. nonne? Ch. Omnino. So. Temperantiam vero pulchrum quid esse constitit? Ch. Constitit. So. Non ergo circa corpus quietudo, immo celeritas ad temperantiam pertinebit : si modo pulchrum quid est temperantia. Ch. Videtur. So. Docilitas vero nonnè pulchrior, quam hebetudo? Ch. Pulchrior certe. So. Est autem docilitas cito perdiscere : hebetudo vero, sero atque lente. Ch. Profecto. So. Docere alium quam ocissime nonne pulchrius, quam tarde? Ch. Procul dubio. So. Reminisci item et meminisse sero atque lente, pulchriusne, an facile atque prompte? Ch. Prompte. [160] So. Solertia vero nonne celeritas quædam animi est potius, quam tarditas? Ch. Est. So. Atqui et intelligere quæ dicuntur in grammatici citharistæque ludis, et in ceteris omnibus, non quam tardissime, sed quam ocissime, pulcherrimum est. Ch. Et hoc. So. Quin etiam in ipsis indagationibus et consultationibus animi, non qui quiete sero et vix quæsitum invenit, est laudandus, ut arbitror : sed qui brevi potius atque facillime. Ch. Vera hæc sunt. So. Ex his colligitur, o Charmides, tam in iis, quæ ad corpus, quam in iis, quæ ad animum spectant, velocia promtaque tardis et quietis pulchriora videri. Ch. Sic apparet. So. Non igitur quietudo quædam temperantia erit, neque vita quieta temperans, ut hac ratione conjicitur : quandoquidem quod temperatum est, et pulchrum debet esse. E duobus enim alterum est, aut nunquam, aut raro admodum, nobis in vita quietæ actiones pulchriores, quam veloces et vehementes, apparuerunt. quod si non pauciores quietæ actiones, quam veloces et vehementes, pulchritudine præstare reperirentur, neque hac etiam ratione conficeretur, temperantiam esse quiete agere potius, quam vehementer atque celeriter, neque in ipso incessu, neque in sermone, neque in alio quopiam : neque vita quieta, quam inquieta, decentior esset et temperantior : quippe cum in superiori sermone suppositum sit, pulchrum esse aliquid

Digitized by Google

temperantiam: pulchra vero non minus ipsa velocia, quam quieta, esse constiterint. Ch. Recte dixisse mihi videris, o Socrates. So. Rursus igitur, o Charmides, inquam, attentius te ipsum contuere, et cogita, qualem te temperantia præsens efficiat, qualisve sit ipsa, dum te talem efficit: hæc autem animadvertens omnia, bene viriliterque responde, quid esse tibi videtur. Ille protinus se ipsum collegit, ac se diligentius contemplatus, Videtur, ait, temperantia mihi verecundum quendam ruborem inducere, verecundumque hominem facere: pudoremque esse temperantiam arbitror. So. Quid ais? an non pulchrum aliquid paulo ante temperantiam esse dicebas? Ch. Dicebam equidem. So. Nonne boni homines ipsi temperati sunt? Ch. Sunt. So. An bonum putas, quod non bonos efficit? Ch. Nequaquam. So. Non solum itaque pulchrum, sed et bonum est. [161] Ch. Mihi quidem videtur. So. Non credis, recte Homerum loqui, dicentem, pudorem viro egeno bonum non esse? Ch. Credo equidem. So. Est ergo, ut apparet, pudor non bonum, ac bonum. Ch. Apparet. So. Temperantia vero bonum dumtaxat: siquidem bonos facit eos, quibus adest, malos vero nequaquam. Ch. Ita mihi, ut loqueris, esse videtur. So. Ergo temperantia pudor non erit: quandoquidem temperantia bonum est dumtaxat; pudor autem nihilo magis bonum est, quam malum. Ch. Recte quidem mihi dici hoc videtur, o Socrates. Verum attende, obsecro, quale tibi videtur quod rursus adducam. modo enim recordatus sum quod mihi traditum est a quodam, dicente, temperantiam esse, ut sua quisque agat. considera, an recte loqui videatur tibi, qui hæc dicit. So. O scelcste, ex hoc Critia istud audisti, vel alio quopiam sapientum? Ch. Videtur sane ex alio audivisse. nam ex me nunquam. Ch. Quidnam refert, Socrates, ex quo audiverim? So. Nihil profecto. non id considerandum est, quis dixerit: sed utrum vere dicatur, necne. Ch. Probe nunc loqueris. So. Recte per Jovem. mirabor tamen, si, quomodo istud se habeat, invenerimus. nam est ænigmatis cujusdam persimile. Ch. Quamobrem? So. Quia non arbitror ita sensisse illum, ut verba sonant, temperantiam scilicet esse, ut sua quilibet agat. Nihilne putas grammaticum agere, quando scribit, vel legit? Ch. Puto equidem aliquid agere. So. Videturne tibi grammaticus nomen suum tantum scribere, ac legere? vel etiam vos pueros erudire? neque enim minus inimicorum tunc nomina, quam vestra amicorumque, scribebatis. Ch. Certe non minus. So. An cum ageretis hoc, curiosiores eratis, quam decet, et a temperantiæ lege discedebatis? Ch. Minime. So. At vero non vestra agebatis tantum, si scribere ac legere agere aliquid est. Ch. Est utique. So. Præterea mederi, o amice, ædificare, texere, et cujulibet artis opus explere, agere aliquid est, an nihil? Ch. Aliquid prorsus. So. An videretur, inquam, tibi bene illa civitas instituta, in qua leges juberent, ut vestem quisque suam texat, lavetque, calceosque conficiat suos, et strigilem et vascula olearia, vel unguentaria, et supellectilia quæque: [162] aliena quidem attingat nunquam, propria vero ipsemet peragat? Ch. Nequaquam. So. Verumtamen si temperate disposita est civitas, bene instituta est: Ch. Quidni? So. Ergo temperantia non erit talia quædam agere, et hunc in modum agere sua. Ch. Non, ut apparet. So. Quare per ænigmata loquebatur, ut supra dixi, is qui prædicabat, agere sua temperantiam esse. neque enim usque adeo fatuus fuisse putandus est, ut idem ejus fuerit sensus, qui et verborum sonus. Num fatuus quispiam, o Charmides, hoc tibi tradidit? Ch. Minime omnium. immo quidam meo judicio sapientissimus. So. Omnino igitur sententiam suam obscuris verbis involvit, ut arduum cognitu sit, quid est agere sua. Ch. Forte. So. Potesne aperire nobis, agere sua quid sit? Ch. Ignoro equidem. Forte etiam qui hæc dixit, quid sibi vellet, non satis intellige-

Digitized by Google

bat. Dum ita loqueretur, subrisit Charmides, Critiamque aspexit. Critias autem, licet ante ad disserendum adversus Charmidem aliosque cupiditate gloriæ instigatus, se hactenus continuerat, sed ulterius ad hæc se continere non potuit : visumque est mihi verum esse, quod fueram suspicatus, illam scilicet de temperantia superiorem sententiam a Critia Charmidem accepisse. Quare Charmides nolens ipse responsum tutari, et hunc in Critiam laborem rejicere cupiens, eum quasi redargutum ostendit : quod ille minime toleravit, imo adversus eum haud secus indignatus fuisse videtur, ac poëta adversus histrionem inepte sua poëmata recensentem. Ideoque illum intuitus, Itane putas, Charmides, si tu nequaquam intelligis, quis ejus fuerit sensus, qui agere sua temperantiam esse asseruit, neque ipsum etiam intelligere ? O vir optime, inquam, nihil mirum est, hunc adolescentulum non intelligere. te vero decens est hæc cognoscere, et ætatis, et studii causa. Si ergo confirmas et ipse, temperantiam esse quod hic dixit, sermonemque hunc suscipis, libentius tecum, utrum id verum sit, necne, indagabo. Cri. Confirmo equidem et suscipio. So. Recte agis. dic, obsecro, Utrum quæ paulo ante quærebam, admittis, artifices videlicet omnes aliquid facere ? Cri. Equidem. So. Videntur tibi sua tantum, [163] an aliena insuper facere ? Cri. Aliena quoque. So. Temperanter agunt itaque, qui non sua tantum faciunt ? Cri. Quid prohibet ? So. Quod ad me spectat, nihil : sed vide, ne quid apud eum prohibeat, qui cum supposuerit, temperantiam esse agere sua, deinde tamen ait nihil obstare, quin et illi, qui aliena agunt, temperati sint. Cri. Concessi equidem, eos, qui aliena agunt, temperatos esse : an et eos, qui faciunt, est concessum ? So. Dic mihi, Critia, non idem vocas agere atque facere ? Cri. Non certe : neque idem operari ac facere. nam id ab Hesiodo didici, qui ait, Opus nullum turpe esse. An censes, ipsum, si talia quædam opera nominasset, operarique et agere, qualia tu supra narrabas, fuisse dicturum, opus nullum cuiquam turpe, seu coria incidenti, seu cauponi condimenta obsoniaque vendenti, sive in taberna sedenti ? Haud ita censendum, o Socrates. immo vero ille, meo quidem judicio, effectionem aliud quam actionem et operationem existimavit : et effectionem quidem interdum opprobrio esse, quando quid præter honestum facimus, opus autem nullum unquam dedecori nobis contingere. quæ enim honeste et utiliter fiunt, opera nuncupavit ; operationesque et actiones, effectiones quasdam hujusmodi. Existimandum præterea, illum sola hæc propria esse censere : noxia vero omnia, penitus aliena. Quamobrem arbitrari oportet, et Hesiodum, et alium unumquemque sanæ mentis virum, hominem ita sua agentem, temperatum vocare. So. O Critia, cum primum loqui coepisti, percepi, te propria et sua cujusque, bona dicere, bonorumque effectiones, actiones denominare. etenim persæpe Prodicum audivi, hunc in modum nomina distinguentem. Concedo equidem tibi pro arbitrio nominibus uti : modo id declares, quid nomine quoque significare velis. Nunc igitur iterum a principio clarius definito, utrum bonorum actionem, vel effectionem, vel quomodocunque velis aliter nominare, temperantiam esse dicas. Cri. Hoc ipsum equidem. So. Non ergo temperanter agit, qui mala, sed qui bona potius agit. Cri. Tibi vero, o bone vir, nonne id videtur ? So. Mitte istud in præsentia. nondum quod mihi videtur, verum quod ipse dicis, consideramus. Cri. Enimvero nunquam temperate illum agere prædicarem, qui non bona, sed mala, agat. nam [164] actionem ipsam bonorum temperantiam esse manifeste definio. So. Forte nihil prohibet, quin vere loquaris. hoc tamen admiror, si homines temperate agentes ignorare putas, quod temperate agant. Cri. Nequaquam puto. So. An non paulo ante abs te dictum est, quod nihil artifices prohibet, aliena etiam facientes, temperanter vivere ? Cri. Dictum profecto : sed quid tum

Digitized by Google

postea? So. Nihil aliud. verum dic, utrum medicus tibi aliquis videatur, dum sanum efficit aliquem, utilia sibi, et illi, quem curat, efficere? Cri. Mihi quidem. So. Nonne agit decentia, quisquis hæc agit? Cri. Certe. So. Qui vero agit decentia, nonne et temperate? Cri. Et temperate. So. Nunquid medicum necesse est intelligere, quando curat utiliter, et quando non? et unumquemque artificem, quando conducturum sibi est opus ipsum quod efficit, et quando non conducturum? Cri. Forte non. So. Quandoque igitur, cum medicus utiliter operatus est vel contra, se ipsum non cognoscit, ut operatus est: si tamen utiliter operatus est, ut ipse fatebaris, et temperate. an non ita dicebas? Cri. Equidem. So. Ergo nonne, ut apparet, interdum utiliter operatus, agit quidem temperate, et temperatus est, ipse vero se ignorat, quod temperate agat, sitque temperans? Cri. Fieri hoc non potest, o Socrates. Verum, si quid est in superioribus dictum, unde hoc sequatur, illud libentius retractabo: neque me pudebit fateri, aliquid aliud non recte dixisse, potius quam consentire, ut qui se ipsum ignorat, sit temperatus. ferme namque hoc ipsum temperantiam esse arbitror, se ipsum cognoscere: illique assentior, qui præceptum hoc templo Apollinis ipsius inscripsit. Atqui videtur hæc inscriptio tanquam dei salutatio quædam ad homines, qui templum ingrediuntur, loco ejus, quæ gaudere jubet: quasi non probe dicatur, gaude, neque jubere hoc invicem deceat, sed temperate potius vivere. Ita homines templum ingredientes singulari sententia deus alloquitur, aliterque quam homines nos salutat, ut sensit ille, meo judicio, qui inscripsit; et ingredienti nihil præcipit aliud, quam vivere temperate. Verum obscuris hoc præceptum verbis, tanquam vates, interserit. quippe Cognosce te ipsum, idem est, quod Temperate vive, ut literæ testantur, egoque interpretor. [165] forte vero aliud esse putabit quispiam: quod quidem contigisse illis, qui sequentia imposuerunt, existimo, hoc est, Nihil nimis, et Sponsioni non deesse jacturam. Nam illi quidem, Cognosce te ipsum, consilium quoddam esse putarunt, non dei ipsius ad eos, qui ingrediuntur, admonitionem. Deinde et ut ipsi nihilo deteriora consulerent, reliqua insuper adjecerunt. quorsum ego hæc omnia, Socrates? quia superiora omnia absque controversia tibi concedam. forte namque rectius de illis aliquid ipse dixisti, forsitan et aliquid ego. nihil vero ex iis, quæ diximus, manifestum. deinceps autem rationem hujus tibi reddere volo, si non concesseris, temperantiam esse se ipsum cognoscere. So. O Critia, quasi ego asseram me cognoscere, quæ interrogo, sic agis mecum: offerasque mihi te, si voluero, concesserum. Hoc autem non ita. quanto enim tecum semper de eo, quod in medium est inductum, idcirco quia illud ignoro. volo itaque nunc discussione aliqua interposita aperire tibi porro, utrum concedam, necne. siste igitur et attende, quoad ista considerem. Cri. Considera. So. Ecce considero. Si temperantia cognoscere aliquid est, constat, eam scientiam aliquam et alicujus esse. nonne? Cri. Est utique, sui ipsius videlicet. So. Nonne et medicina est scientia sani? Cri. Prorsus. So. Si ergo tu quæreres, Medicina, cum sit sani scientia, quid nobis confert? quidve efficit? responderem utique, prodesse quam maxime. sanitatem porro, pulchrum opus, nobis perficit. Accipis hoc? Cri. Accipio equidem. So. Ac si interrogares iterum, architectura, cum sit ædificandi scientia, quoddam opus molitur, domos utique responderem. et eadem de cæteris artibus ratione responsum darem. Postquam igitur temperantiam sui ipsius scientiam esse dicis, tu interest respondere, si quis hunc in modum requirat: O Critia, temperantia, quæ sui ipsius scientia est, quodnam pulchrum opus nobis efficit, æstimationeque dignum? dicas, amabo. Cri. Non recte interrogas, Socrates. neque enim aliarum scientiarum hæc est similis, neque aliarum alia. tu vero, perinde ac si similes

Digitized by Google

essent, interrogas. Nam dic, obsecro, Computatricis geometricæque scientiæ quidnam tale opus est, quale est domus architecturæ, et textoriæ vestis, aliaque permulta ejuscemodi opera, quæ multis artibus quisque tribuere posset? potesne [166] mihi tu harum ejusmodi aliquod opus ostendere? at non poteris. So. Vera loqueris. hoc tamen tibi monstrare possum, cujus scientia sit harum scientiarum quælibet, quod aliud est quam scientia quæque: quemadmodum computandi peritia paris et imparis multitudinis scientia est, quo pacto ad se, et invicem habeant. an non? Cri. Profecto. So. Nonne aliud est par et impar, quam ipsa computandi scientia? Cri. Est. So. Quin etiam ponderandi facultas, gravioris leviorisque ponderis libratio est. grave autem ipsum et leve aliud quiddam est, quam ars ipsa librandi. assentiris? Cri. Assentior. So. Dic itaque, temperantia cujus potissimum scientia est, quod sit aliud quam temperantia ipsa? Cri. Hoc profecto, quod modo quæris, illud ipsum est, quo temperantia ab aliis omnibus scientiis differt. tu vero similitudinem aliquam hujus ad alias exigis. sed aliter se res habet. nempe ceteræ omnes alterius cujusdam scientiæ sunt, sui ipsarum minime. Sola hæc et aliarum scientiarum, et sui ipsius scientia est. Permultum abest, ut hæc ignores. verum arbitror, te, quod paulo ante negabas, efficere. nam me refellere tentas, et illud, de quo sermo est, prætermittis. So. Quid agis? an putas, si te redarguero, alterius gratia me id facturum, quam cujus me ipsum gratia examinarem, si quid dicam, metuens, ne dum scire puto quod nescio, mea me ignorantia lateat? Et nunc quidem id summopere me facere assero, disserere videlicet et examinare sermonem mei ipsius gratia primum, forte etiam meorum familiarium causa. An non commune bonum esse hoc omnibus hominibus arbitraris, ut rei cujusque conditio omnibus innotescat? Cri. Maxime quidem, o Socrates. So. Audacter itaque, o beate, ut tua fert opinio ad interrogata respondens, ne cures, Critiasne sit, an Socrates, qui redarguitur: sed ad ipsum sermonem attende, quonam redargutus evadat. Cri. Sic efficiam, nam probe loqui videris. So. Repete quod de temperantia dicis. Cri. Aio equidem, ex omnibus aliis scientiis hanc solam, et sui ipsius, et reliquarum scientiarum esse scientiam. So. Nonne et insciliæ scientia est, si quidem et scientiæ? Cri. Omnino. So. Solus itaque temperans se ipsum noscet, [167] examinareque poterit, quid cognoscit, quidve ignoret: judicare insuper ex aliis hominibus, quod quisque novit, et nosse putat, si quidem novit: quodve ignorat ipse, et nosse putat: aliorum autem nullus hoc poterit. atque hoc est esse temperatum, et temperantia, seipsumque cognoscere, intelligere scilicet, quæ novit, quæve non novit. Suntne hæc quæ dicis? Cri. Sunt. So. Rursus igitur tertium, ut dicitur, Jovi liberatori tribuentes a principio hæc consideremus. Principio, utrum fieri hoc possit, necne, ut quæ quisque novit, et quæ non novit, nosse et item non nosse cognoscat. Deinde, si id fieri possit, quænam intelligentibus sit futura utilitas. Cri. Inquirendum certe. So. Animadverte, Critia, num in his certi quidquam habeas: ego enim nihil. et qua in re dubito, si voles, aperiam. Cri. Immo volo. So. Sequentur hæc, si stabit, quod ipse modo dicebas: Una quædam videlicet scientia, quæ nullius alterius, quam sui ipsius, aliarumque scientiarum scientia sit: atque inscitiæ rursus scientia eadem. Cri. Prorsus. So. Vide, amice, quam absurdus noster hic sermo. enimvero si hoc idem in aliis quibusdam consideraveris, ut arbitror, impossibile tibi videbitur. Cri. Qua ratione, et ubi? So. Hic plane. cogita, utrum videatur tibi visus quidam esse, qui non sit earum rerum visus, quarum ceteræ visiones: sui ipsius autem et ceterarum visionum, et item non visionis sit visio: neque colorem videat ullum, cum visio sit, se ipsam vero dumtaxat et alias visiones inspiciat. videturne visio tibi ulla talis esse?

Digitized by Google

Cri. Nulla. So. Num et vim aliquam audiendi reperire posse confidis, quæ vocem audiat nullam, se ipsam vero et auditus alios, et non auditus percipiat? Cri. Neque istud possibile. So. Generatim sensus omnes percurre, consideraque, utrum sensus inveniri aliquis possit, qui se ipsum, ceterosque sensus percipiat: nihil tamen eorum sentiat, quæ sensus alii sentiunt. Cri. Impossibile et hoc existimo. So. An forte cupidinem aliquam esse censes, quæ voluptatem affectet nullam, sui ipsius autem et reliquarum libidinum sit cupiditas? Cri. Nequaquam. So. Neque voluntatem, ut arbitror, quæ bonum nullum exoptet, se ipsam vero et ceteras voluntates expetat. Cri. Minime. So. Amorem quin etiam aliquem talem esse dices, ut pulchri nullius sit amor, immo sui ipsius, ceterorumque amorum sit ardor? Cri. Non equidem. So. Timoremne aliquem excogitasti unquam, qui se ipsum [168] et metus alios expavescat, terribile vero et periculosum nihil exhorreat? Cri. Nunquam prorsus. So. Opinionem præterea talem, ut opinionum aliarum et sui ipsius opinio sit, nihil autem eorum, quæ opiniones aliæ suspicantur, opinetur ipsa? Cri. Nullo modo. So. Veruntamen scientiam quandam ejusmodi diximus, quæ dogmatis nullius scientia est, sui ipsius autem et aliarum scientiarum scientia. Cri. Diximus certe. So. An non mirum quiddam, si est? nondum porro esse negandum, sed utrum sit considerandum. Cri. Scite loqueris. So. Dic jam, Estne scientia hæc alicujus scientia? habetque vim quandam hujusmodi, qua alicujus sit? Cri. Prorsus. So. Item majusne dicimus eam vim habere, qua aliquo majus sit? Cri. Habet nimirum. So. Nonne minori aliquo majus, si majus erit? Cri. Necessarium est. So. Si majus quippiam reperiremus, quod majoribus aliis et se ipso majus exsisteret, neque tamen majus esset aliquo eorum, quibus cetera sunt majora, omnino sibi hoc conveniret, ut sicut majus est se ipso, ita sit et minus? Cri. Necessarium est, o Socrates. So. Quin etiam si duplum sit aliquid ad alia dupla, et ad se ipsum, certe ad se ipsum dimidium erit duplum, et ad alia dimidia duplum. nempe quidquid duplum est, non alterius est, quam dimidii, duplum. Cri. Verum est. So. Præterea quod se ipso plus est, nonne et paucius? et quod gravius, item levius? quodve senius, etiam junius? et in ceteris omnibus eodem modo, quidquid sui ipsius potentiam ad se ipsum habet, nonne et illam habebit essentiam, ad quam est ejus potentia? Dico autem tale aliquid. Auditum nullius alterius dicimus esse, quam vocis, auditum? Cri. Profecto. So. An non, si se ipsum audiet, vocem se habentem audiet? Neque enim aliter posset audire. Cri. Necessario sequitur. So. Visus quoque, o vir optime, si se ipsum videbit, necesse erit, eum aliquem colorem habere. nam absque colore visus cernere nihil potest. Cri. Nihil sane. So. Vides, o Critia, ea, quæ narravimus, partim impossibilia esse, partim incredibilia, quæ vim suam habeant ad se ipsa. quod enim magnitudo et multitudo, ac cetera hujus generis, vim suam habeant ad se ipsa, penitus impossibile. nonne? Cri. Sic est omnino. So. Quod vero visus et auditus se ipsos percipiant, motus se moveat, et se caliditas calefaciat, et cetera talia, a quibusdam non creditur, [169] nonnullis forte credendum videtur. Magno quodam viro opus est, o amice, qui satis per omnia id distinguat, utrum nihil omnino vim suam ad se ipsum habere valeat, præter scientiam, sed ad aliud: an queant alia, alia nequeant: et si aliqua sint, quæ ad se ipsa vim habeant, utrum eorum in numero hæc scientia sit, quam temperantiam nominamus. equidem sufficere me ad hæc discernenda, nequaquam confido. Quocirca neque asserere possum, utrum fieri possit, ut scientiæ scientia sit. quod etsi detur, non prius tamen assentiar, esse hujusmodi temperantiam, quam investigavero, utrum prosit quidquam nobis temperantia talis exsistens, vel nil prosit. Temperantiam enim conferens

Digitized by Google

quiddam ac bonum esse vaticinor. Tu igitur, Callaschri fili, quandoquidem temperantiam ponis scientiæ inscitiæque scientiam, ostende primum, possibile hoc esse quod supra dicebam: postea, præter id quod possibile, esse et conferens: atque ita mihi circa temperantiæ ipsius definitionem forsitan satisfeceris. Critias vero cum hæc audiret, meque dubitantem videret, eorum more, qui coram oscitantes intriti oscitant, ipse quidem visus est hæsitante me similiter hæsitare. Sed, utpote gloriosus, præsentes veritus est, neque confiteri voluit, se ad ea discernenda, quæ obtuleram, non sufficere, neque aperte quidquam protulit, suamque ambiguitatem occuluit. At ego, ut disputatio nostra procederet, Si tibi, inquam, videtur, o Critia, dabimus nunc, scientiæ scientiam esse posse. utrum vero possit, necne, alias indagabimus. Verumtamen, si quam maxime id possibile sit, qui magis possibile est cognoscere, quæ novit aliquis, et quæ non novit? hoc utique esse diximus se ipsum cognoscere, temperatumque esse. Nonne? Cri. Maxime: ac sequitur quodammodo, Socrates. nam si quis eam habet scientiam, quæ se ipsam cognoscit, talis et ipse fit, quale id est, quod habet: quemadmodum cum velocitatem habet quis, velox: et quando pulchritudinem, pulcher: et quando cognitionem, cognoscens. quare cum cognitionem ipsam sui ipsius quis habet, se ipsum tunc cognoscens efficitur. So. Haudquaquam id ambigo, quin si quis in se ipso habet aliquid esse cognoscens, ipse quoque se noverit: sed quænam necessitas cogit hominem sic affectum, quæ novit, [170] quæve non novit, cognoscere? Cri. Hæc videlicet, quia idem est hoc et illud. So. Forte sic est: sed ego semper similis esse videor. neque rursus intellige, quomodo idem sit, quæ novit cognoscere, et cognoscere quæ non novit. Cri. Qui istuc ais? So. Ita. scientia ipsa scientiæ existens, numquid ultra discernere poterit, quam quod ex his hoc quidem scientia est, illud inscitia? Cri. Non ultra, sed eatenus. So. Idem est igitur scientia et inscitia sani, atque item scientia et inscitia justi? Cri. Nullo pacto. So. At vero hoc quidem medicina, hoc autem civilis peritia: hoc nihil aliud, quam scientia. Cri. Quidni? So. Nisi quis noverit sanum insuper ac justum, sed solam scientiam, utpote hujus solius scientiam habens, quod quidem scit, quodve scientiam quandam habet, agnoscet tam circa se ipsum, quam circa alios. nonne? Quid vero cognoscat hæc scientia, quænam ratione intelliget? cognoscit enim sanum et salubre medicina, non temperantia: harmonicum musica, non temperantia: ædificium architectura, non temperantia: et similiter omnia. nonne? Cri. Apparet. So. Temperantia vero, si scientiarum scientia est duntaxat, quo modo intelliget, quod sanum salubreque cognoscit, vel quod ædificium? Cri. Nullo. So. Non ergo intelliget, quid cognoscat, hoc ignorans, sed quia cognoscat tantum. Cri. Videtur. So. Non igitur temperatum esse erit hoc, neque temperantia, intelligere quæ novit, quæve non novit: sed, ut videtur, quia novit, et quia non novit, solum. Cri. Apparet. So. Neque poterit etiam hic alium examinare, alicujus scientiam profitentem, utrum sciat quod pollicetur, an nesciat. immo hoc solum, ut videtur, agnoscet, quod scientiam quandam habet: cujus autem rei scientiam, temperantia non ostendet. Cri. Non videtur. So. Neque igitur simulantem medicum a vero discernet: neque alium quempiam scientem a nescio. Sic autem consideremus. si temperatus, aut alius quivis, dijudicaturus est verum et falsum medicum, an non sic faciet? de medendi quidem arte cum illo nihil disseret. nihil enim aliud, ut dicebamus, intelligit medicus, quam sanum atque ægrotum, salubreque et noxium. an non ita? Cri. Ita prorsus. So. De scientia porro nihil novit: hoc enim soli tribuimus temperantiæ. Cri. Sic est. So. Neque de medicina igitur medicus quidquam novit: quandoquidem [171]

Digitized by Google

medicinæ scientia quædam est. Cri. Vera loqueris. So. Quod quidem scientiam aliquam habet, temperatus agnoscet: sed alias quispiam medici peritiam considerabit, quænam quorumve sit. quod quidem tunc patet, cum scitur, quarum sit rerum scientia. An non scientia quæque determinata est, haud hoc tantum, quod scientia est, sed quæ scientia? et quæ scientia sit cognoscitur, his cognitis, quorum scientia est? Cri. Sic prorsus. So. Medicinæ scientia ab aliis scientiis eo distincta est, quod salubris est insalubrisque peritia? Cri. Nempe. So. An non in his considerare debet, quisquis medicinam consideraturus accedit, in quibus videlicet ipsa versatur? neque enim in extraneis, in quibus non est, quærenda videtur. Cri. Non certe. So. In salubribus itaque, eorumque contrariis, medicum considerabit, in quantam medicum, quicunque recte hanc perscrutabitur. Cri. Videtur. So. Nonne in his ita vel dictis vel factis animadverteret, quæ vere dicantur, et quæ recte agantur? Cri. Necessarium est. So. An poterit ullus absque medicinæ peritia hæc conjicere? Cri. Nullus. So. Neque alius, ut videtur, præter medicum: neque temperans igitur. nam præter id quod temperans esset et medicus. Cri. Vera hæc sunt. So. Omnino igitur temperantia, si scientiæ inscitiæve scientia est, neque discernere medicum poterit medendi peritum, itemque, medicinæ peritiam simulantem, vel sese habere putantem: neque alium quenquam eorum, qui aliquid sciant, præterquam hominem artis ejusdem professorem, quemadmodum artifices alii. Cri. Sic apparet. So. Quænam nobis ulterius, o Critia, a temperantia, cum talis sit, est proventura utilitas? Si enim, quod in principio supposuimus, cognosceret temperans quæ novit, quæve non novit: illa quidem quod noscit, hæc vero quod ignorat: et alium sic affectum dijudicare posset: emolumentum ingens temperantia præditi reperiremus. quippe sine errore vitam ageremus, et nos, quicunque temperantiæ participes, et ceteri omnes, quicunque nostro imperio regerentur. Neque enim nos quæ ignoramus, agere aggrederemur, sed scientes homines perscrutati illis utique cederemus: neque aliis nostræ gubernationi subjectis agere concederemus aliud quidquam, nisi quod aggressi recte forent acturi, id est autem, cujus haberent scientiam. Atque ita per temperantiam et domus instituta recte gubernaretur et disposita civitas optime regeretur, et aliud unumquodque, cui temperantia ipsa præesset. nam errore sublato, [172] rectitudineque ducente in singulis actionibus, necesse est, ita vivos instructos honeste atque bene agere: bene autem agentes beatos esse. An non sic, o Critia, de temperantia dicebamus, dicentes, quantum bonum sit nosse quæ novit aliquis, et quæ non novit? Cri. Ita prorsus. So. Nunc autem vides, nullam scientiam talem esse nobis apparuisse. Cri. Video equidem. So. Nunquid bonum hoc continet eo, quam nunc invenimus temperantiam esse, scilicet et scientiam et inscitiam scire: quod, quidquid discendum tentabit, qui hac armatus est, facilius perdiscet, clariusque omnia illi se offerent, utpote circa omnia quæ discenda sunt, scientiam ipsam prospicienti: aliosque melius in his rebus examinabit, quæ ipse discet? Qui autem absque hoc examinabunt, imbecillius et ineptius facient? An ejusmodi quædam sunt, o amice, quæ nobis temperantia confert? nos autem majus quiddam excogitamus, idque majus quam sit, esse requirimus? Cri. Forte sic est. So. Fortasse ita. fortassis etiam nonnihil conferens indagavimus. quod quidem inde conjecto, quia absurda quædam sequi videntur circa temperantiam, si ipsa sit talis. Videamus ergo, si placet, concedentes fieri posse, ut constet scientiam sciri: quodque in principio posuimus, temperantiam videlicet esse, cognoscere quæ novit aliquis, vel non novit, ne subtrahamus, sed demus potius: hisque concessis, diligentius etiam investigemus, utrum in præsentia nos juvet, si talis existat. quæ

Digitized by Google

enim dicebamus modo, quod ingens quoddam nobis esset temperantia bonum, si talis esset, regens dispensationem aliquam, domumque et civitatem, haud recte, o Critia, concessisse videmur. Cri. Quamobrem? So. Quoniam facile nimium asseruimus, bonum ingens fore hominibus, si nostrum singuli, quæ quidem cognoscunt, egerint: quæ vero ignorant, scientibus aliis quibusdam commiserint. Cri. Nonne recte hæc asserta sunt? So. Non, ut mihi videtur. Cri. Absurda revera loqueris, Socrates. So. Per Canem, ita in præsentia mihi videtur. et nuper animadvertens inquam absurda quædam occurrere, meque timere, ne minus recte consideraremus. revera enim, si talis est temperantia, haud sane [173] video quid nobis afferat boni. Cri. Qua ratione dicas; ut et nos, quid sentias, cognoscamus. So. Nugaturum quidem me arbitror. necesse tamen, quod occurrit, considerare: neque frustra ac temere præterire, si quis ipsius quoquo modo habet curam. Cri. Scite loqueris. So. Audi jam meum somnium, sive per cornu, seu per ebur emerserit. Si enim nobis quam maxime dominaretur temperantia, talis exsistens, qualem modo describimus, utique secundum scientias ageret: neque aliquis gubernatorem esse se jactans, cum minime sit, nos falleret: neque medicus, neque dux exercitus, neque alius ullus scientiæ falsus professor nos effugeret. His hunc in modum dispositis, aliud quiddam nobis contingeret: nam melius, quam nunc, corporibus valeremus, et in maritimis militaribusque periculis tutiores evaderemus: vasa item et instrumenta, vestes, calceos, universam denique supellectilem ex arte magis commodiusque institutam possideremus, ex eo quod veris artificibus uteremur. Concedamus quoque, si vis, vaticinium futuri scientiam esse: et temperantiam illi præsidentem vanos ostentatores vitare, veros autem vates ad futurorum prædictionem eligere. Ita profecto genus hominum institutum, quod scite ageret viveretque, assentior. Nam custos vitæ hominum temperantia nunquam subrepere inscitiam, et viribus uti suis, permitteret. Quod autem secundum scientiam agentes, bene ageremus, essemusque beati, nondum percipere possum, o amice Critia. Cri. Haud facile alium bene agendi finem perfectionemque reperies, si actionem secundum scientiam spreveris. So. Paulo ulterius explica secundum quam scientiam. num secundum scientiam coriariam? Cri. Non per Jovem. So. An forte ærariam fabricam? Cri. Neque istam. So. Num secundum lanificium, artificiumque lignorum, aut quiddam hujusmodi? Cri. Neque istud. So. Haud ulterius itaque eo in sermone standum videtur, quo asserebatur, beatum esse illum qui secundum scientiam viveret. nam hi secundum scientiam viventes, beate vivere abs te minime affirmantur. At forte e multis inscienter viventibus unum quendam certa ex scientia scienter viventem beatum determinas: ac forsitan dicis, quem ego paulo ante dicebam, vatem futurorum omnium [174] præscium. Huncne, an alium inquis? Cri. Et hunc et alium. So. Quem? Numquid eum hominem, qui non futura solum, verum etiam præterita præsentiaque cognoscat, nihilque ignoret? Fingamus ejusmodi aliquem. hoc tu neminem alium magis e scientia vivere dicas, ut arbitror. Cri. Neminem prorsus. So. Hoc item addatur: Quænam scientiarum potissimum beatum facit? num similiter cunctæ? Cri. Non similiter. So. Verum qualis maxime? illa qua quis novit præsens, præteritum atque futurum? Numquid ea, qua talis ludere? Cri. Quid talos memoras? So. An forte, qua computare? Cri. Nequaquam. So. Num, qua salubria? Cri. Hæc quidem magis. So. Illa vero quam dico maxime, qua quid norim? Cri. Qua bonum ac malum. So. O sceleste, jamdiu me clam circulo quodam reflectis retrahisque ad id, ut beatum vivere non sit secundum universas scientias vivere, immo secundum unam quandam boni malive scientiam. Porro si velis, o Critia, ex

Digitized by Google

aliis scientiis hanc excipere, minus et ipsa medicina sanos efficiet? et coriaria calceos minus suppeditabit? minusque textoria vestes? gubernatoria maritima pericula, militaris belli discrimina declinabit, servabitque minus? Cri. Nihil minus. So. At vero, o amice Critia, sublata hac ipsa scientia, boni scilicet, atque mali, nihil horum bene utiliterve agetur. Cri. Vera loqueris. So. Haud hæc, ut videtur, temperantia est, sed ea cujus opus est nobis prodesse. non enim scientiarum et inscitiarum scientia est, sed boni malive cognitio. quocirca si utilis nobis est temperantia, ad aliud quiddam confert. Cri. An non prodest et hæc? nempe si scientiarum scientia est temperantia, ceterisque scientiis præsidet, huic quoque scientiæ bonum malumve discernenti similiter imperans, nobis proderit. So. Nunquid bonam corporis valetudinem præstabit hæc potius, quam medicina? ceteraque artium aliarum opera hæc efficiet, artifices autem singuli a propriis cessabunt operibus? an non jampridem inter nos constitit, temperantiam esse scientiæ inscitiæve scientiam, nec ullius alterius facultatem? an non ita? Cri. Ita prorsus apparet. So. Non ergo erit opifex sanitatis. Cri. Non. So. Alterius enim artis opus est [175] sanitas. Cri. Alterius certe. So. Neque utilitatis igitur, o amice. Nam alteri hoc opus arti paulo ante tribuimus. nonne? Cri. Maxime. So. Quo pacto itaque utilis nobis temperantia erit, cum utilitatis nullius sit artifex? Cri. Nullo modo videtur, o Socrates. So. Videsne, Critia, me supra non injuria timuisse, neque ipsum culpasse, quod nihil magnum et utile de temperantia saperem? nunquam enim quod omnium habetur pulcherrimum, hoc nobis apparuisset inutile, si quo pacto ad recte inquirendum ipse utilis essem. Nunc autem passim succumbimus, neque invenire valemus, ad quid potissimum significandum temperantiæ nomen instituit ipse nominum auctor: quanquam multa concessimus a ratione tamen penitus abhorrentia. Etenim scientiæ scientiam esse convenimus, reluctante ratione, idque protinus refellente. Quin etiam hac ipsa scientia reliquarum scientiarum opera nosci concessimus, ratione similiter repugnante: ut vir temperans talis esset, ut quæ novit, sciat se ipsum nosse, et quæ non novit, ignorare rursus intelligat. Hoc utique magnifice nimium libereque concessimus, haud advertentes impossibile esse, ut quæ nullo modo quis noscit, noscat quodammodo. In hoc autem nos consensimus, videlicet aliquem ignorantem aliqua, quod non cognoscat ipsa cognoscere: etsi nihil est, ut mea fert opinio, quod hoc videatur absurdius. Verumtamen ita nos ineptos potius quam duros pertinacesque hæc indagatio nacta, nihilo magis veritatem invenire potest: sed usque adeo se ipsam irrisit, ut quod jam diu nos communi consensu confinximus, et temperantiam esse posuimus, hoc tandem inutile quiddam insolenter et contumeliose nimium apparuerit. Tua quidem id causa potius quam mea, o Charmides, ægre fero, si tu tam egregia indole ac temperantia animi præditus, nihil tanta virtute juveris, nihilque ipsa in vita tibi prosit. Molestius quoque fero incantationis gratia, quam a Thrace illo didici, si in re nullius pretii percipienda tantum studium posui. Hæc itaque sic se habere haud satis credo: immo ignavum esse me investigatorem arbitror: quippe qui temperantiam magnum quoddam bonum existimem; quod si habes, te beatum esse. Verum [176] cogita, utrum possideas, et incantatione non egeas. nam si habeas, tibi equidem consulam, ut me delirum putes, et investigandæ veritatis impotem: te vero, quo es temperantior, eo beatiorem. Ch. Nescio per Jovem, o Socrates, utrum habeam, necne. nam quo pacto illud intelligam, quod vos, ut ais ipse, quid sit invenire nondum potestis? Equidem tibi non multum credo, Socrates. immo indigere incantatione me arbitror, et quantum ad me attinet, nihil obstat quo minus quotidie nihil incantationibus medearis, quoad ipse satis habere

Digitized by Google

me putes. Cri. En Charmides, si sic egeris, argumento istud mihi erit, quod tempestatus sis, quia incantationibus Socratis te subjicias, nec ab ejus latere unquam discedas. Ch. Pariturum me, et passim sectaturum existimato. nempe graviter peccarem, nisi tibi tutori meo parerem, et quod jubes exsequerer. Cri. Jubeo equidem. Ch. Efficiam id sedulo, hodieque incipiam. So. Quidnam hi deliberant? Ch. Nihil amplius. nempe decretum est. So. Vimne inferes, neque mihi ullam vicissim consultandi relinques arbitrium? Ch. Vim prorsus illaturum putato, quandoquidem hic præcipit. ad hæc tu quoque, quid acturus sis, consulta. So. Nullus restat consultandi locus. nam tibi agere aliquid affectanti, cogentique, nemo resistere potest. Ch. Neque tu ergo repugnas. So. Haud equidem adversabor.

Digitized by Google

EUTHYPHRO.

EUTHYPHRO, SOCRATES.

[2] Quid novi, o Socrates, accidit, quod, prætermittens exercitationes in Lyceo, circa regis porticum hic versaris? neque enim causa nunc tibi ulla est, quemadmodum mihi, ad regem. So. Non causam hanc, o Euthyphron, sed accusationem Athenienses vocant. Eu. Quid ais? num te aliquis accusavit? non enim te alium accusasse putarem. So. Non sane. Eu. At vero te alius? So. Prorsus. Eu. Quis iste? So. Nec ipse quidem, o Euthyphron, virum hunc satis agnosco. juvenis enim quidam et ignotus esse videtur: vocant autem illum, ut puto, Melitum ex Pittheo populo; si quem tu Pittheum Melitum noscis prolixis deflexisque capillis, aquilino et gibboso naso, barbaque rara. Eu. Haud agnovi, o Socrates: sed cujus te rem fecit? So. In ea tamen, ut mihi videtur, accusatione non ut ingenerosus se gessit. nam juvenem hominem rem tantam novisse, non vile quiddam est. Ille siquidem, ut ait, quomodo juvenes corrumpantur, et qui eos corrumpant, intelligit: ac sapiens quidam apparet, meamque inscitiam conspicatus, quasi suos æquales pervertam, ad patriam me velut ad matrem accusaturus confugit: adeo ut mihi solus ipse recte præesse rebus civilibus videatur. Nam in primis juvenum cura suscipienda est, ut quam optimi viri fiant: quemadmodum bonum agricultorem teneriores primum plantas curare decet, ac deinceps aliis providere. Atqui et Melitus fortasse [3] primum nos purgat, juvenum, ut ait, germina corrumpentes: posthac senioribus quoque curam adhibens plurimorum ingentiumque bonorum civitati causa erit: ut consentaneum est eum facere, qui principium hujusmodi dedit. Eu. Vellem equidem, o Socrates: sed vereor ne contra contingat. profecto a Vesta incipere mihi videtur huic urbi nocere, cum injuria te afficere tentat. Et mihi dicas, quid te agentem juventutem inficere prædicat? So. Absurda quædam auditu, o vir mirifice. inquit enim auctorem me esse deorum; et ut novos inducentem deos, priscos vero negantem, me, ut inquit, deorum gratia incusavit. Eu. Intelligo jam, o Socrates, quod ipse dæmonium tibi passim occurrere profiteris. unde adversus te tanquam divinas res innovantem, accusationem hanc inscripsit, et in judicium te calumniaturus adventat, quippe cum noverit ista facile vulgo calumniam subire posse. Me quoque, cum de divinis in concione pertracto, futura præmuntiens, tanquam insanientem rident, licet nihil unquam nisi verum prædixerim. nobis enim, ceterisque hujus generis omnibus invident: nihil autem de iis curandum, sed interim eadem ratione pergendum. So. O amice Euthyphron, irrideri forte nullius momenti est. Athenienses nempe, ut mihi videtur, non admodum curæ est, si quem peritum esse putent, nec tamen facultatis ejus communicatorem. quem vero peritia propria ceteros imbuentem sentiunt, insectantur; sive id livore quodam, ut tu asseris, conciti, sive alia de causa faciant. Eu. Quo autem modo erga me nunc affecti sint, haud mul-

Digitized by Google

tum periclitari studeo. So. Forte enim tu raro te ipsum aliis exhibere videris, tuamque nolle sapientiam propagare. ego autem formido, ne ob humanitatem et in genus hominum caritatem his odio fuerim, quoniam unicuique hominum passim me præbeo, nec sine mercede duntaxat, verum etiam libenter ultro me meaque offero, si quis audire me velit. Si me igitur, ut modo dicebam, derisuri essent, quemadmodum tu illud te dicis, nihil sane molestum foret a jocantibus ridentibusque in judicium trahi. sin autem serio isti contendunt, id quo tandem deveniat, præterquam vobis vaticinantibus est occultum. Eu. Nihil forte negotii, o Socrates, erit: pro mentis viribus in causa tua certabis, ego autem, ut arbitror, in mea. So. Num aliqua tibi causa est? fugisne, an persequeris? Eu. Persequor. So. Quem? [4] Eu. Quem dum persequor, insanire videor. So. Quid? volantem forte quempiam persequeris? Eu. Procul admodum abest ut volet, qui jam grandis est natu. So. Quis iste? Eu. Pater meus. So. Tuusne, o vir optime? Eu. Prorsum inquam. So. Quæ accusatio est et cujus rei judicium? Eu. Homicidii, Socrates. So. Proh Hercules, forte, o Euthyphron, ignoratur a multis, quo pacto hoc recte fiat. neque enim, puto, cujusvis opus esse, recte hæc agere, sed alicujus sapientia longe proveeti. Eu. Longe per Jovem. So. An domesticorum quispiam a patre peremtus est? vel id liquido patet: non enim ob extraneum aliquem homicidii patrem accusares. Eu. Ridiculum est, o Socrates, si quid interesse censes, domesticusne an extraneus sit occisus; neque id duntaxat observandum esse, utrum jure occiderit, quisquis occidit, necne. quod si jure, dimittendum: sin autem injuria, persequendum: licet qui peremit, domesticus familiarisque sit. Æque enim inquinaremur, si sceleris conscii acquiesceremus, nec illum atque nos ipsos judicio expiaremus. quanquam qui periit, cliens atque minister meus erat, qui, cum in Naxo in agriculturam incumberemus, nobis mercede servivit. sed ab alio nobis domestico in iram concitus, eum continuo jugulavit. Unde pater obligatis manibus ac pedibus in foveam conjecit: atque huc misit hominem, qui juris interpretem quid agendum esset interrogaret. Interea vinctum illum ut homicidam neglexit, quasi nihil omnino referret, si forte deficeret: quod et accidit. nam priusquam ab interprete nuntius ipse rediret, fame, frigore, vinculis periit. Hac de causa pater ceterique propinqui graviter ferunt, quod propter homicidæ mortem patrem reum necis accusem: qui, ut ipsi aiunt, minime interfecit, vel, si etiam interemisset, de homicidæ interitu nihil esse curandum. profanum enim esse ferunt filium patri diem dicere; male dijudicantes, o Socrates, quomodo jus divinum circa sanctum profanumve se habeat. So. Tune per Jovem, o Euthyphron, sic te sincere divina, sancta, et profana quomodo se habeant, scire præsumis, ut iis ita peractis, quemadmodum inquis, haud formides, ne patrem reum necis accusans profanum aliquid aggrediaris? Eu. Nihil mihi studium meum prodesset, o Socrates, nec ratione ulla [5] Euthyphron aliis multis præstaret hominibus, nisi talia quædam plane dignoscerem. So. O admirande Euthyphron, operæ pretium est, ut discipulus tuus fiam, et in contentione, quæ mihi cum Melito est, in primis ista objiciam, me scilicet hactenus divinorum cognitionem fuisse professum: nunc autem, postquam me propria vanaque opinione novos deos confingere dixerit, discipulum tuum esse factum. Si ergo, o Melite, dicam, Euthyphronem in iis recte sentire putas, me quoque existima, neque damnes. sin minus, præceptorem illum prius quam me in judicium accersito, senes homines corrumpentem, me scilicet atque patrem; me quidem docentem, illum vero corrigentem et punientem. Quod si mihi non obsequatur, neque dimittat judicium, neque pro me te adscribat, eadem tamen ipsa in judicio cogetur prædicere, ad quæ ipsum antea provocabam. Eu. Ita per Jovem,

Digitized by Google

o Socrates: nam si me accusare tentaverit, reperiam, ut opinor, ubi ille debilis infirmusque sit, ac multo prius de illo, quam de me in judicio disceptabitur. So. Atqui ego hæc, o dulcis amice, considerans discipulus tuus esse desidero, cum norim, quod et alius quidam, et Melitus iste te quidem haud vidit, me vero sic acute facileque inspexit, ut impietatis hic accusaverit. Nunc ergo per Jovem mihi dicas quod plane nosse asseverasti, quid pium, quidve impium esse velis, et de nece, et de ceteris omnibus. An non idem est in singulis actionibus ipsum sibi sanctum, et profanum rursus omne sancto contrarium, ipsum vero sibi ipsi consimile, unamque, secundum quod profanum est, ideam habet, quodcunque profanum esse debet? Eu. Omnino, o Socrates. So. Dic ergo, quid sanctum, quid profanum vocas? Eu. Sanctum quidem voco, quod ipse nunc facio: eum qui injuste agit vel circa cædes, vel sacrilegia, vel aliud hujus generis, in judicium trahere, seu pater, sive mater, sive quivis alius deliquerit. contra vero, profanum. Quin vide quæso, o Socrates, quam validam tibi legis conjecturam referam, quod ita sit, quemadmodum aliis quoque narravi, docens tum demum recte agi, cum nulli prorsus peccanti, quisquis ille sit, parcimus. Nam fatentur omnes, Jovem ipsum deorum omnium optimum atque justissimum esse, quem tamen patrem suum ligavisse ferunt, quod natos absque jure devoravisset. Illum præterea [6] patrem castravisse ob talia quædam asserunt. Mihi vero succensent, quod parentem injustitiæ obnoxium persequor. atque ita homines isti sibi ipsis tam de diis, quam de me contraria sentiunt. So. Atqui hinc ob causam, o Euthyphron, accusor, neque quid respondeam satis habeo. nam quoties de diis talia quædam quis diceret, moleste ferebam: qua de causa, ut videtur, peccare me ferunt. Nunc autem, si tibi hæc ita videntur harum rerum perito, necesse est nos etiam consentire. quid enim aliud diceremus? quippe qui nihil de iis intelligere prædicemus. Ceterum per Jovem amicabilem mihi dicas, an ipse sic ista revera evenisse putes. Eu. Et mirabiliora insuper, o Socrates, quæ multis occulta sunt. So. Bellum igitur inter deos agitari invicem arbitraris, inimicitiasque, et pugnas, aliaque permulta, quæ a poetis, et peritis scriptoribus memorantur? Unde et alia nobis sacra hujusmodi varietate sunt plena, et in magnis Panathenæis peplum iis pictum in arce suspenditur. An hæc vera, o Euthyphron, esse fatebimur? Eu. Non hæc sola, o Socrates: sed, quod paulo ante dixeram, alia quoque multa, si velis, de divinis exponam: quæ cum audiveris, scio quid loquor, nimium obstupesces. So. Nequaquam mirarer: verum ista deinceps majori cum otio referes: in præsentia vero quod modo quæsivi explicare planius nitere. neque enim principio sufficienter, amice, me docuisti, cum quid sanctum esset interrogarem: sed id sanctum esse dixisti, quod tu nunc ageres, dum necis reum patrem tuum accusas. Eu. Et vera nimirum, o Socrates, dixi. So. Forte. sed num alia multa, o Euthyphron, sancta nuncupas? Eu. Et alia. So. Recordare igitur quod non hoc abs te petii, ut unum me aut duo ex multis sanctis, sed illam ipsam speciem, qua cuncta sancta sunt sancta, doceres. dixisti enim una idea omnia sancta, sancta esse, atque una iterum quæ sunt profana, profana. Eu. Equidem. So. Quænam sit hæc ipsa idea mihi demonstra, ut ad illam respiciens, eaque tanquam exemplari aliquo utens, quodcunque tu, vel alius quivis tale facitis, sanctum esse dicam: quod autem dissimile, negem. Eu. Si ita vis, o Socrates, ita dicam. So. Immo volo. Eu. Quod quidem diis amicum, sanctum est: quod non amicum vero, profanum. So. [7] Quam pulcherrime, o Euthyphron, utque te respondere jubebam, sic denique respondisti: utrum tamen verum responderis, nondum novi: sed tu plane vera hæc esse nobis ostendes. Eu. Omnino quidem. So. Age itaque id, de quo dicimus, consideremus. Deo amicum opus, sanctum,

Digitized by Google

ac vir Deo amicus, sanctus: opus autem inimicum Deo, profanum, et vir Deo inimicus, profanus dicitur. sanctum vero et profanum non eadem sunt, sed omnino contraria. nonne? Eu. Sic est. So. Num probe dicta hæc esse videntur? Eu. Sic existimo: dicta enim sunt. So. Nonne dictum est deos invicem dissidere, atque pugnare, inimicitiasque inter eos esse? hocne etiam dictum? Eu. Dictum profecto. So. Inimicitias autem et iras, o optime, dissensio de quibusdam gignit. Sic autem consideremus: numquid si ego et tu de numero dissentiremus, utra sint plura discutientes, dissensio hujusmodi nos inimicos faceret, et iracundiam concitaret? an potius ad computandi rationem confugientes, mox ab hac dissensione cessaremus? Eu. Prorsus. So. Et si de majori ac minori dissentiremus, nonne ad mensuram recurrentes, statim controversiam solveremus? Eu. Vera hæc sunt. So. Ac si ad ponderandum librandumque tendamus, seditionem circa gravius, et levius dissolvemus? Eu. Quidni? So. Quæ sunt igitur ea, de quibus quum dissentimus, nec judicare facile possumus, inimici efficimur, et irascimur? Forsitan in promptu non habes. verum me dicentem considera utrum ista sint, justum, et injustum: pulchrum, et turpe: bonumque et malum. Numquid hæc sunt, de quibus cum dissentimus, nec possumus ad sufficiens horum judicium pervenire, hostes efficimur, quoties in hostiles inimicitias incidimus, et ego, et tu, ac demum homines universi? Eu. Hæc utique dissensio est, o Socrates, et quæ circa ista versatur. So. Et dii, o Euthyphron, si de aliquo dissentiant, de his certe dissentient. Eu. Necesse est omnino. So. Ex diis itaque, o generose Euthyphron, alii alia justa putant secundum orationem tuam, et pulchra, et turpia, bonaque et mala. nunquam enim invicem decertarent, nisi de his dissenserint. an non? Eu. Recte loqueris. So. Nonne quæ pulchra singuli putant, bonaque et justa, hæc amant? quæ contraria, prorsus oderunt? Eu. Omnino. So. Eadem vero, ut ais, alii justa, injusta alii censent, de quibus disceptantes contendunt invicem, [8] atque pugnant. num ita? Eu. Ita. So. Eadem igitur, ut videtur, a diis amantur, odioque habentur, atque eadem hæc tum diis amica, tum etiam inimica. Eu. Videtur. So. Hac ratione, o Euthyphron, eadem sancta erunt simul atque profana. Eu. Apparet. So. Non ergo quod quæsiveram, o vir admirabilis, respondisti. non enim id volebam, quod et sanctum et profanum simul esse contingit: quod vero deo amicum est, deo quoque inimicum esse videtur. quamobrem, o Euthyphron, quod nunc agis, parentem puniens, nihil mirum esset, si hoc Jovi amicum contingeret; Saturno autem, et Cœlo inimicum: et Vulcano quidem gratum, Junoni molestum, et si quis deorum alius de ipso ab alio dissidet. circa illos enim similiter eveniret. Eu. At opinor, o Socrates, in hoc deorum nullum ab alio discrepare, quin qui injuste quenquam peremit, pœnas pendere debeat. So. Num hominem aliquem, o Euthyphron, in hoc aliquando dubitantem audisti, quod hominem injuste occidentem, aut aliquid aliud agentem injuste, pœnas dare non deceat? Eu. Nunquam de iis disceptare, cum alibi, tum etiam in judiciis, cessant, qui enim peccarunt, cuncta dicere et agere experiuntur, quibus pœnam devitent. So. An injuste agere confitentur? ac simul aiunt pœnas pendere non decere? Eu. Id nullo modo. So. Non ergo cuncta dicere ac facere experiuntur: hoc enim, ut arbitror, dicere, aut ambigere nequaquam audent, quod de injustis supplicium sumendum minime sit: sed aiunt potius non injuste fecisse. an non? Eu. Vera loqueris. So. Haud igitur in hoc ambigunt, utrum injustum punire oporteat: verum de hoc potius inter se disceptant, quis injuste fecerit, et quid agendo, et quando. Eu. Vera narras. So. Nonne eadem hæc diis accidunt, si de justis atque injustis, ut oratio tua testatur, dissentiunt? atque ii quidem injuste facere

Digitized by Google

asserant, alii negant? postquam illud, o vir mirabilis, nullus hominum, vel deorum dicere audet, Injustum videlicet pœnas nequaquam dare debere. Eu. Ita vera enim summatim dicis, o Socrates. So. De unoquoque, ut puto, eorum quæ facta sunt, disceptant, o Euthyphron, quicunque ambigunt, sive homines, sive dii: si modo dii qui ambigunt, dum de aliqua actione dissentiunt, partim quidem justam, partim vero injustam fuisse dicentes. an non isto modo? Eu. Omnino. So. O amice Euthyphron, me quoque, [9] ut sapientior fiam, edoce, qua conjectura potissimum asseris, quod dii cuncti illum injuste peremtum existiment, qui mercede ministrans homicida factus ab interfecti domino vinctus, vinculis ante periit, quam qui ligaverat, a juris interprete quid agendum cognosceret? atque ob hoc rectum esse, ut filius patrem in capitis discrimen inducat? Age, obsecro, de iis aliquid mihi clari demonstrare conaris, quod omnino dii omnes actionem hanc rectam existiment: quod si sufficienter ostenderis, nunquam sapientiæ tuæ laudes prædicare desistam. Eu. At forte non parvum opus est hoc, o Socrates; id tamen plane admodum tibi ostendere possem. So. Intelligo jam, quod ad percipiendum tardior, quam judices, esse tibi videor; quippe cum illis liquido monstraturus sis hæc esse injusta, omnesque talia deos odisse. Eu. Perspicue nimium, o Socrates; modo me dicentem audiant. So. Atqui audient, si bene dicere illis videberis. Illud autem loquente te cogito, et ad meipsum referens animadverto, Quod licet vel maxime Euthyphron me doceat, deos omnes hanc mortem injustam ducere, qui magis inde ab Euthyphrone didicero, quid sanctum, quidve profanum sit? deo quidem inimicum opus hoc esset: attamen ab hoc paulo ante discreta hæc esse minime visa sunt, sanctum scilicet, et non sanctum: quod enim deo amicum, deo etiam inimicum appernit. Quamobrem hoc tibi dimittam, o Euthyphron: et si vis, dii omnes injustum putent, et oderint. Verumtamen istud jam in sermone sic emendemus, ut, quod dii omnes oderint, profanum; quod contra omnes ament, sanctum sit. quæ vero partim ament, partim oderint, neutra sint, vel simul ambo. Num ita vis nunc sanctum, et profanum nobis esse distinctum? Eu. Quid, o Socrates, prohibet? So. Nihil ad me, o Euthyphron: sed tu, quod ad te attinet, cogita, utrum ista ponens, sic me facile, quod pollicitus es, docebis. Eu. Equidem sanctum, quod dii omnes ament, esse fatebor: profanum contra, quod omnes oderint. So. An hoc iterum discutiendum, utrum recte dicatur necne? vel potius omittendum, atque ita et nobis ipsis et aliis indulgere debemus, ut quidquid dictum fuerit, admittamus? an quod dictum, examinandum? Eu. Discutiendum: quanquam hoc nunc bene dici existimo. So. Forsitan, o bone vir, sic melius intelligemus. sic enim [10] cogita, Utrum sanctum, quia sanctum est, a diis amatur? vel quia a diis amatur, est sanctum? Eu. Haud intelligo, quid dicas, o Socrates. So. Apertius explicare conabor. Dicimus quiddam latum et ferens, ductum et ducens, visum et videns, atque hujusmodi cuncta: num hæc diversa esse, et qua diversa sunt, intelligis? Eu. Intelligere mihi videor. So. Nonne et amatum aliquid est, et aliud præter hos amans? Eu. Quidni? So. Dic obsecro: latum quia fertur, latum est, an ob aliquid aliud? Eu. Nequaquam, immo ob hoc ipsum. So. Et ductum similiter, quia ducitur, et visum, quia videtur? Eu. Maxime. So. Non ergo, quia visum est, videtur; sed contra, quia videtur, est visum: nec, quia ductum, ducitur; sed quia ducitur, ductum: nec, quia latum, fertur; sed quia fertur, est latum. Nonne perspicuum est, o Euthyphron, quid inferre velim? volo autem hoc: siquid fit, aut patitur aliquid, non quia factum est fit; sed quia fit potius, factum. nec etiam, quia patiens est patitur; sed quia patitur patiens. Admittis hæc? Eu. Admitto equidem. So. Nonne et amatum aut

Digitized by Google

factum aliquid est, aut aliquid ab aliquo patiens? Eu. Prorsus. So. Istud igitur eodem modo, quo superiora, se habet: non, quia amatum est, amatur, a quibus amatur, sed quia amatur, amatum. Eu. Necesse. So. Quid itaque de sancto dicimus, o Euthyphron? an quod ab omnibus diis amatur, ut oratio tua testatur? Eu. Immo. So. Numquid ob hoc, quod sanctum est, an ob aliud quiddam? Eu. Ob hoc ipsum. So. Ergo quoniam sanctum est, amatur; non quoniam amatur, est sanctum. Eu. Videtur. So. Verumtamen quoniam a dils amatur, amatum est, atque diis amicum. Eu. Quid prohibet? So. Non ergo deo amicum, sanctum est, o Euthyphron, neque sanctum amicum deo, ut tu ais, sed hoc aliud est quam illud. Eu. Quanam ratione, o Socrates? So. Quoniam confitemur sanctum ob id amari, quia sanctum est: non quia amatur, esse sanctum: nonne? Eu. Certe. So. Amatum autem a deo, eo ipso quo amatur a deo, deo amatum esse; non quia amatum a deo, amari. Eu. Vera loqueris. So. Verum si idem esset deo amatum atque sanctum, tunc aut quia sanctum est, amaretur quod est sanctum, atque ita quia deo amatum, [11] amaretur a deo quod deo amatum est. Aut quia amaretur a deo quod amatum deo est, deo amatum esset, atque ita quod sanctum est, ex eo quod amaretur, esset sanctum. Nunc autem vides, quod oppositio modo se habent, utpote quæ inter se diversa sunt. hoc enim, scilicet amatum deo, quia amatur, tale est, ut sit amatum. illud autem, scilicet sanctum, quia tale est, ut ametur, amatur, et amatum est. Viderisque, o Euthyphron, quum, quid sanctum sit, interrogatus fueris, essentiam illius ostendere noluisse: sed passionem quandam assignavisse, quam hoc sanctum suscepit: ab omnibus videlicet diis amari. quod autem sit, nondum nobis explicuisti. Si itaque tibi placet, ne me celes, verum a principio rursus definias, quid ipsum sanctum existens, vel amatur a deo, vel aliud quidvis patitur: nequo enim de hoc invicem dissidebimus. Sed prompte jam dicas, quid sanctum est, quidve profanum. Eu. At, o Socrates, quomodo tibi quod cogito, exprimam, non invenio. Semper enim nobis, quod proposuimus, præterfluit, neque consistere vult, ubi sistimus. So. Progenitoris nostri Dædali, o Euthyphron, opera esse, quæ dixisti, videntur. Quod si ego illa dixissem atque posuissem, forte me risisses (joco quodam objiciens) quod orationis meæ artificia secundum illius cognationem diffugiunt, neque permanere volunt, ubi quis illa locavit. Nunc autem, cum tuæ suppositiones istæ sint, alia quadam opus est dicacitate. neque enim tibi permanere volunt, ut tibi quoque videtur. Eu. Immo mihi videtur, o Socrates, quæ dicta sunt, eandem pene dicacitatem jocumque admittere: quod enim illa circumlabantur, ego minime in causa sum, sed tu mihi Dædalus ipse videris: quantum namque in me est, sic illa mansissent. So. Videor igitur, o amice, eo in hac arte quam ille præstantior, quo ille sua solum instabilia fabricabat, ego autem, præter mea, ut apparet, etiam aliena. Idque mihi est in arte pulcherrimum, quod invitus sum sapiens. Malim namque rationes mihi manere, immobilesque consistere, quam supra Dædali sapientiam, Tantali quoque divitias affatim assequi. Postquam vero, tanquam delicatior, laborem subterfugere mihi videris, ego una tecum declarare contendam, ut me circa ipsum sanctum erudias, nec in medio sermone deficias. Vide, num tibi necessarium videatur omne sanctum esse justum. Eu. Mihi vero. So. Numquid et omne justum sanctum? aut potius [12] omne sanctum justum? justum vero non omne quidem sanctum, sed partim sanctum, partim aliud quiddam? Eu. Nequaquam, o Socrates, quæ dicta sunt, assequor. So. Verumtamen junior me nihilo minus quam sapientior es: sed, ut dixi, delicatior es ob sapientiæ copiam. At, o beate, vires tuas excita, enitere. nihil enim arduum est, quod dicebam comprehendere. dico namque con-

Digitized by Google

trarium ejus quod iis verbis poëta cecinit: Jovem quidem genitorem quive hæc omnia genuit, dicere nolle. ubi enim timor, ibi et pudor. Ego autem a poëta hoc discrepo: vis, quo differo, tibi dicam? Eu. Valde. So. Non videtur mihi, ubicunque timor est, ibi etiam pudor existere. nam multi paupertatem ac morbos ceteraque hujusmodi, ut mihi videtur, metuunt, neque tamen pudore ullo in iis afficiuntur. tibi vero nonne idem? Eu. Et mihi. So. At ubicunque pudor, ibi et timor. quisquis enim pudore afficitur, atque erubescit, opinionem pravitatis formidat. Eu. Formidat certe. So. Haud igitur recte dicitur, ubi timor, ibi pudor; sed ubi pudor, ibi et timor: neque tamen (vice versa) ubicunque timor, ibi etiam pudor. Amplior enim, ut arbitror, est timoris quam pudoris natura: siquidem pars timoris est pudor, quemadmodum numeri pars est impar. ideoque non ubicunque numerus, ibi impar. ubi tamen impar, et numerus est. num tenes? Eu. Maxime. So. De hoc in superioribus percontabar: utrum ubi justum, ibi et sanctum: an, ubi sanctum, ibi justum: ubi tamen justum, non semper et sanctum: pars quippe justi sanctum est. sicne, an aliter dicimus? Eu. Sic utique, probe enim dici videtur. So. Aspice itaque deinceps. si sanctum justi pars est, oportet nos, ut apparet, cujusmodi justi pars sanctum sit, invenire. Si tu ergo me modo aliquid prædictorum interrogares, ut puta, par cujusmodi pars numeri, et quis numerus sit: responderem profecto, qui non scalinus sed isosceles, i. e. qui non inæquilaterus sed æquilaterus est. An non idem tibi videtur? Eu. Mihi certe. So. Conare igitur tu quoque me ita docere, cujusmodi justi pars sanctum est: ut et Melito confestim objiciam, ne ulterius injustitiæ nos et impietatis accuset, quippe cum abs te, quæ pia, quæ sancta, quæve contraria sunt, ad sufficientiam didicerimus. Eu. Eam justi partem, o Socrates, sanctum et pium esse reor, quæ circa deorum curam versatur. quæ vero ad hominum curam pertinet, reliquam esse justitiæ partem. So. Probe, o Euthyphron, dicere mihi videris: sed paulum [13] quid ultra requiro. curam enim quam voces, nondum intelligo. neque forte dicis, hanc curam talem esse, quales curæ sunt, quæ ad alia spectant. ut ecce cum dicimus: Non quivis equos curare novit, sed equester. an non? Eu. Prorsus. So. Equestris namque facultas equorum cura est. Eu. Utique. So. Et venatoria canum, et bucolica boum. Eu. Omnino. So. Sanctitas autem ac pietas cura deorum. Sicne, o Euthyphron, asseris? Eu. Assero. So. An non cura omnis idem intendit, ut quiddam hujusmodi, bonum et utilitatem ei quod curatur, afferre? ut equi ab equestri diligentia juvantur, ac meliores evadunt. an non sic videntur? Eu. Mihi plane. So. Et canes a venatorum peritia, et a bucolica boves, ac reliqua cuncta similiter. num in damnum ejus quod curatur, curam tendere putas? Eu. Non per Jovem. So. Ad utilitatem vero? Eu. Quidni? So. Sanctitas quoque cum deorum cura sit, diisne prodest? ac meliores efficit? atque id ipse concederes, ut cum sanctum quippiam peragas, deorum aliquem facias meliorem? Eu. Nunquam per Jovem. So. Neque ego, o Euthyphron, id te dicere arbitror: longe enim a me suspicio hæc abest: propterea te rogavi, qualemne curam deorum diceres, non existimans, hujusmodi quandam te dicere. Eu. Et recte quidem, o Socrates. non enim talem assero. So. Age, quænam deorum cura sanctitas erit? Eu. Qua, o Socrates, servi dominos curant. So. Intelligo: ministra quædam deorum, ut videtur, cura hæc erit. Eu. Prorsus. So. Potesne dicere, ad quid suppeditet medicis cura medicorum ministra? nonne ad sanitatem? Eu. Ad hanc ipsam. So. Ministra vero facultas eorum, qui naves construunt, ad quid illis ministrat? Eu. Ad navis fabricam. So. Et quæ domorum ædificatoribus, nonne ad domus constructionem? Eu. Immo. So. Dic itaque mihi, vir optime, cura illa ministra deorum, ad cujus ope-

Digitized by Google

ris effectionem diis obsequitur? perspicuum est te scire, cum divina te nosse præ cæteris omnibus affirmaveris. Eu. Et vera loquor, o Socrates. So. Dic ergo per Jovem, quid est mirificum istud opus, quod dii nobis ministrantibus faciunt? Eu. Multa profecto ac pulchra, o Socrates. [14] So. Exercitus quoque duces (multa et pulchra efficiunt) o amice: verumtamen præcipuum diceres opus illorum esse in prælio superare, an non? Eu. Quidni? So. Multa præterea atque pulchra, ut arbitror, agricultores: summa tamen illorum est, ex terra alimenta colligere. Eu. Profecto. So. Multorum vere pulchrorumque facinorum, quæ dii perficiunt, quænam summa existit? Eu. Etiam paulo ante dixi, o Socrates, prolixi operis esse, hæc omnia perfecte comprehendere. Sic autem nunc tibi simpliciter dico, quod si quis grata diis loqui et agere novit, vovens, atque sacrificans, hæc sancta sunt: atque hæc officia, tum domos proprias, tum civitates conservant. Contraria vero impia sunt, et universa pervertant ac perdunt. So. Paucioribus admodum, o Euthyphron, si voluisses, summam eorum quæ rogabam explicuisses: sed videris nequaquam promptus et libens ad me docendum accedere. et nunc utique, postquam id persensisti, dehortatus es atque advertisti: quod si respondisses, forte sanctitatem abs te didicissem. nunc autem (necesse est enim interrogantem interrogatum sequi quacunque ducit) quod rursus dicis sanctum esse, atque sanctitatem? nonne scientiam quandam vovendi, atque sacrificandi? Eu. Equidem. So. Nonne sacrificare est munera diis offerre? vovere autem, a diis petere? Eu. Et maxime quidem, o Socrates. So. Scientia ergo et diis dandi, et ab iis petendi secundum hanc rationem sanctitas erit. Eu. Perpulchre, o Socrates, quod dicebam intellexisti. So. Avidus sum, o amice, sapientiæ tuæ, mentemque adhibeo, ne verba frustra effundas. At mihi dicas oro, quænam hæc est ministratio erga deos? an esse dicis, ab iis petere aliquid, et iis dare? Eu. Certe. So. Recte ab illis petere, nonne est ea petere, quibus egemus? Recte autem dare, ea quibus indigent, illis offerre? Neque enim artificiosum esset, ea alicui, quibus non indiget, elargiri. Eu. Vera narras, o Socrates. So. Mercatura igitur quædam, o Euthyphron, inter deos et homines mutua sanctitas erit. Eu. Mercatura, si sic eam nominare lubet. So. At nihil mihi placet, nisi sit verum. Dic ergo, quænam diis ex muneribus nostris utilitas. Quæ enim dent, unicuique patere potest. nihil enim nobis est bonum, quin illi [15] præbeant. Quæ vero a nobis accipiunt, quid illis conferunt? an tanto ipsis in hac mercatura præstamus, ut cum nos omnia ab illis bona suscipiamus, ipsi nihil a nobis boni reportent? Eu. Num opinaris, o Socrates, deos iis, quæ a nobis accipiunt, aliqua ex parte juvari? So. At quid tandem erunt hæc nostra dona diis oblata? Eu. Quid putas aliud, quam honorem, venerationem, et, ut modo dixeram, gratiam? So. Gratum igitur erit, o Euthyphron, sanctum, non autem utile, aut placitum diis? Eu. Reor equidem maxime omnium placitum. So. Hoc igitur iterum sanctum est, diis placitum? Eu. Maxime. So. Et miraris, cum hæc dicas, quod rationes tibi nequaquam consistere, sed vacillare potius videantur, ac me veluti Dædalum culpas, quod eas mutare compellam? cum tamen ipse longe admodum artificiosior sis, quam Dædalus, dum ipse facis, ut sermones circulo revolvantur. an non sentis, orationem rursus in idem refluere? Meministi in superioribus sanctum et amicum Deo, haud eadem, sed diversa invicem apparuisse. Eu. Memini. So. Nunc vero nequaquam animadvertis, te sanctum deo placitum dicere: hoc autem nihil aliud est, quam deo amicum. an non? Eu. Omnino. So. Ergo aut tunc non recte concessimus: aut, si recte tunc, modo non recte judicaremus. Eu. Videtur. So. Igitur a principio rursus, quid sanctum sit, examinandum est. Nam ego antequam discam, volens ac libens

Digitized by Google

adstare nequaquam verebor. Sed ne me contemnas: immo mentem penitus adhibens, quam maxime nunc exprime veritatem. Nosti enim, si quis hominum alius: neque dimittendus es, quemadmodum Proteus, priusquam dixeris. Nam nisi liquido sanctum ac profanum novisses; nunquam mercenarii cujusdam gratia, virum senem et patrem, ut reum mortis, persequi statuisses: sed deos timuisses, ne forte minus id recte aggredereris, atque ex hominum conspectu erubuisses. Nunc autem novi, quod plane sanctum et profanum cognoscere opinaris. Dic ergo, o optime Euthyphron, neque nos cele, quid ipsum existimes. Eu. Alias, o Socrates, nunc jam alio propero; hora enim est, ut abeam. So. Quid agis amice? magna de spe me nunc abiens dejecisti, qua sperabam, abs te quid sanctum, quid non sanctum, discere; atque ita Meliti accusationem liber evadere, ostendens illi, quod ab Euthyphrone [16] divinorum sapientiam adeptus fuerim; neque ulterius ex mea rudique sententia novum aliquid de divinis inducturus sim, sed reliquum omne tempus melior admodum sim victurus.

Digitized by Google

PARMENIDES.

CEPHALUS, ADIMANTUS, ANTIPHON, GLAUCO, PYTHODORUS, SOCRATES, ZENO, PARMENIDES, ARISTOTELES.

[126] Cum domo e Clazomenis Athenas profecti essemus, juxta forum Adimantum et Glauconem offendimus: et manum meam prehendens Adimantus, Salve, inquit, o Cephale, et si quo indiges, quod nostræ facultatis sit, jube. At, ego inquam, ad id veni, in quo vestra opera indigebo. Expone, inquit, quid sit, quo indiges. Tum ego, Fratri vestro germano quod nomen erat? non enim memini. erat enim ferme puer, quando huc e Clazomenis accessi: longum vero intercessit temporis intervallum. Patri tamen ejus Pyrilampes nomen fuisse arbitror. Prorsus, inquit, ipsi vero nomen Antiphon. sed quid potissimum queris? Isti, inquam, concives mei ardentes sunt sapientiæ amatores, audieruntque, hunc Antiphonem diu Pythodoro Zenonis socio familiariter usum, rationes, quas quondam Socrates, Zenon atque Parmenides invicem pertractarunt, cum a Pythodoro frequentius accepisset, memoria retinere. Vera, inquit, dicis. Has itaque audire desideramus. Haud difficile id est, inquit. nam dum esset adolescentulus, eas diligenter meditabatur. Nunc vero apud avum, cui idem est nomen, circa rem equestrem ut plurimum versatur. ceterum, si opus est, ad eum proficiscamur. nuper enim hinc domum abiit. habitat autem prope in Melita. Cum hæc dicta fuissent, accessimus, [127] domique invenimus Antiphonem, frenum quoddam aptandum fabro tradentem. Postquam vero ab illo discessit, et fratres nostri adventus causam retulerunt: agnovit me ex priori illuc accessu, et congratulatus est. Nobis autem orantibus, ut disputationem illam referret, primo quidem recusabat: (esse enim operam non mediocrem) deinde tamen exposuit. Dixit ergo Antiphon, Pythodorum enarrasse, Zenonem atque Parmenidem venisse quondam ad magnorum Panathenæorum celebritatem: et Parmenidem jam senem fuisse atque canum, aspectu decorum, annos ferme quinque et sexaginta ætatis agentem; Zenonem vero annos pæne quadraginta natum, procero insuper et grato corporis habitu, Parmenidisque familiarem. Divertisse autem illos ait apud Pythodorum extra mœnia in Ceramico: quo etiam adventasse Socratem, aliosque cum Socrate plurimos, scripta Zenonis audire cupientes: nam tunc primum ab illis in eam urbem invecta. Socratem vero eo tempore admodum juvenem exstitisse: legisse autem illis Zenonem ipsum. Parmenidem enim forte extra domum fuisse. Ac parum superfuisse legendum, quando se intrasse domum una cum Parmenide et Aristotele, qui de triginta viris unus fuit, Pythodorus aiebat. Unde pauca, quæ legenda restabant, audisse: verumtamen a Zenone prius omnia percepisse. Verum iis auditis, Socratem dixisse ait, uti primam sermonis primi suppositionem iterum legeret; qua lecta, statim sic intulisse: Quomodo id dicis, o Zenon, quod si multa sunt ea, quæ sunt, oportet illa similia atque dissimilia esse? hoc autem esse impossibile. Neque enim dissimilia similia, neque similia dissimilia esse posse. nonne sic dicis? Sic

Digitized by Google

certe, respondisse Zenonem. Nonne, si impossibile est, dissimilia similia esse et similia dissimilia, impossibile etiam, multa esse? nam si multa essent, impossibilia ista contingerent. Num hoc est quod sermones tui volunt? neque aliud quidquam istendunt, quam per omnia quæ dicuntur asserere, quod multa non sint? hujusque ipsius unamquamque rationem conjecturam esse putas, ac totidem conjecturas investigasse te censes, quot rationes attulisti, quod multa non sunt? [128] Sicne dicis, an ipse non recte percipio? Immo, respondisse Zenonem, optime, quid hæc scripta sentiant, intellexisti. Intelligo, dixisse Socratem, o Parmenides, quod Zenon iste non amicitia solum conspirare vult tecum, sed iis etiam, quæ composuit. idem enim quodammodo, quod et tu, scripsit: verum permutatione quadam nos decipere tentat, quasi aliud, quam tu, dicat. Nam tu in poëmatibus unum ais esse ipsum omne: atque hujus argumenta quam pulcherrima exhibes. Hic vero rursus non multa esse ait, conjecturasque et ipse permultas ac validas præbet. Dum ergo alter Unum dicit, alter Non multa, et eum in modum uterque loquitur, ut non videantur idem inferre, cum tamen eadem ferme dicant, videntur nobis ista supra nos dici. Ita est, o Socrates, dixisse Zenonem. non omnino tamen veritatem eorum quæ scripta sunt persensisti: quamvis ceu canes Lacænæ bene transcurris et investigas dicta. sed primum quidem hoc te latuit, quod non omnino sic se extollant hujuscemodi scripta, ut eam ob causam scripta sint quam tu putas, ut homines celent, quasi egregium quiddam hinc efficiatur: verum tu quidem contingens quiddam dixisti. Sunt autem hæc revera conscripta in suffragium Parmenidis, adversus eos, qui illum carpere nituntur, dicentes, si quidem unum sit omne, ridicula plurima huic opinioni, ac etiam repugnantia sibi penitus, eventura. hæc quoque scripta eos, qui multa esse volunt, impugnant: ac plura objiciunt, ut pateat, multo absurdiora ex opinione illorum sequi, quod scilicet multa sint, quam ex opinione Parmenidis, quod sit unum, si quis diligenter examinaverit. Ob hanc itaque contentionem in ipsa juventute librum composui, quem surripiens quispiam edidit, antequam consultare mihi liceret, an effrendus esset in lucem, necne. Id ergo te fugit, o Socrates, quod existimas, non a juvenili certamine, sed a senili ambitione scriptum fuisse. Veruntamen, ut dixi, non inepte conjecisti. Accipio, inquit Socrates, et puto sic se, ut dicis, habere. Sed hoc mihi responde, putasne esse ipsam per se ipsam speciem quandam similitudinis? [129] et huic aliam quandam contrariam dissimilitudinis speciem? in quibus duabus et ego et tu participemus, et alia, quæ utique multa vocamus? atque ea, quæcunque in similitudine participant, similia fieri eatenus, quatenus participant? quæ vero dissimilitudine, dissimilia: et quæ utrisque, utraque? Quod si omnia in utrisque contrariis existentibus participant: et quia utrorumque participia sunt, similia et dissimilia inter se sunt, quid mirum? Si quis enim ipsa similia dissimilia esse diceret, vel dissimilia ipsa similia; monstrum quoddam, ut arbitror, esset. sin autem participantia in utrisque quispiam utraque pati assereret, nihil mihi, o Zenon, mirandum esse videretur. neque etiam id mirarer, si quis cuncta unum diceret, ex eo, quod in uno participent; atque hæc eadem rursus multa, quia in multitudine quoque participant. At si quod ipsum unum est, hoc ipsum multa esse ostenderit, et ipsa multa unum, jam summopere admirabor. ac de ceteris omnibus eodem modo. nam si genera ipsa et species in se ipsis asserat ista contraria in se recipere, admiratione profecto dignum erit. Etenim si quis me unum ac multa esse demonstret, cur mirandum: si quidem volens multa me asserere, dixerit alia esse dextera mea, sinistra alia, alia anteriora, alia posteriora, et superiora denique ac inferiora similiter: multitudinis quippe, ut arbitror, particeps ipse sum. et quando unum me ostendere velit, dixe-

Digitized by Google

sit, quod e nobis, qui septem sumus, ego unus homo sim, unius particeps, similitee nihil mirum. quamobrem vera utraque affirmantur. Si ergo quispiam talia conetur unum et multa eadem demonstrare, lapides videlicet, ac ligna, et reliqua hujusce modi, unum et multa ipsum ostendisse fatebimur, non tamen unum multa, neque multa unum: neque mirabile quippiam prædicasse, sed quod omnes confiteremur. At si quis eorum, quæ paulo ante dixi, primum quidem species ipsas secundum se ipsas seorsum distingueret, veluti similitudinem, dissimilitudinem, multitudinem, unum, statum, motum, ceteraque hujusmodi, deinde in se ipsis ista commiscori secernique posse assereret; obstupescerem equidem, o Zenon. Et si ea, quæ scripsisti, ut virum fortem decet, pertractata esse reor; multo tamen magis mirarer, atque lætarer, si quis posset hanc eandem quæstionem, in ipsis speciebus penitus implicitam, [130] quemadmodum in rebus, quæ videntur, expositum est, ita et in iis, quæ ratione comprehenduntur, clarius explicare. Dum hæc Socrates diceret, sicbat Pythodorus, se putasse, Parmenidem et Zenonem in singulis esse adversus Socratem indignatos. eos autem summa quadam attentione auscultasse, ac frequenter alterum respicientes subrisisse, quasi Socratem admirantes. Unde cum finem Socrates loquendi fecisset, dixisse Parmenidem: O Socrates, quam dignus es admiratione propter impetum quo ad rationes promptus accedis! verum mihi dicas oro, tune ita, ut dicis, seorsum quidem ipsas species discrevisti, seorsum etiam speciebus participantia: videturque tibi quiddam esse ipsa seorsum similitudo, cujus et nos participes sumus, et unum nostrum ac multa, et omnia, quæcunque nuper a Zenone audisti? Mihi quidem videtur, Socratem respondisse. Num talia quædam inquis, rogasse Parmenidem, ceu justi speciem quandam ipsam per se ipsam, et pulchri, et boni, atque omnium denique talium? Prorsus. Numquid speciem hominis seorsum a nobis, et ceteris ejusdem generis, et ignis etiam et aquæ speciem? Sæpenumero, inquit Socrates, in hac sum ambiguitate versatus, utrum de iis perinde, ut de superioribus, dicendum sit, an secus. Utrum de iis etiam dubitasti, o Socrates, quæ ridicula forte quis putet, sicut de pilis, lutove, et macula, et aliis ignobilissimis rebus atque vilissimis? num ambigis, utrum ponenda sit horum cujusque separata species, aliud quiddam ab illis existens vel eorum, quæ nos pertractamus, sive non? Nullo pacto, inquit Socrates: sed hæc quæ videmus, hæc et esse, speciem vero quandam illorum esse putare, forte nimis ridiculum esset. Aliquando me olim ea cogitatio perturbavit, ne quid forte sit de omnibus idem: postquam vero paulisper institi, inde discessi, metuens, ne in profundam delirationem mersus forte perirem. Unde reversus ad ea, quæ species habere prædiximus, circa illa jam versor. Juvenis adhuc es, o Socrates, modum te philosophia complexa est: amplectetur autem, ut mea fert opinio, quando nihil istorum neglexeris. nunc vero ad opiniones hominum ob ætatem respicis. At hoc mihi dicas. videturne tibi, ut aiebas, species quædam existere, et ea, quæ illis participant, illarum cognomenta sortiri? [131] veluti similitudine participantia, similia; magnitudine, magna; pulchritudine atque justitia, pulchra et justa vocari? Et maxime quidem, inquit Socrates. Nonne quodcunque speciei particeps fit, vel totam speciem vel partem accipit? an est alius præter istos participandi modus? Et quis alius? Socrates sit. Utrum videtur tibi tota species in unoquoque multorum esse, una existens? an aliter? Quid prohibet, esse unam? Unum ergo et idem in multis seorsum positis, totum simul unum erit, atque ita ipsum a se ipso seorsum existet. Nequaquam, inquit Socrates. Verum sicut dies unus denique ubique simul adest, nec ipse tamen a se ipso secernitur; ita nil prohibet, quamlibet speciem unam et eandem simul multis adesse, nec tamen a se ipsa secerni. Belle, o Socrates, unum

Digitized by Google

idem simul in multis ostendis, ac si super multos velamen quodlibet extendens, dicas unum in multis totum esse. nonne tale quiddam dicis? Forsitan. An ergo totum velamen singulis, vel pars ejus alia alteri aderit? Pars. Divisibiles igitur, inquit, o Socrates, species erunt, et quæ illis participant, partem capient, nec amplius in quolibet tota, sed pars cujusque unum erit. Sic apparet. Velisne, o Socrates, unam speciem revera dividi ac etiam unam esse? Nullo modo. Considera itaque, si ipsam magnitudinem partiaris, et unumquodque plurium magnorum parte magnitudinis minore, quam ipsa sit, magnum erit, nonne procul a ratione videbitur? Prorsus. Quid vero? ipsius æqualis parte unumquodque parvum participans, habebit, quo minore existente, quam ipsum æquale, id, quod habet, æquale alicui sit? Impossibile. Sed et aliquis nostrum ipsius parvi partem habebit, quæ ipsum parvum majus est, quippe cum ea pars ipsius existat: atque ita ipsum parvum majus erit; id autem, cui ablata pars adjicitur, minus erit, et nihilo majus, quam antea fuerit. Istud inquit fieri non posse. Quo igitur modo, o Socrates, ait, cetera speciebus participabunt, cum nec secundum totas, neque secundum partes capere queant? Per Jovem, non leve quiddam hoc ad determinandum videtur. Ad illud autem quid ais? Quidnam? Reor, te ex hoc unam quamlibet speciem [132] ponere, cum plura quædam magna tibi videntur, una quædam forsan idea tibi videtur per omnia respicienti, unde ipsum unum magnum esse putas. Vera dicis. Quid, si ipsum magnum, atque alia, quæ magna sunt, animo eodem modo per omnia respicias, nonne unum quiddam magnum iterum apparebit, quo hæc omnia magna videri necesse est? Apparet. Idcirco alia jam magnitudinis species, præter ipsam magnitudinem, et participantia magnitudine, iterum elucebit: et in iis omnibus alia rursus, qua universa sint magna: nec amplius unaquæque species una erit, sed numero potius infinita. At forsitan, inquit Socrates, quælibet harum specierum notio quædam est, nec alibi esse, quam in animis, potest. sic enim unaquæque una erit, nec contingent ulterius, quæ dicebantur. Quid ergo? inquit: quælibet notio una est? notio autem, nullius notio? At hoc impossibile. Sed cujusdam? Cujusdam sane. Existentis, vel non existentis? Existentis. Num unius cujusdam, quod notionem illam in omnibus sequentem intelligere licet, ideam unam? Prorsus. Præterea, nonne species erit, hoc quod intelligitur unum esse, semper in omnibus idem? Necessarium hoc quoque videtur. Quid vero? inquit Parmenides, an non necesse est, cum cetera speciebus participent, ex notionibus unumquodque constare, et intelligere singula? vel cum sint notiones, nihil tamen intelligere? Sed neque id, inquit, rationem habet. verum quam maxime sic ista mihi se habere videntur, has quidem species tanquam exemplaria in natura consistere; cetera vero iis similia fieri, atque esse simulacra, nec aliter ista speciebus participare, quam quod illis similia fiunt. Si quid igitur, ut ais, speciei simile est, num possibile est, speciem ipsam non esse similem ejus, quod ipsi simile factum est, quatenus ipsi factum est simile? an cogitari potest, simile non esse simili simile? Non certe. Simile autem nonne unius ejusdem speciei necessario particeps est, cujus et illud, cui simile sit? Necesse est. At quo similia participantia similia fiunt, nonne illud ipsa species erit? Omnino. Non igitur potest quidquam speciei simile esse, nec species alteri. nam præter ipsam speciem, species alia semper emergeret: quod si illa cuiquam [133] sit similis, alia rursus: nec unquam progressus iste cessabit: quin nova species semper occurret, si species participanti similis sit. Verissima loqueris. Non ergo per similitudinem cetera speciebus participant, sed alius quidam præterea quærendus est participandi modus. Apparet. Cernis, o Socrates, quanta sequitur ambiguitas, si

Digitized by Google

quis quasi species sint, ipsas secundum se ipsas distinguat? Et maxime, inquit. Scito insuper, te nondum, ut ita dixerim, comprehendere, quanta sit difficultas, si unumquodque existentium unam speciem semper quiddam distinguendo posueris. Quomodo id, inquit? Multa quidem alia sunt: sed hoc est maximum, si quis asserat illas dignosci non posse, cum sint tales, quales esse species oportere dicimus, eum sane, qui ista diceret, non posset aliquis redarguere, nisi multarum rerum peritus sit, qui dubitat, et ingeniosus, velitque præterea sequi demonstrantem, dum plurima longo ordine transigit: veruntamen nec etiam persuaderi poterit, qui ignotas illas esse coget. Cur, o Parmenides? ait Socrates. Quoniam, o Socrates, arbitror et te, et quemvis alium, quicunque essentiam quandam cujusque ipsam secundum se ipsam exsistentem ponit, nullam nobis inesse speciem concessurum. Quo enim pacto, inquit Socrates, ipsa secundum se ipsam esset? Recte loqueris. Nonne igitur quotcunque ex ideis invicem respiciunt quæ sunt, ipsæ ad se ipsas essentiam habent? non autem ad ea, quæ circa nos sunt, seu simulacra, sive quomodocunque illa quispiam nominet, quibus nos participantes singula esse denominamur? quæ vero circa nos sunt illis æquivoca, ipsa similiter ad se ipsa, non ad species, sunt, et sui ipsorum, non illarum, quæcunque rursus similiter nuncupantur. Quomodo dicis? inquit Socrates. Veluti si quis nostrum alicujus dominus aut servus sit, non ipsius domini, quod dominus est, servus exsistit: neque ipsius servi, quod servus est, dominus est, qui dominus dicitur: sed hæc utraque est tanquam homo. ipsa vero dominatio, servitutis ipsius exsistit id, quod est: et ipsa iterum servitus eodem modo, ipsius dominationis est servitus: nec ea, quæ nobis insunt, ad illa, nec etiam quæ illic sunt, ad nos referuntur; sed, ut dixi, ipsa sui ipsorum et ad se ipsa sunt; [134] et quæ hic sunt, similiter ad se ipsa respiciunt. intelligisne, quod dico? Prorsus intelligo. Nonne et scientia ipsa, quod scientia est, illius ipsius, quod est veritas, scientia est? Omnino quidem. Quælibet rursus scientiarum, quæ est, quod est, alicujus exsistentium est scientia, an non? Profecto. Scientia vero nostra, nonne veritatis, quæ circa nos, scientia erit? et rursus, unaquæque nostra scientia, uniuscujusque eorum, quæ circa nos sunt, scientia? Necesse est. Verumtamen ipsas species neque nos habere, neque circa nos esse posse, assentiris? Non profecto. Cognoscunturne ipsa scientiæ specie genera ipsa quæ singula sint? Certe. Quam speciem nos haud habemus. Non certe. Nulla igitur species a nobis cognoscitur, cum ipsius scientiæ participes minime simus. Non apparet. Ignotum itaque nobis ipsum pulchrum et ipsum bonum est, et omnia denique, quæ ut ideas esse supponimus. Videtur. Considera et hoc etiam gravius. Quidnam? Num fateris, si est ipsum quiddam scientiæ genus, multo illud præstantius esse hac nostra scientia? et ipsam pulchritudinem, ac reliqua, eodem pacto? Immo. Nonne si quid aliud est ipsius scientiæ particeps, nullum nisi Deum dices supremam habere scientiam? Necesse est. Num poterit Deus, cum ipsam scientiam sit amplexus, hæc nostra dignoscere? Cur non? Quoniam, inquit Parmenides, confessi sumus, o Socrates, neque species illas ad nostra vim habere, quam habent, neque nostra etiam ad superna; verum utraque ad se ipsa referri. Consensimus plane. Ergo si apud Deum suprema ipsa dominatio est, atque ipsa suprema scientia, nunquam aut dominatio ipsa nobis dominabitur, aut ipsa scientia nos, vel aliud nostrorum quidquam, cognoscet: sed et nos similiter Diis minime imperabimus imperio nostro, neque divinum quidquam scientia nostra percipiemus. Et illi item eadem ratione nec nostri erunt domini, neque res humanas, cum Dii sint, animadvertent. At nonne valde mirabilis, inquit, hic sermo videbitur, si quis Deum cognitione privaverit? Hæc quidem, o Socrates, inquit Parmenides, aliaque præ-

Digitized by Google

ter hæc multa, necesse est [135] speciebus contingere, si quidem hæ rerum ideæ sint, et aliquis ipsam quandam unamquamque speciem determinet. unde vacillat, quisquis hæc audit, ac dubitat, ne forte ideæ nihil sint omnino; vel si sint, necesse eas esse humanæ naturæ ignotas existimat, adeo ut, qui ista dicit, inferre aliquid videatur, et, ut paulo ante dixi, mirum est quam sit incredibile et viri admodum ingeniosi, percipere posse quod sit genus quoddam cujusque, et ipsa secundum se ipsam essentia cujusque; nec non mirabilioris viri officium est, hæc postquam invenerit, alios docere posse, sufficienter omnia discernentem. Assentior, o Parmenides, inquit Socrates: quæ enim dicis, menti meæ mirifice consonant. Veruntamen, inquit Parmenides, si quis, prædictis rationibus motus, species rerum existentium auferat, neque speciem ipsam uniuscujusque distinguat; haud sane reperiet, quo convertat intelligentiam, cum non permiserit ideam uniuscujusque rerum existentium eandem semper existere; et in hunc modum disserendi etiam facultatem funditus subvertet. talem quandam rationem tu quoque præcipue sensisse mihi videris. Vera dicis. Quid itaque de philosophia facies? quo, his ignoratis, te vertes? Haudquaquam discernere id in præsentia videor. Antequam exercitatus sis, o Socrates, definire aggrederis, quid pulchrum, justum, bonum, et aliarum quælibet specierum. hoc enim pridem animadverti, hic te audiens una cum hoc Aristotele disputantem. Pulcher sane atque divinus, mihi crede, impetus iste tuus, quo ad rationes advolas. ceterum collige te ipsum, diligentiusque te in ea facultate exerce, quæ inutilis esse videtur et a multis nugatio sive garrulitas nuncupatur, dum juvenis es: alioquin te veritas fugiet. Quis exercitationis hujusce modus est, Parmenides? Iste, inquit, quem a Zenone audisti. sed etiam illud tuum adversus hunc dictum miratus sum, cum diceres, non in iis, quæ oculis percipiuntur, eorumque errore cogitationem sistere oportere, sed ad ea conscendere, quæ quis maxime ratione comprehendere, ac species esse putaret. Neque in hunc modum arduum esse videtur, similia videlicet, atque dissimilia, ceteraque, quæ rebus existentibus competunt, explicare. Et probe quidem, dixisti. Est autem præter hoc illud etiam observandum, ut non modo si est aliquid supponas, ac deinde quæ proveniunt [136] ex suppositione consideres; verum etiam si non sit, id ipsum supponas, si perfectius exercitari volueris. Quo pacto id ais? Verbi causa, si velis circa istam suppositionem, quam Zenon invexit, si multa sint, quid eventurum est ipsis multis ad se ipsa et ad unum, et uni ad se ipsum et ad multa. ac rursus, si non sunt multa, iterum considerandum, quid accidat uni atque multis, tum ad se ipsa, tum invicem. et rursus, si supposuerit esse similitudinem, vel non esse, quid potissimum ex utraque suppositione contingat, tam iis, quæ supposita sunt, quam ceteris omnibus, ad se ipsa pariter, atque invicem. Eadem quoque de dissimilitudine ratio est, de motu, statu, generatione, corruptione, esse, atque non esse: et, ut uno verbo complectar, de quocunque supponitur aut esse, aut non esse, sive quamvis aliam passionem suscipere, considerandum sunt, quæ ex suppositione proveniant ad se ipsum, et ad quodlibet aliorum, quodcunque elegeris, et ad plura, et ad universa similiter: et alia rursus ad se ipsa, atque ad aliud, quodcunque assumseris; sive ut existens, sive ut non existens ipsum posueris, si modo absolute exercitatus veritatem sis penitus inspecturus. Arduum, inquit, opus adducis; nec te omnino intelligo. sed cur ipse non supponis aliquid, illud eo modo percurrens, ut clarius intelligam? Grande, o Socrates, onus seni imponis. Tunc Socrates: Cur non ipse, o Zenon, hanc rem discutis? Cui Zenon subridens respondit, Ipsum, o Socrates, oremus Parmenidem. neque enim leve quiddam est, quod ait. An non vides, quantum sit negotium, quod jubes? quod si plures essemus, haud sane id

Digitized by Google

postulare deceret. Indecorum namque, hujusmodi quædam in conspectu multorum tractare, atque id seni præcipue ignorant enim multi, quod absque hoc discursu ac pervagatione per omnia impossibile sit mentis veritati conjunctæ compotem fieri. Ego igitur, o Parmenides, una cum Socrate precor, ut et mihi etiam liceat tanto tempore transacto hæc audire. Cum vero hæc intulisset Zenon, retulit Antiphon dixisse Pythodorum, se quoque, et Aristotelem, ac reliquos omnes obsecravisse Parmenidem, ut, quod dixerat, demonstraret, neque aliter faceret. Tunc demum Parmenides, Necesse est, inquit, obtemperare, etsi mihi videor in id, quod passus est Ibycius [137] equus, incidere. cui profecto equo athletæ seniori, curruum subituro certamen, et propter experientiam eventum extimescenti, Ibycus ipse se conferens, Invitus, inquit, et ipse jam senex, ad amores regredi cogor. Eadem ratione ego mihi admodum trepidare videor, cum cogito, quo pacto possim jam grandis natu tam profundum disserendi pelagus transnatare. Obsequendum tamen, cum et Zenon ipse roget: iidem enim sumus. Unde igitur incipiemus? quidve primum supponemus? an vultis, postquam negotiosum ludum ingressi sumus, a me ipso meaque suppositione inprimis exordiar, de ipso uno supponens, sive unum sit, sive non, quid accidat? Prorsus, inquit Zenon. Quis igitur mihi respondebit? an junior? minus enim negotii præbebit, et quæ ipse sentit, maxime respondebit, ut ejus responsio minus me defatiget. Paratus sum, o Parmenides, Aristoteles inquit. me namque significas, dum juniorem respondere jubes. sed age, ut lubet, interroga me, tanquam libentissime responsurum. Age igitur, si unum est, non utique multa erit ipsum unum. At quo modo? Neque igitur partem esse illius aliquam, neque totum esse ipsum oportet. Curnam? Pars utique, totius pars est. Est. Quid vero? nonne totum est, cui nulla pars deest? Prorsus. Utrinque igitur ipsum unum ex partibus esset, totumque exsistens, ac partes habens. Necesse est. Utrinque rursus ipsum unum multa potius, quam unum esset. Verum. Oportet autem non multa, sed unum ipsum exsistere. Oportet sane. Itaque nec totum erit, neque partes habebit, si unum fuerit ipsum unum. Non certe. Si nullam habet partem, nec principium etiam, neque finem, neque medium habebit. partes enim ipsius hæc essent. Probe. Quin etiam principium et finis termini cujuslibet sunt. Quidni? Infinitum igitur ipsum unum, cum principio fineque careat. Infinitum. Ergo et absque figura. neque enim rotundi, neque recti particeps est. Cur? Rotundum porro id est, cujus extrema undique a medio æque distant. Id nempe. Rectum vero, cujus medium extremis utrisque præcedit. Sic est. Nonne partes haberet ipsum unum, multaque esset, si rectæ vel circularis figuræ esset particeps? Omnino quidem. Idcirco neque rectum est, neque rotundum, [138] cum partes etiam nullas habeat. Recte. Quin etiam cum tale sit, nusquam est. nam neque in alio, neque in se ipso esse potest. Quamobrem? Si in alio esset, circulo quodam ab eo, in quo esset, concluderetur, passimque ab illo, ac multis partibus tangeretur. At cum unum impartibile sit, et rotunditatis expers, impossibile est multifariam circulo tangi. Impossibile. Sin in se ipso esset, ipsum se ipsum complecteretur, non aliud quiddam quam ipsummet exsistens, si quidem in semetipso sit. non enim potest quidquam in aliquo esse, quin ab illo etiam comprehendatur. Impossibile certe. An non aliud quiddam esset ipsum ut comprehendens, aliud ut comprehensum? nunquam enim idem ipsum totum utraque hæc simul pateretur et ageret. quo fit, ut ipsum unum non unum ulterius, sed duo sit. Est, ut dicis. Nusquam igitur est ipsum unum, quandoquidem nec in alio, nec in semetipso est. Nusquam. Considera, quæso, num quod hujusmodi est, aut stare aut moveri valeat. Cur non? Quoni-

Digitized by Google

am, quod movetur, vel fertur, vel alteratur. hi quippe soli sunt motus. Esto. Si ipsum unum ex eo, quod est, alteretur, impossibile est alterius esse unum. Impossibile. Idcirco secundum alterationem non movetur. Non, ut videtur. Numquid secundum progressionem? Fortassis. Atqui si ipsum unum feratur, vel in eodem motu sphærico circumfertur, vel locum alium ex alio mutat. Necesse. Nonne quod circulo circumfertur, in medio consistere oportet, atque alias sui partes, quæ circa medium volvantur, habere? cui vero nec medium, neque pars ulla convenit, quomodo id cogitari potest in circulum circa medium volvi? Nullo pacto. An locum transiens, alias alibi fit, atque ita movetur? Forte. Num esse ipsum in aliquo, ut impossibile jam redargutum est? Immo. An non multo magis impossibile, ipsum in aliquo fieri? Non intelligo quomodo. Si in aliquo aliquid fit, necesse est nondum in illo penitus esse, si quidem adhuc in illo continue fiat: nec etiam extra illud prorsus exstare, si quidem in eo jam fiat. Necesse est. Si ergo aliud quidquam hoc patitur, id solum patitur, cujus partes aliquæ sunt. partim enim in illo jam est, quod patitur, partim simul extra. quod autem nullis partibus constat, nunquam in aliquo totum esse, ac totum simul abesse poterit. Vera. Quod vero neque partes habet ullas, neque totum est, multo magis etiam impossibile est, sive secundum partes, sive secundum totum alicubi fieri. Apparet. Ergo nec aliquo pergens, [139] nec alicubi ingrediens, locum mutat, neque in eodem revolutum, neque etiam alteratum. Non videtur. Secundum quemlibet igitur motum immobile est ipsum unum. Immobile. Præterea, ipsum unum in nullo esse posse asseveravimus. Asseveravimus. Haud igitur aliquando in eodem est. Quamobrem? Quoniam jam in illo esset, in quo eodem est. Prorsus. At vero nec in se ipso, neque in alio ipsum unum esse poterat. Non certe. Nunquam igitur ipsum unum in eodem exsistit. Nunquam, ut videtur. Quod vero nunquam in eodem exsistit, neque quietem agit, neque stat. Neque enim possibile. Idcirco ipsum unum nec stare, neque moveri videtur. Non apparet. Item nec alteri, neque sibi ipsi etiam idem est: rursusque nec a se ipso, nec ab alio quodam alterum. Quid ita? Si a se ipso alterum sit, ab uno alterum esset, nec esset unum. Vera. Et si alteri idem fuerit, illud quidem erit, nec ipsum, quod est: quapropter nec ulterius erit ipsum, quod unum, sed aliud quiddam præter unum. Sic est. Ideo idem alteri, vel a semetipso alterum dici nunquam debet. Nunquam plane. Sed neque alterum ab alio esse potest, donec unum est. neque enim uni congruit, ut ab aliquo alterum sit, sed soli ei, quod alterum est ab alio: alteri autem nulli convenit. Probe. Ex eo igitur, quod unum est, non erit alterum. an ipse putas? Nequaquam. Quod nisi hoc, non se ipso: si non se ipso, neque ipsum. ipsum vero, nullo modo alterum exsistens, a nullo alterum est. Recte. Neque tamen sibi ipsi idem erit. Cur non? Non ea est ipsius unius natura, quæ ipsius ejusdem natura est. Quare? Quia non, dum idem fit aliquid alicui, unum efficitur. Qua de causa? Quod multis idem fit, multa, non unum, fieri necesse est. Verum. At si ipsum unum atque ipsum idem nihilo discreparent, quoties quid idem fieret, unum quoque semper efficeretur: quotiesque unum, semper et idem. Et maxime quidem. Quapropter si ipsum unum sibimet idem fuerit, non unum sibi exsistet: atque ita unum exsistens, non unum erit. Impossibile id quidem. Impossibile igitur, ipsum unum, aut alterum ab alio, aut sibi ipsi idem esse. Impossibile. Hac itaque ratione, unum nec idem, nec alterum, aut sibi, aut alteri esse poterit. Non profecto. Sed neque simile, neque dissimile cuipiam, aut sibi, aut alteri. Quam ob causam? Quia simile est, quod ipsius ejusdem est particeps. Nempe. Ipsum tamen idem ab uno natura secerni, ex ante dictis apparuit. Apparuit certe.

Digitized by Google

[140] Verumtamen si quid præter id, quod est unum esse, ipsum unum recipit, patitur jam plura esse, quam unum. id autem impossibile est. Ita. Ob hanc causam nunquam ipsum unum, idem esse, vel sibi, vel alteri patitur. Non videtur. Ergo nec simile aut sibimet, aut alteri esse potest. Sic apparet. Nihilo tamen magis esse alterum sustinet: etenim plura, quam unum, esse contingeret. Plura sane. Quod alterum vel a se, vel ab alio fit, dissimile quoque aut sibi ipsi, aut alteri cuidam efficitur: quippe cum illud etiam, quod idem esse recipit, simile fiat. Probe. Unde ipsum unum, cum nullo modo susceperit alterum, nunquam quoque dissimile sive sibimet, sive alteri fiet. Nunquam profecto. Quamobrem nec simile, neque dissimile unquam aut sibi, aut alteri, ipsum unum est. Non, ut videtur. Præterea cum hujusmodi sit, nec æquale etiam, nec inæquale cuiquam, vel sibi, vel alteri. Quid ita? Quod æquale est, earundem mensurarum est, quarum et illud, cui æquale dicitur. Sic est. Quod majus est vel minus, quoad illa, quibus commensurabile est, minoribus quidem plures mensuras habet, majoribus autem pauciores. Certe. Quibus autem incommensurabile, quoad hæc quidem minorum, quoad illa vero majorum mensurarum erit. Quidni? Nonne impossibile est, quod nullo modo ipsius ejusdem est particeps, aut mensuras easdem, aut aliud quodvis idem sortiri? Impossibile. Itaque nec sibi, nec alteri erit æquale: quippe cum mensuris eisdem non utatur. Minime, ut apparet. Quin etiam si pluribus aut paucioribus mensuris circumscribetur, totidem partibus, quot et mensuris, constabit: rursusque non amplius unum erit, sed tot potius, quot et mensuræ insunt. Recte. Quod si unius mensuræ sit, æquale utique ipsi mensuræ fieret. verumtamen impossibile esse apparuit, ipsum unum æquale cuiquam esse. Apparuit certe. Quod igitur nec unius mensuræ est particeps, neque multarum, neque etiam paucarum, nec ullo modo ipsius ejusdem, nunquam sibi ipsi, ut videtur, erit æquale, nec etiam alteri: nec majus præterea, aut minus, vel semetipso, vel alio. Sic prorsus se habet. An forte antiquius, aut junius aliquo, vel etiam coætaneum ipsum unum apparet? Quid prohibet? Id sane, quoniam si eandem ætatem vel secum, vel cum aliquo quopiam aget, æqualitate et similitudine temporis participabit. ostensum est tamen, nec æqualitatem, nec similitudinem ipsi uni ullam adesse posse. Ostensum profecto. Nonne hoc quoque diximus, nec inæqualitatis, neque dissimilitudinis compos existere? Quam maxime. Quo igitur pacto, quod hujusmodi est, [141] senius aut junius aliquo, vel ætate par ulli esse poterit? Nullo modo. Ergo ipsum unum non junius, non senius, non ætate par, aut ad se ipsum, aut ad aliud erit? Non apparet. Item nec in tempore etiam ullo pacto ipsum unum, cum tale sit, erit unquam. etenim necesse est, quidquid est in tempore, se ipso semper senius fieri. Necesse. Et quod senius, semper juniori senius. Cur non? Itaque quod se ipso fit senius, se ipso etiam simul junius fit: siquidem aliquo senius esse debet. Quomodo dicis? Hoc modo. oppositum alterum alteri nihil fieri oportet, opposito altero jam exsistente: sed hoc jam exsistente jam esse, præterito illo præteriisse, futuro fore: dum vero fit unum oppositum, alterum quoque oppositum, nec præteriisse, nec fore, nec esse, diversum est, sed fieri, nec aliter esse. Necesse. At vero senius oppositum quiddam est juniori, nec alteri penitus ulli. Est. Quod ergo se ipso fit senius, necesse est simul quoque se ipso junius fieri. Videtur. Quin etiam nec longiori se ipso tempore, neque breviori fieri; sed per æquale semper tempus secum ipso fieri, et esse, et fuisse, futurum esse, ac fore. Necessaria quoque hæc sunt. Necessarium ergo videtur, quodlibet eorum, quæ in tempore sunt, atque hoc tali participant, eandem secum ipso ætatem agere, ac senius se ipso simul et junius fieri. Apparet. Ipsi vero uni nulla pror-

Digitized by Google

sus ex iis passionibus accidit. Nulla. Nullius ergo temporis particeps, nec in aliquo tempore. Non sane, ut ratio dictat. Quid igitur? ipsum erat, fuit, fiebat, nonne participationem temporis quandoque præteriti significare videntur? Quin immo. At vero erit, fiet, factum fuerit, an non futurum nobis designant? Futurum. Est autem et fit, præsentis sunt temporis notæ. Omnino quidem. Si ergo ipsum unum nullo prorsus participat tempore, nec fuit unquam, nec fit, neque est, neque fiet, neque factum erit, neque erit. Verissima hæc sunt. Num potest quidquam essentia aliter, quam secundum istorum aliquod, participare? Non aliter. Nullo modo igitur est ipsum unum. Haudquaquam videtur. Non itaque ita est, ut sit unum. esset enim jam ens et essentiæ particeps: immo, ut videtur, ipsum unum neque unum est, neque est, si quid huic rationi credendum. Apparet. [142] Ei vero, quod non est, num est vel ipsi vel ipsius aliquid? At quomodo? Non itaque nomen illi est, non sermo, non scientia quædam, non sensus, non opinio. Non videtur. Quapropter nec nominatur, nec dicitur, nec opinione cogitatur, nec cognoscitur, neque ab aliquo ex iis, quæ sunt, sentitur. Haud sane videtur. An possibile est, ista circa ipsum unum sic se habere? Non, ut mihi videtur. Visne iterum, ad ipsam positionem velut a principio redeamus, considerantes, si quid forte redeuntibus nobis aliter se habere videatur? Volo equidem. Nonne si ipsum unum est, confessi sumus, quæ circa illud eveniunt, cujusmodi esse oporteat? Profecto. Meditare iterum a principio. unum si est, numquid possibile est, ipsum esse, essentia vero nequaquam participare? Impossibile. Essentia autem unius, non idem, quod ipsum unum erit. alioquin si idem, non utique illius essentia esset, neque ipsum unum illa participasset, sed quoties proferretur unum esse, simile quiddam significaretur, ac si unum diceremus. nunc autem non est hujusmodi suppositio nostra, scilicet si unum, quidnam eventurum sit, sed si unum est. nonne ita? Prorsus sic est. Nonne ita dicitur, tanquam aliud significet ipsum est, aliud ipsum unum? Necesse. Num aliud quam quod ipsum unum essentia ipsa participat? hoc enim est quod profertur, quotiens quis summatim quod unum est profert. Omnino. Rursus itaque dicamus, unum si est, quidnam contingat. Age, id adverte. an non necesse est, hanc suppositionem ipsum unum ejusmodi prædicare, quasi partes habeat? Quonam modo? Hoc. Si ipsum est de uno ente dicitur, et ipsum unum de ente uno: est autem idem essentia et unum, eodem existente uno, quod supposuimus: nonne necesse est, totum quidem unum, ens ipsum esse, ejusque partes tam unum quam esse existere? Necesse. Utrum vero utramque harum partium, partem dumtaxat appellamus? an partem, totius partem prædicare oportet? Totius. Totum igitur est, quod unum est, ac partem habet. Penitus. Quid autem? num hæ partes unius entis, scilicet unum et ens, ita se invicem deserunt, ut ipsi enti unum, et ipsi uni ens desit? Non certe. Igitur utraque pars et unum simul et ens complectitur: adeo ut pars quælibet ex duabus saltem particulis constituatur: et secundum eandem rationem quæcunque particula occurrit, utraque semper in ea claudantur. etenim unum semper ens, et ens unum matuis nexibus amplectuntur. unde, cum ubique in quavis particula duo emergant, necesse est [143] nunquam unum exsistere. Omnino. Nonne hac ratione unum ens, infinita multitudo erit? Videtur. Age, quæso, et hac perge. Qua? Diximus, unum essentia participare, in quantum est? Diximus. Et ob hanc causam unum ens multitudo esse apparuit. Sic est. Quid autem? si ipsum unum, quod essentiæ particeps esse diximus, ipsum secundum se ipsum solum intelligentia cogitemus, seorsum ab illo, quo participare prædiximus: numquid unum solum apparebit? vel etiam multa hoc ipsum? Unum solum, puto. Consideremus jam et aliud quiddam.

Digitized by Google

Alterum quiddam esse necesse est ipsius essentiam, alterum vero ipsum : si quidem non essentia ipsum unum, sed ut unum essentia participat. Necesse est. Quod si alterum essentia, alterum unum : ipsum unum non ex eo, quod unum, ab essentia alterum est : neque essentia, in quantum essentia, ab uno est altera : sed per id, quod est ipsum per se alterum, et ipsum per se aliud, altera sunt invicem. Prorsus. Quamobrem ipsum alterum nec uni, nec essentiæ idem est. Verum. Quid ergo ? si ex istis elegerimus sive essentiam et alterum, seu essentiam et unum, sive unum et alterum : nonne in qualibet assumtione eliciemus aliqua, quæ jure ambo appellari poterunt ? Quomodo ? Hoc modo, inquam. licetne essentiam dicere ? Licet. Rursusque dicere unum ? Et istud. Nonne utrumque illorum dictum est? Dictum utrumque. Quoties essentiam et unum dico, an non ambo dico ? Dicis. Et si essentiam atque alterum, sive alterum atque unum, nonne in iis singulis ambo dico ? Prorsus. Quæ vero ambo recte appellata sunt, numquid possunt ambo esse, neque tamen esse duo ? Nequaquam. At quæ duo sunt, cogitarine ita possunt, ut non illorum utrumque unum sit ? Minime. Quoniam igitur ista simul duo sunt, idcirco unumquodque unum exsistit. Videtur. Si unum quodlibet eorum est, et utrumque unum mutuo quodam conjugio invicem est connexum, nonne tria universa resultant ? Maxime. Tria vero nonne imparia, duo autem paria ? Quidni ? Et cum duo sint, nonne necesse est, etiam bis adesse : et cum tria, ter ? si quidem duobus inest bis unum, tribus vero ter unum. Necesse. Duobus denique exsistentibus ac bis, necesse est duo bis esse : et tribus exsistentibus atque ter, nonne necesse est rursus tria ter esse ? Quidni ? Quid vero ? tribus exsistentibus atque bis, et duobus atque ter exsistentibus, necesse est tria bis esse, ac bis tria ? Necesse est omnino. Erunt igitur pariter paria, impariterque [144] imparia, nec non imparia pariter, et impariter paria. Certe. Si hæc ita se habent, num putas, ullum numerum relinqui, qui non necessario illic insit ? Nullum. Idcirco, si est unum, necesse est et numerum esse. Procul dubio. Item, si numerus est, multa utique sunt, et infinita entium multitudo : aut non infinitus numerus multitudine, et particeps essentiæ fit ? Maxime. Quod si totus ipse numerus est essentiæ particeps, unaquæque etiam particula numeri essentia participabit. Prorsus. Per omnia ergo, quæ multa sunt, essentia distribuitur, nec ab aliquo eorum, quæ sunt, abest, seu minimum hoc sit, sive maximum. Atque id dubitare absurdum est. quomodo enim essentia ab aliquo eorum, quæ sunt, abesse potest ? Nullo. Divisa est igitur, quoad fieri potest, in minima et maxima, atque in omnia, quæ quomodocunque sunt, maximeque omnium distributa, et infinitæ sunt essentiæ partes. Sic se res habet. Plurimæ igitur illius partes sunt. Plurimæ certe. Quid vero ? estne quidquam ex istis, quod quidem pars essentiæ sit, non tamen pars ipsa unum quiddam sit ? At quo pacto id fieret ? Verum postquam, ut arbitror, est, necesse est ipsam semper, quamdiu est, unum aliquid esse : nihil autem esse, impossibile est. Absque dubio. Non solum ergo universæ essentiæ, sed illius etiam singulis partibus unum adest, partem nullam deserens, sive major illa quidem, seu minor sit, sive quomodocunque se habeat. Sic est. Numquid cum sit unum, ubique simul est totum ? diligenter id inspice. Intueor, atque hoc esse impossibile video. Divisum itaque, nisi totum. neque enim aliter universis simul essentiæ partibus, quam divisum, aderit. Sic est. Ceterum, quod partibile est, necessario totidem est, quot partibus constat. Necessario. Hac de causa haud recte paulo ante dicebamus, essentiam in partes plurimas distributam : quippe cum non in plures, quam ipsum unum, sed pares, discreta sit. neque enim ens uni, neque unum enti deest ; sed duo hæc potius per omnia penitus coæquantur. Omnino sic apparet. Ipsum ita-

Digitized by Google

que unum ab essentia distributum, infinita multitudo est. Patet. Non modo igitur unum ens multa est, sed et ipsum unum ab essentia distributum, multa esse oportet. Oportet sane. Quin etiam ex eo, quod omnes partes, totius partes sunt, terminatum secundum totum unum erit. an non comprehenduntur omnes a toto particulæ? [145] Comprehenduntur. Quod autem comprehendit, terminus est. Est. Propterea unum ens, unum quodammodo est et multa, totumque et partes, nec non finitum et multitudine infinitum. Apparet. Nonne, cum terminatum sit, extrema quoque habet? Necessarium est. Præterea, si totum est, principium mediumque et finem habebit? num totum aliquid absque his tribus reperiri potest? et si quid ipsorum ab eo, quod unum, distat, totumne ulterius erit? Minime. Quamobrem principium mediumque et finem unum habet. Habet. Medium vero æquo intervallo ab extremis undique distat. non enim aliter esset medium. Non certe. Præterea, cum tale sit unum, figuræ cujusdam est particeps, seu rectæ, sive rotundæ, sive alterius ex utrisque compositæ. Particeps procul dubio. Quin etiam si hujusmodi est, ipsum in se ipso et in alio erit. Quonam pacto? Quælibet pars in toto est, nec extra totum penitus ulla. Esto. Singulæne partes sub toto clauduntur? Ita. At unum cunctæ suæ partes exsistit, nec quid plus vel minus, quam universæ. Sic est. Nonne et totum unum est? Quidni? Si omnes partes toto clauduntur, estque omnia unum et ipsum totum, continentur autem sub toto singula, ab uno utique unum continebitur, atque ita unum ipsum in semetipso jam erit. Videtur. Verumtamen totum in partibus minime est, neque in omnibus, neque in aliqua. si enim in omnibus, necesse est et in una: et si in una quadam non sit, in cunctis esse non poterit. si autem hoc quidem unum cunctis constat, et in eo totum non uno, quo pacto amplius in omnibus erit unum? Nullo. Sed nihilo magis in partibus quibusdam. nam si quibusdam totum insit, majus in minori erit. id autem impossibile. Impossibile. Cum igitur totum nec in pluribus, nec una, neque etiam cunctis partibus insit, an non necesse est, ipsum esse in alio quodam, nusquam exsistere? Necesse. Nonne, si nusquam sit, nihil vel penitus erit? et tamen cum totum sit, neque sit in se ipso, restat, ut consistat in alio? Penitus. Qua igitur unum totum est, in alio est: qua vero omnia partes ejus sunt, et ipsum cunctæ partes, est ipsum in se ipso. ideoque necesse est, unum tum in se ipso, tum etiam in alio esse. Procul dubio. Et cum talis sit unius natura, an non necessario sequitur, ut stet atque etiam moveatur? Curnam? Stat quippe, siquidem ipsum in se ipso consistit. etenim inhærens uni, nec ex eo [146] digrediens, in eodem est in semetipso. Est profecto. Verum quod in eodem semper est, stare semper oportet. Oportet. At quod in alio semper, contra necesse est nunquam in eodem esse. si nunquam in eodem, nunquam præterea staro: quod vero non stat, moveri oportet. Sic est. Necesse est igitur, unum, cum in se ipso semper et in alio sit, semper quoque stare atque moveri. Videtur. Quin etiam idem oportet ipsum sibi ipsi esse, et a se ipso alterum, et quoad alia similiter idem et alterum: si modo, quæ supra dicta sunt, illi competunt. Qua ratione? Omne quidem ad universum sic se habet. vel enim idem est, vel aliud. si non idem, aut aliud, pars utique erit illius, adversus quod ita se habet, vel ut totum ad partem erit. Patet. Numquid ipsum unum sui ipsius pars est? Nequaquam. Non igitur quoad se ipsum totum erit, quasi pars sui sit. Neque enim possibile. An forte alterum est unum ab uno? Minime. Non itaque a se ipso alterum. Non certe. Si nec alterum, nec totum, neque pars, quoad se ipsum est, quid jam aliud restat, quam ut idem sibi sit? Isthuc ipsum. Quid vero? quod alibi est, quam ipsummet in codem existens in semet ipso, nonne cogitur alterum a se ipso fieri, si quidem alibi, quam ipsummet, exsistat?

Digitized by Google

Mihi quidem videtur. Hujusmodi plane patuit esse unum, in se ipso scilicet, et in alio esse. Patuit profecto. Ex hoc igitur constat, unum esse a se ipso alterum. Videtur. Si quid vero ab aliquo alterum est, nonne ab altero alterum? Necesse. Quæcunque unum minime sunt, num ab uno altera, et unum alterum ab iis, quæ non unum? Quidni? Ideo unum ab aliis omnibus alterum apparebit. Alterum. Aspice præterea, num alterum ipsum, et ipsum idem contraria invicem sint. Cur non? Voletne unquam idem in altero, vel alterum in eodem consistere? Nunquam. Ergo si nunquam alterum in eodem est, nihil ex iis, quæ sunt, in quo per aliquod tempus ipsum alterum sit. nam si per aliquod tempus sit in aliquo, per id tempus in eodem ipsum alterum erit. an non? Certe. Postquam vero nunquam in eodem constat, nunquam profecto in aliquo eorum, quæ sunt, ipsum alterum erit. Vera dicis. Idcirco nec in iis, quæ non sunt unum, nec in uno erit alterum. Non sane. Sequitur, ut unum ab iis, quæ non unum, et quæ non unum ab uno per ipsum alterum altera esse nequeant. Sequitur plane. Quod nisi participent ipso altero, altera secundum se ipsa invicem esse non poterunt. At quonam pacto? [147] Atqui si nec se ipsis, nec ipso altero altera sunt, altera esse invicem nullo pacto possunt. Nullo. Præterea quæ unum non sunt, uno minime participant. neque enim essent non unum, sed quodammodo unum. Verum. Hanc ob causam quæ non sunt unum, neque etiam numerus sunt. alioquin non penitus unius essent expertia, si quem numerum habeant. Non certe. An vero quæ non sunt unum, partes unius sunt? an sic forte uno participarent, quæ non sunt unum? Participarent. Si itaque hoc quidem omnino unum est, illa vero non unum, nec pars unum erit eorum, quæ non unum, neque totum ad illa, quasi ipsa sint partes: neque rursus quæ non unum, unius particulæ, neque etiam tota, quasi unum pars exsistat. Non profecto. Ceterum asseruimus, quæ neque tota, neque partes sunt, neque invicem altera, eadem invicem esse debere. Asseruimus. Fatemurne igitur, unum, cum ita ad ea, quæ non unum, se habeat, illis idem esse? Fatemur. Ergo unum, ut videtur, alterum quiddam est ab aliis et a se ipso, rursusque sibi et illis idem. Sic ratio persuadet. Numquid simile quoque et dissimile sibi ipsi ac ceteris? Forte. Postquam alterum ab aliis esse patuit, alia quoque ab illo altera erunt. Quid prohibet? An non ita ab aliis alterum, ut ab illo et alia? nec magis quidquam, neque minus? Quidni? Si nec magis nec minus, restat, ut similiter. Similiter. Porro si uni contigit, ut alterum sit ab aliis, eodem modo, quo ab illo alia: ex hoc sequitur, ut eadem conditio quædam tam uni, quam aliis, competat. Quid ais? Hoc, unumquodque nomen nonne suum habet significatum? Habet. Idem vero nomen, vel sæpius vel semel pronuntias. Equidem. Utrum quando semel profers, illud appellas, cujus est nomen: quando vero sæpius, non illud? an potius, sive semel, seu sæpe nomen idem pronuncies, necesse est, te semper idem innuere? Idem semper. Nonne et ipsum alterum nomen est ad proprium aliquid significandum impositum? Est. Quoties igitur nomen hoc profers, sive semel, sive sæpius, non ad aliud refers, neque aliud quidquam nominas, quam id, cujus hoc nomen est. Necesse. Quando itaque dicimus, alterum esse unum ab aliis, et illa ab uno altera, bis nomen hoc *alterum* pronuntiantes, nunquam ad aliud quiddam significandum inducimus, quam naturam, cujus proprium nomen est. Omnino quidem. Si ergo unum alterum est ab aliis, et alia ab uno altera, [148] patiens illud idem alterum, quod in aliis est, secundum illud, non secundum aliud quiddam, alterum est ab aliis unum: quodcunque vero idem patitur, simile est. an non? Immo. Secundum quod autem unum habet, ut sit ab aliis alterum, secundum hoc idem quodlibet cuilibet simile est: quodlibet enim est a quolibet alterum. Videtur.

Digitized by Google

Estne simile dissimilibus contrarium? Est sane. Nonne et ipsum alterum ipsi eidem? Et istud. Verumtamen hoc etiam patuit, quod ipsum unum aliis idem. Patuit plane. Contraria vero passio est, esse aliis idem, et esse ab aliis alterum. Nimium. Qua tamen alterum, simile apparuit. Et hoc. Qua igitur idem, dissimile erit secundum passionem contrariam passionis illius, quæ simile fecerat. simile autem nonne faciebat ipsum alterum? Prorsus. Ipsum ergo idem dissimile reddet: alioquin ipsius alterius contrarium minime erit. Apparet. Ex iis concluditur, unum simile atque dissimile aliis esse: qua sane alterum, simile; quave idem, dissimile. Talem, ut videtur, rationem habet. Et hanc quoque habet. Quam? Ut qua idem passum est, non alienum sit passum: si non alienum passum fuerit, neque dissimile etiam: si non dissimile, restat, ut simile: sin autem aliud susceperit, et alienum: si alienum, etiam dissimile sit. Vere dicis. Unum ergo et quia ceteris idem, et quia alterum, secundum ambo hæc et secundum horum utrumque simile atque dissimile aliis erit. Maxime. Nonne et sibi ipsi eodem modo, siquidem alterum a se ipso, et sibi ipsi idem apparuit, secundum ambo atque utrumque simile pariter atque dissimile apparebit? Nimium est. Considera præterea, quæso, quonam pacto unum ad tangendum, vel non tangendum se ipsum, et alia sese habeat. Considero equidem. Ipsum unum in se ipso toto esse constitit. Probe. An non et in aliis unum? Et in aliis. Quatenus igitur in aliis, alia tangit: quatenus in se ipso, tangere quidem alia impeditur, se ipsum vero tangit, cum in se ipso sit. Apparet. Hac utique ratione unum et se, et alia tangit. Tangit. Quid vero ad hæc? nonne quodcunque tacturum aliquid est, prope illud, quod tacturum est, jacere oportet, atque eam sedem occupare, quæ sequitur illius sedem, in qua cum primum fuerit, tanget? Necessarium hoc est. Ideo unum quoque, si se tangere debet, continuo post se ipsum exstare oportet, proximam loco, in quo ipsum est, sedem occupans. Oportet omnino. Nonne unum, si duo essent, hæc efficeret, et duobus simul in locis exsisteret: [149] donec vero unum est, minime? Est, ut dicis. Eadem ergo necessitas efficit, ut unum nec duo sit, neque sese tangat. Eadem. At nihilo magis alia tanget. Quamobrem? Quoniam diximus, quod tacturum aliquid est, seorsum positum, proximum illi, quod tangendum est, esse oportere, tertium vero præter ista intermedium nullum. Vera. Quapropter duo saltem adesse oportet, quoties futurus est tactus. Oportet. Sin autem præter terminos duos tertium quiddam medium intervenerit, tria quidem per ordinem subsequentur, tactus autem gemini. Prorsus. Atque ita semper uno quodam adjecto, unus quoque tactus adjicitur. ex quo contingit, ipsos tactus a numerorum multitudine uno exsuperari: quanto enim prima duo tactus ipsos exsuperarunt, ita ut plura numero, quam tactus essent, tanto deinceps universus numerus universos tactus excedit. Etenim in posterum unum simul additur numero, et unus tactus tactibus ipsis apponitur. Recte. Quot igitur ea, quæ sunt, numero sunt, totidem semper et tactus, uno duntaxat excepto. Vera loqueris. Itaque si unum esset solum, nec usquam duo, tactus quoque nullus esset. Quonam modo? Diximus, quæ alia sunt ab uno, nec esse unum, nec uno etiam participare, donec alia sint. Diximus. Ex iis conficitur, ut non sit in aliis numerus unus, quippe cum unum illis minime adsit. Enimvero quo pacto id fieri posset? Unde alia nec sunt unum, nec duo, nec alio quovis numero designata. Non sane. Ipsum igitur unum solummodo unum est, duo autem non sunt. Non, ut apparet. Et si duo non sunt, tactus quoque nullus erit. Nullus. Ergo nec unum alia tangit, nec illa unum, nullo exsistente tactu. Non prorsus. Omnibus iis de causis, unum se et alia tangit pariter, et non tangit. Sic videtur. An est præterea

Digitized by Google

æquale pariter et inæquale, tum sibi, tum etiam ceteris? At quo pacto? Si majus esset, vel minus unum, quam alia, aut alia rursus majora, sive minora, quam illud, non utique unum ex eo quod unum, et alia ex eo quod alia, quam unum, aut majora aut minora invicem ex ipsis suis essentiis essent? verum si præter rationes suas utraque æqualitatem insuper haberent, æqualia invicem exsisterent. sin hæc quidem magnitudinem, illa parvitatem, aut ipsum unum magnitudinem, alia parvitatem haberent: cuicunque speciei magnitudo adesset, major exsisteret; cuicunque parvitas, minor. Necesse. Nonne sunt duæ quædam hujusmodi species, magnitudo et parvitas? etenim nisi essent, nunquam contrariæ invicem exsisterent, ac rebus ipsis inessent. Est, ut dicis. [150] Igitur si uni parvitas accedit, vel toti uni, vel parti cuipiam insidet. Necessarium. Si toti insederit, vel æqua extensione per integrum unum intus amplificabitur, vel externis limitibus circumplectetur. Plane. Ex æquo profecto uni infusa parvitas, æqualis procul dubio uni erit: circumplectens autem, major. Quidni? Num potis est parvitas æqualis cuiquam esse, vel amplior? effectusque magnitudinis et æqualitatis inferre, et ab officio suo desistere? Impotens procul dubio. Unde concluditur, in toto uno parvitatem esse non posse. restat forsitan, ut sit in parte. Restat. Non tamen in tota parte. eadem porro efficeret adversus partem, quæ et adversus totum effecerat. quippe vel æqualis erit, vel major illa ipsa parte, cuicunque insit. Necessario sequitur. Nulli igitur unquam rei parvitas inhærebit, cum neque parti, neque toti inhæreat. ex quo fit, ut nihil futurum sit parvum, præter ipsammet parvitatem. Videtur. Sed neque etiam magnitudo inerit: quippe aliud quidquam præter ipsammet magnitudinem majus esset, utputa id, cui inerit magnitudo. verumtamen nihil est parvum, quod quidem superari oportet a magno, si quid magnum sit. etenim quo pacto parvum aliquod reperies, cum parvitas in nullo resideat? Vera loqueris. Quin etiam magnitudo ipsa nullo erit alio major, quam parvitate: neque parvitas ipsa alio quopiam, quam ipsa magnitudine, minor. Nullo. Quamobrem cetera præter unum, nequa majora, neque minora, quam unum, erunt, cum magnitudinis parvitatisque expertia sint. neque habebunt hæc duo adversus ipsum unum vim aliquam, qua vel excedant, vel excedantur, sed inter se ipsa id efficient. neque etiam ipsum unum, aut hisce duobus, aut aliis quibuslibet majus, vel minus erit: utpote quod tam magnitudinis, quam parvitatis, est expers. Sic utique apparet. Ideoque cum nec majus nec minus sit unum, quam cetera, nec superabit alia, neque ab aliis superabitur. Absque dubio. Nonne quod nec superat, nec superatur, necessario sequitur, ut æque se habeat? et si æque, ut æquale sit? Immo. Præterea et ad se ipsum si se ipsum unum habet, ut expers et magnitudinis et parvitatis, nec se ipsum exsuperet, nec a se ipso exsuperetur, sed æque se habens, æquale semper sibi sit. Et maxime quidem. Itaque unum sibi ceterisque æquale. Videtur. Verumtamen cum unum in se ipso sit, extrinsecus sese circuit, atque ita se complectens, se ipso amplius exstat: cumque etiam comprehendatur, angustius est. [151] quo fit, ut unum tum majus, tum etiam minus se ipso sit. Fit utique. Nonne hoc quoque necessarium est, nihil scilicet præter unum et alia reperiri? Necessarium. Item, quidquid est, an non semper alicubi esse oportet? Oportet. Insuper, quod in aliquo est, nonne semper in majori minus? neque enim aliter aliud esset in alio. Est, quod dicis. Postquam vero nihil est præter unum et alia, oportetque ista in aliquo esse, nonne in se invicem hæc vicissim esse necesse est? aliaque in uno, et in aliis unum? aut nusquam prorsus exsistere? Constat. Quia ergo unum est in aliis, idcirco alia majora sunt, quam unum, utpote quæ unum continent: unum autem aliis minus, ex eo quod continetur: quia vero alia in uno sunt, unum aliis

Digitized by Google

ob eandem rationem majus est, illa vero minora. Videtur. Unum itaque æquale, majusque et minus se ipso et aliis est. Apparet. Atqui si majus et minus et æquale, æqualium erit mensurarum, pluriumque et pauciorum, quoad se ipsum atque ad alia: et, si mensurarum, partium etiam. Quid prohibet? Easdem ergo mensuras, pluresque et pauciores habens, numero quoque plus atque minus erit et ad se ipsum, et ad cetera: nec non æquale sibi atque aliis ob easdem causas. Quonam pacto? Quibus majus est, plures, quam illa, mensuras habet: quotque mensuras, totidem et partes: et quibus minus est, eodem modo; quibusve æquale, similiter. Sic est. Nonne, cum se ipso majus minusque sit, et æquale, æqualium mensurarum pluriumque et pauciorum, quoad se ipsum est particeps? et postquam mensurarum, etiam partium? Quidni? Habensque partes sibi ipsi æquales, multitudine etiam æquale sibi erit: plures vero plus, pauciores denique minus numero semetipso? Videtur. An non ad alia similiter se unum habebit? quia majus illis apparet, necesse est plus, quam illa, numero esse: quia vero minus magnitudine, etiam numero minus: quia denique æquale in magnitudine, numero quoque par esse. Necessario fit. Hac iterum ratione, unum, par, plus, minus, secundum numerum se ipso erit, ac ceteris. Erit sane. Numquid et tempore unum participat, estque et fit junius ac senius se ipso simul et aliis? et rursus contra nec junius neque senius se ipso, vel aliis, dum participat tempore? At quomodo id fieri potest? Esse profecto illi competit, si quidem unum est. Competit. Ipsum esse autem quid aliud est, quam essentiæ cum præsenti tempore participatio: quemadmodum ipsum erat [152] cum præterito, et ipsum erit cum futuro, essentiæ ipsius communicatio? Isthuc ipsum. Ergo si ipso esse participat, necesse est temporis quoque esse particeps. Nimiram. Nonne fluentis temporis? Certe. Semper ergo senius se ipso fit, si quidem secundum tempus percurrit. Necesse. Recordamurne, quod senius semper fit, senius eo, quod junius, fit? Recordamur. Nonne igitur, postquam unum se ipso fit senius, se ipso dum junius fit, fit et senius? Necessarium est. Fit ergo per hunc modum junius se ipso ac senius. Fit. Senius autem nonne tunc est, quando præsens jam tempus attingit, quod medium est ipsius erat et erit? neque enim currens ex precedente in posterum, præsens ipsum supergreditur. Non certe. An non desinit tunc fieri senius, cum primum præsens tangit? nec tum fit, sed est jam senius? procedens enim, ab ipso præsenti nequaquam comprehenditur, quod namque procedit, sic se habet, ut utrumque, præsens scilicet futurumque, attingat; præsens quidem relinquens, futurum apprehendens, inter utramque medium præsens futurumve cadens. Vera. Si vero necesse est, quodcunque fit, ipsum præsens minime transgredi, cum primum illud nactum est, fieri desinit, estque tunc jam illud, quod fiebat. Apparet. Unum igitur quando senius factum, ipsum præsens assequitur, desistit fieri, estque jam senius. Omnino. An non illo senius est, quo fiebat senius? fiebat autem se ipso. Ita. Senius vero juniori senius? Est. Junius ergo se ipso tunc est unum, quando senius factum, præsens assequitur. Necesse. Ipsum præterea præsens semper uni adest per universum esse. semper enim est præsens, quamdiu est. Quidni? Semper ergo unum est, et fit junius atque senius semetipso. Videtur. Quin etiam longiusne, vel brevius tempus est, aut fit, quam ipsummet; an potius æquum? Æquum. Verum quod æquale tempus est, aut fit, eandem agit ætatem. Quid prohibet? Quod autem eandem ætatem implet, neque senius neque junius est. Nequaquam. Quapropter unum, cum æquale tempus ad se ipsum et sit, et fiat, neque senius, neque junius se ipso, aut est, aut efficitur. Haud sane mihi videtur. Quo autem modo ad alia se habet? [153] Nescio, quid dicam. Hoc tamen potes dicere, quod alia ab uno, si quidem altera sunt, non alterum, plura sunt.

Digitized by Google

quam unum. nam si alterum, unum essent: altera vero cum sint, plura quam unum sunt, et multitudinem habent. Habent prorsus. Multitudo autem majorem numerum, quam unum, habet. Certe. Quid vero? ex iis, quæ ad numerum spectant, quænam prius fieri ac facta fuisse dicemus? num quæ plura sunt, an quæ pauciora? Quæ pauciora. Quod ergo paucissimum, primum: id autem est unum. an non? Immo. Unum ergo primum factum omnium, quæ numerum capient. habent autem cetera omnia numerum, si quidem alia sunt, non aliud. Habent profecto. Primo autem factum, prius fuit: alia vero, posterius. posterius autem facta, juniora sunt, quam quod ante factum: ideoque alia hoc pacto juniora, quam unum sunt, unumque illis antiquius. Certe. Quid autem ad hoc? Num unum effici præter naturam suam potest: vel id potius impossibile? Impossibile. Verumtamen partes habere unum apparuit. quod si partes, principium quoque, medium que, et finem. Plane. Nonne omnium primo principium fit, et unius, et reliquorum cujusque? ac post principium cetera usque ad finem omnia? Quidni? Fatemurne, hæc reliqua omnia partes totius atque unius esse? et illud ipsum una cum fine unum totumque factum fuisse? Fatemur. Finis tandem, ut arbitror, postremo fit: cumque hoc simul unum secundum sui naturam completur. quamobrem si necesse est, unum haud præter naturam suam effici, cum fine simul confectum, postremum omnium naturæ suæ jure perficitur. Apparet. Junius itaque aliis unum est, aliaque uno antiquiora. Sic iterum mihi videtur. Quid autem? principium aut aliqua alia pars sive unius, sive cujuslibet alterius, si modo pars, non partes sit, nonne unum est, si quidem pars existit? Necessarium istud est. Ex hoc sequitur, unum simul cum primo effecto fieri, simulque etiam cum secundo, ac etiam reliquorum, quæcunque fiunt, nulli unquam decesse, donec ad extremum usque percurrens unum totum fiat, non a primo, non a medio, non ab ultimo, non ab alio prorsus ullo in generatione exclusum. Verum. Eandem ergo unum, quam et cetera omnia, ætatem agit. quapropter si non præter naturam suam natum est ipsum unum, neque prius, neque posterius, quam cetera, sed simul potius, factum est. [154] ideoque secundum hanc rationem unum neque senius neque junius aliis, neque alia uno: secundum vero rationem superiorem unum et senius simul et junius ceteris omnibus, atque e converso reliqua cuncta uno. Omnino sic esset. Hoc ergo modo se habet, et tale est effectum. Verum quidnam sentis de eo, quod dicitur, fieri unum senius, atque junius aliis, aliaque uno? ac etiam neque junius, neque senius fieri? Utrum eadem ratione se habet circa ipsum fieri, qua circa ipsum esse se habere prædiximus? an aliter? Quid dicam, ignoro. Ego autem tantum dicam: quod si quid est antiquius alio, antiquius quoad illud ultra fieri, quam antea secundum ætatis intervallum fuisset, minime potest: neque etiam quod junius est, in posterum junius fieri. nam æqualia inæqualibus addita, seu tempori sive cuilibet alteri, eodem intervallo distare, quo et antea, illa semper efficiunt. Nihil prohibet. Non igitur id quod est, illo quod unum est, aut antiquius, aut junius fieri potest; quandoquidem eadem semper distantia ætatis intercedit: sed et est, et fuit hoc quidem senius, illud autem junius; fit vero minime. Est, ut dicis. Ita id, quod unum est, ceteris, quæcunque sunt, nunquam vel junius, vel senius efficitur. Nunquam. Sed aspice posthac, utrum alia quadam ratione et juniora hæc et seniora fiant. Quanam? Hac, inquam. unumne antiquius aliis, et alia uno esse constitit? Quid tum? Quandoquidem unum senius est quam cetera, longius quam illa tempus exstitit. Quin immo. Adverte iterum: si quando longiori et breviori tempori par tempus adjiciamus, num æqua particula discrepabit longius a breviori, an minore? Minore. Unum igitur non tanto ætatis intervallo alia deinceps excedet, quanto prius excesserat: sed par tempus ac cetera

Digitized by Google

sertitum, minus semper quam prius ab illis etate distabit, an non? Profecto. Nonne quod minus excedit aliquid etate quam prius, junius fit quam prius, quoad illa, quibus erat antiquius? Junius procul dubio. Si illud junius, an non illa adversus unum seniora quam prius erunt? Penitus. Quod ergo junius ante fiebat, senius fit ad illud, quod ante fiebat, eratque antiquius. est autem nunquam antiquius, verum illo semper antiquius fit. Illud porro juvenescit, hoc contra senescit. [155] quod rursus antiquius, juniori junius similiter efficitur. nam cum ista in contrarium tendant, contraria invicem fiunt. Junius quidem seniori senius: senius contra, junius juniori. facta vero fuisse nequeunt. Nam si facta fuissent, non amplius fierent, sed jam essent. nunc vero et juniora, et seniora invicem efficiuntur. Unum quidem ceteris junius fit, ex eo, quod senius esse apparuit, et prius effectum: estera vero seniora quam unum fiunt, ex eo, quod posteriora facta fuerint. Et secundum eandem rationem cetera quoque similiter ad unum se habent: quippe cum antiquiora et priora illo facta fuisse apparuerint. Idem mihi quoque videtur. An non qua ratione neutrum illorum altero vel junius fit vel senius, secundum quod pari numero invicem differunt, neque unum aliis antiquius, aut junius fieret, neque alia uno? qua vero ratione altera semper parte differre necesse est priora posterioribus, et posteriora prioribus, ex hoc necesse est seniora et juniora invicem fieri, tam cetera uno, tum ceteris unum? Et maxime quidem. Omnibus igitur his de causis unum et se ipso, et aliis senius ac junius est et fit: rursusque neque junius neque senius se ipso, vel ceteris, aut est, aut unquam efficitur. Prorsus. Postquam vero unum temporis est particeps, seniusque et junius fieri potest, nonne preterea necesse est preteriti, presentis atque futuri esse particeps, cum participet tempore? Necessario sequitur. Erat igitur unum, et est, et erit, fiebatque, et fit, et fiet. Quidni? Esset quoque illi aliquid et illius, eratque, et est, et erit. Maxime. Ideoque scientia de illo esset, opinioque ac sensus, quippe cum et nos in presentia hec de illo universa tractemus. Recte ais. Nomen item ac sermo ipsi adest, nominaturque et dicitur. et quotcunque hujusmodi circa alia reperiuntur, circa unum quoque exsistunt. Omnino quidem sic se res habet. Verum tertio jam sic iterum disseramus. unum si est, quemadmodum supra diximus, an non necesse est, ipsum cum sit unum, et multa, atque iterum, neque unum, neque multa, et participans tempore, quia unum est, essentia participare aliquando: quia vero non est, non participare aliquando? Necessarium hoc est. Num possibile est, dum participat, tunc minime participare? vel quando non participat, participare? Impossibile. In alio itaque tempore particeps, in alio vero est expers. hoc enim modo dumtaxat fieri potest, ut particeps atque expers ejusdem sit. [156] Probe. Numquid est id tempus, quando accipit esse, et quando esse amittit? aut quo pacto esse potest, ut aliquando idem habeat, aliquando vero non habeat? nisi alias id capiat, alias autem amittat? Non aliter. Accipere essentiam, nonne fieri appellas? Equidem. Essentia vero privari, nonne destrui? Et maxime. Unum igitur, ut videtur, assumens atque deponens essentiam, fit et interit. Necessarium. Cumque unum et multa sit, genitumque atque deficiens: nonne, quando fit unum, desinit esse multa, quando vero multa, desinit esse unum? Valde. Et cum fiat unum et multa, an non disgregari et congregari oportet? Oportet. Quin etiam quoties dissimile simileque efficitur, nonne assimilari, et, ut ita dicam, dissimilari oportet? Immo. Et quando majus, et minus, atque equale, crescere, decrescere, atque equari? Sic est. At quoties ex motu in quietem, vel ex quiete in motum transit, oportet hoc non uno in tempore esse. Quanam ratione? Postquam scilicet prius steterit, moveri postea: cumque antea motum fuerit, deinde

Digitized by Google

consistere. etenim absque transmutatione hæc pati nequit. Nequit. Tempus vero nullum est, in quo quippiam sic habere se possit, ut simul neque stet, neque etiam moveatur. Nullum. Verumtamen neque transit absque transmutatione. Haud consentaneum esset. Quando ergo transit? neque enim dum stat, neque dum movetur, transit, neque dum in tempore est. Non certe. An est hoc mirabile quiddam, in quo tunc est, cum transit? Quidnam? Momentum individuum, inquam. hoc enim momentum, certum quiddam significat, ex quo in utrumque transitur. neque enim ex statu, dum stat, neque ex motu, dum movetur, adhuc transit: verum momentanea ipsa natura atque miranda, media motus quietisque interponitur, ac nullo prorsus in tempore est, nec non in hanc atque ex hac, quod motum est, transit in statum, et quod quievit, in motum. Apparet. Unum itaque, si quidem stat atque movetur, in utraque procul dubio transit. solo enim hoc modo utraque facit. transiens autem, momento individuo transit: eamque migrat, nullo in tempore est, neque stat tunc, neque movetur. Minime. Numquid eodem modo ad ceteras mutationes sese habet? quando ex ipso esse in interitum migrat, [157] vel ex non esse in ipsum fieri: medium tunc fit quorundam motuum ac statuum; nec est tunc, neque non est, neque fit etiam, neque interit? Videtur. Eadem quoque ratione ex uno migrans in multa, et e multis in unum, nec unum est, neque multa, nec congregatur, neque disgregatur: et ex simili in dissimile, rursusque ex dissimili in simile migrans, nec simile, neque dissimile, neque assimilatum, neque, ut ita dicam, dissimilatum, et ex parvo in magnum, et in ipsum æquale, et contraria transiens, non parvum, non magnum, non crescens, non decrescens, non adæquans. Non videtur. Hæc igitur universa, unum si est, patitur. Quidni? An non considerandum est quid præterea patiantur alia, si unum est? Considerandum. Dicimusne, Unum si est, alia ab uno pati aliquid oportere? Dicimus. Nonne quia alia sunt, quam unum, non unum sunt? alioquin alia, quam unum, non essent. Probe. Non tamen penitus uno privata sunt, sed quodammodo uno participant. Qua ratione? Quoniam alia ab uno, ex eo quod partibus constant, alia sunt quam unum. quod nisi partes haberent, unum penitus essent. Recte. Partes autem ejus, quod totum est, partes esse asseruimus. Asseruimus plane. Atqui totum ipsum unum ex multis esse oportet, cujus partes sunt, quæ partes appellantur, quælibet enim partium non multorum pars, sed totius, exsistit. At quomodo istud? Si quid multorum pars esset, quibus ipsum inesset, sui ipsius quodammodo esset pars, hoc autem impossibile, et aliorum cujusque: si quidem omnium. unius enim non exsistens pars, præterquam hujus aliorum erit: atque ita uniuscujusque pars non erit. non exsistens vero pars cujusque, nullius ex multis erit: et, si nullius, omnium istorum aliquid esse, quorum nullius est vel pars, vel aliud quodlibet, impossibile. Apparet quidem. Non ergo multorum, nec omnium pars est, quæcunque sit pars, sed unius cujusdam ideæ, et unius cujusdam, quod totum vocamus, factum ex cunctis unum atque perfectum. hujus, inquam, pars est, quæcunque sit pars. Omnino quidem. Si ergo alia partes habent, toto atque uno participant. Maxime. Unde unum totum perfectum partes continens, alia ipsa ab uno esse necesse est. Necesse. Quin etiam de unaquaque parte eadem ratio est. etenim hujus unius participem esse oportet. nam si unaquæque illarum pars [158] est, hoc ipsum, quod dicitur. unaquæque, unum quodammodo significat: distinctum enim quiddam ab aliis, et secundum se ipsum exsistens significat, si modo unaquæque erit. Recte. Erit autem unius particeps, si aliud quiddam, quam unum fuerit: alioquin haudquaquam participaret, sed ipsum unum esset. at vero unum esse aliquid, præter ipsum unum, nihil potest. Nihil. Participare

Digitized by Google

uno necesse est, et totum simul et partem. Ipsum namque unum totum erit, cujus partes sunt partes singulæ: unumquodque vero unum, pars totius, quæcunque pars totius existat. Sic est. Nonne igitur, cum alia sint, quam unum, uno participant omnia, quæ participant? Quidni? Alia vero quam unum, multa quodammodo sunt. nam si alia præter unum, nec unum neque plura uno essent, nihil penitus essent. Nihil sane. Postquam autem plura uno sunt, quæ unius partis et unius totius participia sunt: nonne necesse est, multitudine infinita esse participantia uno? Quonam pacto? Hoc plane. aliud quiddam quam unum ista sunt, neque etiam uno participant tunc, cum primum uno participant. Certe. Nonne multitudines sunt, in quibus non inest unum? Multitudines certe. Quod si velimus intelligentia ipsa ex iis aliquid quam minimum excerpere, an non necesse erit, illud extractum, utpote quod unius est expers, multitudinem esse, non unum? Necesse. Nonne tibi sic semper consideranti ipsam secundum se ipsam alteram speciei naturam, quantumcunque illius inspexeris, infinitum multitudine semper occurret? Et maxime quidem. Verumtamen postquam unum quælibet pars effecta est, terminum jam partes invicem, et ad totum habent: nec non ad partes totum. Valde quidem. Itaque aliis, quam unum, contingit, ex ipso uno, et ex se ipsis jam in uno communicantibus, alterum quiddam in ipsis fieri: quod quidem terminum invicem præbuit; natura autem illorum secundum se ipsam, infinitatem. Manifestum est. In hunc itaque modum alia, quam unum, tam tota, tum etiam secundum particulas, et infinita sunt, et termino quodam participant. Prorsus. Nonne insuper similia dissimiliaque invicem, et sibi ipsis? Quamobrem? Qua quidem infinita sunt secundum ipsorummet naturam, omnia idem quodammodo ex hoc invicem patiuntur. Patiuntur. Item qua cuncta participant termino, ex hoc quoque idem omnia patiuntur. Quidni? Qua tamen illis convenit, ut finita sint simul et infinita, quæ sunt contrariæ passiones, quam maxime fieri potest, dissimilia sunt. [159] Nimium. Ergo secundum utramque passionem ipsa sibimet, et invicem similia erunt: at vero secundum ambas utrinque, simul quam maxime contraria atque dissimilia. Constat. Sic igitur alia eadem sibi ipsis et invicem, similiaque et dissimilia erunt. Erunt. Et eadem iterum atque altera invicem, agitataque et stantia, ceteraque contrarias passiones suscipientia, illa, quæ alia sunt quam unum, facile reperiemus; quippe cum prædictas jam passiones susceperint. Recte dicis. Nonne præterea si hæc tanquam perspicua prætermittemus, ac rursus, unum si est, consideremus, alia quam unum sic etiam se habebunt, an sic solum? Prorsus. Estne igitur a principio iterum disserendum, unum si est, quid alia pati oporteat? Disserendum. An non seorsum quidem unum ab aliis, seorsumque alia erunt ab uno? Cur nam? Quia nihil est alterum præter ista, quod aliud sit, quam unum, aliudque quam cetera. universa quippe comprehensa sunt, cum unum et alia dictum est. Universa. Quare nihil præter hæc restat, in quo velut eadem in sede et unum et alia consideant. Nihil prorsus. Nunquam igitur in idem unum aliaque concurrunt. Nunquam. Seorsum ergo? Seorsum. Dictum præterea fuit, ipsum revera unum partes nullas habere. At quomodo habere posset? Neque totum igitur unum aliis inerit, neque ejus particulæ, si quidem seorsum est ab aliis, nullisque particulis constituitur. Ita est. Nullo itaque modo alia uno participabunt, cum neque totum ipsum, neque partem capiant. Nullo, ut videtur. Atque ideirco alia nullo pacto unum sunt, neque in se ipsis unum aliquod habent. Minime. Unde nec multa sunt alia. etenim si multa essent, unumquodque illorum, utpote pars totius, unum esset. nunc autem non unum, non multa, non totum, non partes alia sunt, postquam nihilo unius participant. Probe. Quapropter nec duo, nec tria sunt, nec

Digitized by Google

unum illis inest, siquidem uno prorsus orbantur. Sic est. Itaque nec similia, neque dissimilia, nec eadem sunt alia uni, neque illis similitudo ac dissimilitudo inest. si enim similia atque dissimilia ipsa essent, ex eo quod in se ipsis similitudinem dissimilitudinemque haberent, duas utique contrarias invicem species ipsa alia, quam unum, in se ipsis comprehenderent. Apparet. Fieri tamen non potest, ut quæ nullo participant, duo quædam in se ipsis accipiant. Non certe. Neque ergo similia, neque etiam dissimilia sunt, neque pariter ambo. etenim si similia, [160] vel dissimilia sint, una quadam altera specie participarent: et si ambo, duabus quibusdam contrariis speciebus. hæc autem impossibilia esse patuit. Vera dicis. Non igitur eadem, non altera, non agitata, non quieta, non orientia, non pereuntia, non majora, non minora, non æqua, non denique aliud quidquam hujus generis sortita sunt. nam si quid tale susceperint, unoquoque et duobus, et tribus, pariique et impari participarent: quorum participatio illis vetita est uno prorsus carentibus. Verissima hæc sunt. His ergo de causis, unum si est, omnia est unum, et nihil est, et ad se ipsum, atque ad alia eodem modo. Omnino sic se res habet. At vero si unum non sit, quid contingat, nonne posthac considerandum est? Considerandum. Quænam hæc suppositio est, Si unum non est? num aliquo differt ab ista, Si non unum non est? Differt sane. Num solummodo differt, vel etiam omnino contraria est hæc, Si non unum non est, illius, Si unum non est? Contraria omnino. Quid autem? si quispiam dixerit, Si magnitudo non est, vel parvitas non est, vel aliud quidquam hujusmodi, nonne in singulis demonstraret, quod aliud quiddam exprimeret ipsum non ens? Omnino. Nonne igitur nunc declarat, quod alterum quiddam præter alia ipsum non ens dicit, quando dicit, unum si non est? et intelligimus, quid dicat? Intelligimus. Primum igitur aliquid, quod cognosci potest, exprimit: deinde alterum quam alia, cum ait unum, sive esse illi adjiciens, sive non esse. nihilominus cognoscitur, quid non esse dicatur, quodque differens quiddam est ab aliis. an non? Necesse. In hunc itaque modum a principio dicendum, Unum si non est, quid esse oportet. In primis itaque ipsi hoc oportet accidere, ut videtur, esse videlicet quandam ejus scientiam, aut nihil intelligere nos, quid dicamus, quando Unum si non est, proferimus. Vera loqueris. An non et alia altera esse, quam illud, vel neque illud alterum quam alia prædicari? Maxime. Ergo diversitas quoque præter scientiam illi adest. neque enim aliorum diversitatem dicit, quando unum alterum quam alia vocat, sed sui ipsius diversitatem. Apparet. Quin etiam ipsius illius, et alicujus, et hujus, et hujc, et horum, atque omnium hujuscemodi particeps ipsum non ens dicitur. neque enim unum diceretur, neque ab illo altera, nec illi quidquam esset, nec illius: neque aliquid appellaretur, nisi particeps esset ipsius alicujus, et ceterorum talium. Recte. Esse tamen unum, nisi existat, impossibile est: participare vero multis, nihil prohibet. [161] verum necesse est, si quidem ipsum unum illud duntaxat, nec aliud non est. Quod si nec unum, nec illud, neque etiam exit, sed de alio quodam sermo habetur, nihil pronuntiari oportet. sin autem unum illud duntaxat, non aliud præsuppositum est non esse, ipsius illius, aliorumque multorum particeps dicendum est. Et maxime quidem. Quamobrem dissimilitudo illi est ad alia. nam cum alia altera sint, quam unum, extranea esse oportet. Oportet. Extranea vero nonne aliena? Quidni? Aliena autem nonne dissimilia? Dissimilia plane. Atqui si sui dissimilia sunt, dissimili dissimilia erunt. Plane. Aderit itaque et uni dissimilitudo, secundum quam alia ipsi dissimilia sunt. Videtur. Et si illi dissimilitudo ad alia competit, nonne ad se ipsum similitudo conveniet? Quonam modo? Si uni inest dissimilitudo ad unum, haud

Digitized by Google

nunc de hujusmodi quodam, ut de uno, sermo haberetur, neque suppositio de uno, sed de alio quopiam, fieret. Prorsus. Neque vero deceret. Non certe. Ob hanc causam oportet uni similitudinem ad se ipsum adesse. Oportet. Item nec æquale aliis est. etenim si æquale esset, jam profecto etiam simile illis secundum æqualitatem existeret. utraque tamen hæc impossibilia, cum unum minime sit. Impossibilia. Postquam vero ceteris æquale non est, nonne et alia necesse est illi æqualia nequaquam esse? Necesse. Quæ autem non æqualia, inæqualia sunt. Inæqualia. Inæqualia vero inæquali cuipiam inæqualia sunt? Certe. Unde et inæqualitatis particeps unum apparet, secundum quam cetera ipsi inæqualia sunt. Particeps profecto. Ceterum ad inæqualitatem magnitudo ac parvitas attinet. Attinet. Et magnitudo ergo et parvitas tali uni convenit. Videtur. Magnitudo rursus et parvitas semper invicem distant. Distant. Ideoque medium quiddam semper intervenit. Sane. Num reperis medium aliud inter hæc, præter æqualitatem? Nullum aliud. Cuicunque igitur magnitudo et parvitas accidit, accidit quoque æqualitas, horum obtinens medium. Constat. Uni igitur, dum non est, æqualitas, magnitudo, parvitas accidere videntur. Videntur. Præterea et essentia participare quodammodo ipsum oportet. At quomodo? Habere se ipsum oportet eo modo, quo dicimus. nisi enim sic sese haberet, haudquaquam vera prædicaremus, dum unum non esse fatemur: sin autem vera, manifestum est, quod ea, quæ sunt, proferimus. nonne? Sic est. Cum vero nos vera prædicare dixerimus, necesse est, ut ea, quæ sunt, asserere nos profiteamur. [162] Necesse. Est ergo unum, ut videtur, non ens. si enim non sit non ens, sed aliquid ipsius esse remittat ad hoc, ut non sit, statim erit non ens. Omnino quidem. Oportet igitur illud tanquam vinculum ipsius non esse habere ipsum esse non ens, si debet non esse: proinde ut ipsum ens ipsius essendi vinculum habet ipsum non esse non ens, ut perfecte rursus esse liceat. ita enim ipsum ens maxime erit, et ipsum non ens maxime non erit, si ipsum ens quidem participet essentia essendi ens; non autem essentia essendi non ens, si omnino esse debeat: ipsum vero non ens non participet essentia non essendi non ens, sed essentia non essendi ens, si quidem non ens penitus videri debeat. Verissima hæc sunt. Nonne igitur, postquam ens non essendi particeps est, et non ens ipsius essendi particeps, unum quoque, cum non sit, ipso esse participare necesse est ad hoc, ut vere non sit? Necesse. Essentia igitur adesse videtur uni, si non sit. Videtur. Atqui non essentia rursus, si quidem minime sit. Quidni? Num potest aliquid, quod certo quodam modo affectum, sic habere se dicitur, non sic se habere, cum nondum ex hujusmodi habitu transmutatum sit? Non potest. Quodcunque igitur sic se, et non sic se habet, mutationem quandam patitur. Patitur. Mutationem vero motumne, an aliud quiddam esse dicemus? Motum. Unum autem nonne et ens et non ens apparuit? Apparuit. Ergo et sic, et non sic se habens. Videtur. Unum ergo non ens moveri videtur, si quidem mutationem ex ipso esse in non esse recipit. Patet. Enimvero si nusquam in natura rerum adest, cum non sit, non utique aliunde alio migrare potest. Quo pacto enim posset? Non ergo movetur, ex eo quod transeat. Minime. Neque tamen in eodem convertetur. etenim ipsum idem nusquam attingit. ens namque est ipsum idem. non ens autem in aliquo eorum, quæ sunt, esse impossibile est. Impossibile certe. Non ergo unum, cum non sit, in eo converti, in quo minime est, unquam posset. Nunquam. Neque etiam alteratur unum ab se ipso, sive sit, sive non sit. haud enim sermo de uno ulterius haberetur, si quidem a se ipso alteratum fuisset; verum de alio quodam præter unum. Probe. Si neque alteratur, neque in eodem revolvitur, neque progreditur, quonam pacto move-

Digitized by Google

bitur? Nullo. Quod vero moveri nequit, quietem agere necesse est: et quod quiescit, consistere. Necesse. Igitur unum, si non est, stat atque movetur. Videtur. Quin etiam si movetur, necesse est procul dubio alterari. quatenus enim quid movetur, [163] eatenus non eodem modo, quo prius, sed alio sese habet. Plane. Ergo unum, dum movetur, etiam alteratur. Profecto. Verumtamen nullo modo motum, nullo modo alteratur. Nullo penitus. Quamobrem unum quod non est, qua quidem movetur, absque dubio alteratur: qua vero non movetur, minime alteratur. Minime. Ideoque unum si non sit, alteratur, atque etiam minime alteratur. Constat. Quod quidem alteratur, an non alterum, quam antea, fieri, pristinumque habitum exuere oportet? quod vero non alteratur, nec fieri, neque etiam interire? Necessario sequitur. Unde unum quod non est, quia alteratur, efficitur ac perit: quia vero non alteratur, nec fit, nec interit. atque ita et fit pariter atque interit: rursusque neque fit, neque interit. Sic est. Rursus jam ad principium redeamus, liquido inspecturi, utrum hæc deinceps, quemadmodum hactenus, an aliter, esse videantur. Operæ pretium hoc est. Nonne jam disseruimus, quid circa unum accidat, si ipsum minime sit? Disseruimus. At quoties non ens proferimus, nihil aliud nobis significat, quam essentiæ absentiam ab illo, quod quidem non esse pronuntiamus. Nil aliud. Utrum quando dicimus non esse aliquid, aliquo modo ipsum non esse intelligimus, aliquo modo esse? an potius hoc ipsum Non est, quoties pronuntiatur, simpliciter significat, quod nullo prorsus modo usquam est: et cum non sit, nulla ex parte est essentiæ capax? Absolute id significat. Neque ergo esse ipsum non ens poterit, neque alio quoquam modo essentiam attingere. Minime. Fieri autem et interire num aliud est, quam illud quidem essentiam accipere, hoc autem amittere? Nil aliud. Ergo cui nulla hujus pars convenire potest, nunquam aut accipit ipsam, aut amittit. Nunquam. Uni ergo, postquam nullo modo est, neque nancisci, neque abjicere, neque aliquo pacto essentiam capere convenit. Decens est. Non itaque interit ipsum unum, cum non sit, neque fit, utpote quod nulla ex parte est essentiæ capax. Non videtur. Neque rursus aliquo pacto alteratur. jam enim et fieret, et periret, si hoc pati posset. Verum. Si minime alteratur, an non etiam necesse est nequaquam moveri? Necesse. Neque tamen stare alicubi, quod nullo modo est, asseremus. quod enim stat, in aliquo eodem semper esse oportet. Quidni? Sic plane ipsum cum non sit, nunquam aut stare, aut moveri fatebimur. Nunquam. Præterea nihil ex iis, quæ sunt, illi adest. jam enim essentia particiaparet, utpote quod alicujus exsistentis esset particeps. [164] Manifestum est. Non magnitudo igitur illi, non parvitas, non æqualitas accidit. Non profecto. Sed nihilo magis similitudo, aut diversitas illi, vel ad alia, vel ad se ipsum aderit. Nequaquam videtur. Num et alia nullo modo illi esse poterunt, cum nihil prorsus ipsi esse queat? Haud licet. Quapropter alia non similia illi, non dissimilia, non eadem, non altera sunt. Non sane. An vero ipsum quod illius, vel ipsum quod illi, vel quid, vel hoc, vel hujus, vel alterius, vel alteri, aut quondam, aut deinceps, aut nunc, seu scientia, sive opinio, sive sensus, an sermo, an nomen, an aliud quodvis ex iis, quæ sunt, circa ipsum quod minime est, exsistet? Minime. His igitur rationibus unum, si non est, nulle prorsus modo aut usquam sese habet. Non sane videtur ullo modo, aut usquam sese habere. Estne iterum disputandum, unum si non est, quid alia præter unum pati oporteat? Disputandum. Primum igitur et alia esse ita oportet. nisi enim alia sint, haud sane de ipsis aliis dissereretur. Sic est. Et si de aliis sermo fit, alia profecto altera sunt. an non ob idem ipsum aliud et ipsum alterum appellas? Equidem. Alterum nonne ab altero alterum, et aliud ab alio aliud, esse di-

Digitized by Google

cimus? Utique. Ergo ipsis aliis, si modo alia futura sunt, aderit aliquid, a quo alia erunt. Necesse. Quidnam id potissimum erit? Ab uno quidem alia non erunt, cum illud minime sit. Non certe. Invicem itaque alia sunt. id enim solum restat, alioquin a nullo alia futura sunt. Recte. Idcirco secundum multitudines singula invicem alia sunt. etenim secundum unum nequeunt, non existente uno. verum quilibet, ut videtur, acervus illorum multitudine infinitus exsistit: et si quod minimum apparet, quispiam sumserit, velut in somno somnium, repente pro eo, quod unum visum fuerat, multitudo occurrit; et pro eo, quod minimum apparuerat, quam maximum jam, ad illa quæ ex eo selecta et discreta sunt, apparet. Rectissime. Talibus, inquam, acervis diversa invicem alia præter unum erunt, si, non exsistente uno, alia sunt. Quam maxime. At non plures acervi erunt, quorum quilibet unus prima fronte videbitur, nullus tamen unus erit, cum ipsum unum minime sit? Certe. Numerus item illorum aliquis esse videbitur: si quidem et unum quodlibet, cum tamen multa sint. Valde quidem. Paria præterea et imparia falso videbuntur, uno prorsus absente. Falso. Quod insuper exiguum in illis primo videbitur, ut dictum est, e vestigio quam maxima et quam plurima, quoad singula parva, quæ etiam multa sunt, se nobis ostentat. [165] Quid prohibet? Quin etiam acervus quisque æqualis multis parvisque acervis esse videbitur. nam haud liquido ex majori in minus transisse videretur, nisi prius in medium pervenisse visus esset. hoc autem phantasma quoddam æqualitatis erit. Verisimile est. Nonne ad alium acervum terminum habens, ipsum ad se ipsum neque principium, neque medium, neque finem habet? Qua de causa? Quia semper cum quis horum aliquid intelligentia contuetur, ante principium semper aliud occurrit principium: et post finem alter semper finis subsequitur: nec non in medio, alia semper interiora, quam medium, semperque minora, ob id, quia nequit unum aliquid in his accipi, cum unum minime sit. Verissima loqueris. Discerpi denique necessario arbitror, ut dispersum, quodcunque intelligentia quis assumserit. semper enim acervus unius expers accipitur. Procul dubio. Nonne hoc tale eminus et obtuse prospicienti unum apparet? Necesse. Cominus autem et acute intelligenti unumquodque multitudine infinitum? si quidem ab uno non exsistente deseritur. Præ ceteris necessarium hoc est. In hunc itaque modum infinita, et finem habentia, et unum, et multa, quælibet alia apparere oportet, si non unum, sed alia præter unum sunt. Oportet utique. An non similia quoque et dissimilia videbuntur? At quomodo? Nam cum velut adumbrata eminus prospicienti unum appareant omnia, in eodem aliquo communicare, similiaque esse videbuntur. Prorsus. At vero propius accedenti, multa et altera: atque ipso diversitatis phantasmate altera sibi ipsis et dissimilia. Sic accidit. Similes item atque dissimiles ipsos acervos, tum sibimet, tum invicem apparere necesse est. Et maxime quidem. Nonne etiam eosdem et alteros invicem: et contiguos sibi, et seorsum a se ipsis, omnibusque motibus agitatos, et undique permanentes, orientes et occidentes, ac neutra, omniaque hujusmodi, quæ quidem percurrere facile nobis esset, si uno non exsistente multa fuerint? Verissima narras. Redeuntes jam iterum ad principium, declaremus, unum si non est, quidnam aliis præter unum eventurum sit. Declaremus. Principio igitur unum alia non erunt. Quomodo enim? Neque tamen multa. in iis enim, quæ multa sunt, inest et unum. etenim si nullorum illorum est unum, cuncta nihil sunt, quapropter neque multa. Vera loqueris. Cum itaque unum haud insit aliis, nec multa, nec unum sunt. Non plane. [166] Neque etiam apparent unum, aut multa. Cur nam? Quoniam alia cum iis, quæ non sunt, nullum prorsus commercium habent, neque quidquam ex iis, quæ minime

Digitized by Google

sunt, ad aliquid aliorum attinet. nam nulla pars ils, quæ non sunt, adest. Verum. Neque igitur opinio de eo, quod minime est, nec phantasma ceteris inest: neque ullo modo id, quod non est, ab aliis opinione concipitur. Non certe. Quapropter si unum non est, nihil ex aliis opinione concipitur, aut unum, aut multa esse. nam absque uno multa opinari penitus impossibile. Impossibile nimium. Ergo si unum non est, alia neque sunt, neque opinione etiam cogitantur unum, aut multa esse. Non videntur. Unde neque similia, neque etiam dissimilia. Non. Neque etiam eadem, aut altera, neque contigua, neque sejuncta, neque reliqua, quotcunque in superioribus, tanquam quæ ad ipsa alia spectare viderentur, enarravimus, jam ad ipsa alia spectant vel spectare videntur, unum si minime est. Vera. Nonne, ut summatim loquar, si dixerimus, Unum si non est, nihil est, recte dicemus? Et maxime quidem. Hoc itaque dictum a nobis sit: atque illud præterea, quod, ut videtur, unum sive sit, sive non sit, tum ipsum, tum etiam alia ad sese, atque invicem omnia omnino, sunt atque non sunt, apparentque insuper, et non apparent. Verissima quidem hæc sunt.

Digitized by Google

APOLOGIA SOCRATIS.

[17] Qua vos ratione, o viri Athenienses, affecerint accusatores mei, nescio equidem: me certe sic affecerunt, ut mei ipsius pene oblitus fuerim; tanta persuasione dicere visi sunt: quamvis nihil, ut ita loquar, veri ad vos detulerint. Sed ex multis, quæ falso asseverabant, id sum potissimum admiratus, quod vobis cavendum esse monuerunt, ne a me, quasi eloquente, deciperemini. Quod enim asserere id minime erubuerint, cujus ego mox redargutionem opere ipso facturus eram, quandoquidem in præsentia vobis appareo longe ab eloquentia alienus: hoc, inquam, mihi super omnia visum est impudentissimum: nisi forte eloquentem isti vocant vera dicentem. Si enim ita dicant, profiterer equidem me, quamvis non eorum more, rhetorem esse. Quippe cum hi, ut equidem dico, veri nihil dixerint; a me vero vos vera omnia audituri sitis. Neque vero, per Jovem, o viri Athenienses, fucatam a me orationem, quemadmodum ab istis, verborum nominumque elegantia, neque aliter exornatam, sed ex improviso passim contingentibus verbis coacervatam audietis. Confido enim me justa dicturum, neque quisquam vestrum speret, me aliter esse dicturum: alioquin neque ætatem hanc, o viri, deceret, adolescentulorum more verbis studiose formatis huc ad vos ingredi. Quin immo vehementer, o viri Athenienses, id oro et obsecro, ut, si iisdem me verbis in respondendo utentem audietis, quibus et in foro apud argentariorum mensas, ubi plerique vestrum me nonnunquam audiverunt, et alibi uti soleo; ne admiremini, neve graviter id feratis. Sic enim se res habet. venio equidem nunc primum in judicium, plures quam septuaginta annos natus: ex quo fit, ut in hac judiciali causa revera sim peregrinus. Et profecto, quemadmodum si peregrinus Athenas venissem, ignosceretis utique mihi peregrina voce et forma loquenti, pro [18] educationis meæ consuetudine: ita et in præsentia vos precor, neque id quidem injuria, ut loquendi formam minime attendatis; quæ prout contingit, tum melior, tum deterior esse potest: sed idipsum consideretis, huc mentem adhibeatis, justane, an injusta dicam. hoc enim judicis officium est: rhetoris autem officium, vera loqui. Justum est autem, o viri Athenienses, me primo quidem ad accusationem primam falso confictam, et ad primos accusatores respondere: deinde ad novissimam, atque novissimos. Me quidem multi jam multis annis falso apud vos accusarunt: quos equidem magis formido, quam Anyti adstipulatores; quanquam et hi sunt in persuadendo potentes. Sed illi potentiores, o viri, qui plerosque vestrum a pueritia occuparunt, accusantes me procul a veritate, atque vobis persuadentes, esse videlicet Socratem quendam sapientem, eorum quæ super aerem, quæque sub terra fiunt, perscrutatorem, qui soleat inferiorem rationem dissercndo superiorem ostendere; hi profecto, o viri Athenienses, qui hunc de me ru-

Digitized by Google

morem divulgaverunt, mei accusatores potentissimi sunt. Qui enim hæc audiunt, opinantur harum rerum perscrutatores non credere deos esse. Profecto accusatores hujusmodi et permulti sunt; et longo jam tempore me accusant; et in ea ætate vobis suaserunt, in qua plerique vestrum pueri, aut certe adolescentuli, perfacile credidistis, deserta in causa, nemine me defendente. Atque id, quod a defensionis ratione omnium alienissimum est, neque nomina quidem illorum scire licet, atque proferre; præterquam si quis illorum comœdus sit. Quotcunque vero per invidiam et calumniam hæc vobis rursus persuaserunt, quive ipsi persuasi persuaserunt aliis; hi omnes infiniti omnino sunt: nec eorum quemquam in judicium traducere, nec redarguere licet; sed necesse est, adversus istos, tanquam in nocte, pugnare defendendo, atque refellendo, nemine respondente. Existimate ergo et vos, quemadmodum dicebam, accusatores meos duplices extitisse: et qui nuper accusarunt; et qui jamdiu, quales modo describebam: atque judicate, me quidem oportere prius respondere illis, quos et ipsi prius, multoque magis audivistis. Sed jam respondendum mihi est, o viri Athenienses, [19] illis criminibus, conandumque in hoc tam brevi tempore opinionem istam delere, quam vos per calumnias decepti, longo jam tempore contra me concepistis. Opto autem ita demum adversarios refellere, atque obtinere, si modo id vobis et mihi melius sit futurum. Quamquam difficile id fore arbitror: neque admodum, quale id sit, me latet. Verum, ut Deo placet, ita succedat. nos autem legi parere oportet, ac defensionem pro nobis afferre. Repetamus igitur ab initio, quæ sit accusatio, ex qua adversus me nata est illa calumnia, qua confisus Melitus mihi diem dixit. Quid ergo aiunt accusatores mei? tanquam enim si in judicio adessent, eorum recitetur accusatio, in qua contra me jurant, quæ et vicissim a me exigit juramentum. *Socrates injuste agit, atque nimium curiose perquirit, quæ sub terra et quæ in cœlo sunt, inferioremque rationem reddit superiorem. Præterea alios eadem docet.* Talis utique est accusatio. Nempe talia quædam et vos vidistis in Aristophanis comœdia: Socratis enim illic persona circumfertur, affirmans, se per aerem pervagari: et complures ejusmodi nugas. Quarum ego rerum neque multum, neque parum quidquam scio. Neque propterea hæc dico, quod harum rerum scientiam parvi faciam, si quis in hujusmodi rebus sit sapiens; absit ut tanti criminis reus a Melito accuser, ut præ timore hæc negem: sed quia revera, o viri Athenienses, horum nihil scio. testes autem hujus plerosque vestrum adduco. Oro vobiscum ipsi repetendo invicem aperite, quotquot me colloquentem aliquando audivistis: audivistis autem plerique vestrum. Recensete igitur invicem, num quis vestrum aliquando iis de rebus quidquam, sive multum, sive parum audiverit disputantem: atque ex hoc denique cognoscetis, ejusmodi esse cetera, quæ multi de me circumferunt. At enim horum nihil est verum. Quin etiam a quopiam audiveritis, me homines docere, atque inde pecunias cumulare, neque id quidem verum est. Atqui præclarum id mihi videtur, si quis docere homines possit, quemadmodum Gorgias Leontinus, et Prodicus Chius, et Hippias Eleus. horum namque singuli eam facultatem habent, per quam ad singulas profecti civitates, adolescentibus, quibus liceret in patria suorum se civium disciplinæ gratuito commendare, persuadent, ut ipsos aliorum disciplina relicta sectentur, [20] ac data pecunia, gratiam insuper habeant. Est et alius quidam vir hic sapiens, quem ego huc advenisse sum admodum delectatus. contigit sane, ut aliquem offenderem, qui plus pecuniarum Sophistis perpenderat, quam ceteri omnes, Calliam, Hipponici filium. Hunc ergo interrogavi. (duos enim habet filios.) O Callia, inquam, si filii tui pulli equini aut taurini essent, haberemus aliquem, quem illis mercede adhibita præficeremus, qui eos pulchros, et ad propriam

Digitized by Google

virtutem bonos efficeret: (esset vero talis aut equestrium aliquis, aut agricultorum.) Nunc vero, cum filii tui sint homines, quemnam cogitas illis præficere? et quisnam virtutis hujus humanæ atque civilis scientiam habet? Arbitror, id te, cum filios habeas, cogitavisse. estne, inquam, talis aliquis, an non? Est profecto, inquit ille. Quis, inquam, est? et unde? et quanta mercede docet? Evanus, inquit, est, o Socrates, Parius; merces vero ejus quinque minæ. Atque ego Evanum existimavi beatum, si revera hanc habet artem, atque adeo diligenter docet. Atqui ipse, si talia scirem, admodum gloriarer, et magni me facerem. sed certe, o viri Athenienses, hæc equidem nescio. At vero requiret forsan aliquis vestrum, Quidnam, o Socrates, tuum est opus? et unde adversus te exortæ sunt hæ calumniæ? nisi enim aliquid præter aliorum consuetudinem ageres, nunquam tantus de te rumor concitatus esset. nam unde de te sermo tam frequens, nisi egisses aliquid a ceteris alienum? Dic ergo nobis quid tandem id sit, ne nos de te temere aliquid judicemus. Justa sane hæc mihi videtur interrogatio: atque ego vobis conabor ostendere, quidnam id sit, quod mihi nomen hoc, et calumniam peperit. Sed audite jam; etsi vereor, ne forte quibusdam vestrum jocari videar. verumtamen existimate, me vobis vera omnino dicturum. Equidem, o viri Athenienses, non ob aliud certe, quam ob sapientiam quandam, ejusmodi nomen nactus sum. Sed ob quam sapientiam? forte ob eam, quæ humana sapientia est. nam hac revera sapiens esse videor. Illi vero, quos paulo ante commemorabam, majorem forte quandam humana sapientiam haberent; vel quid dicam, non habeo: neque enim ego ea præditus sum. Quod si quis me hanc possidere dicat, mentitur, et in meam calumniam hæc dicit. Sed ne vobis molestum sit, o viri Athenienses, si quid vobis magnum dicere videar: neque enim ex me dumtaxat dicam, sed testem vobis afferam fide dignum. Profecto, si qua mihi est sapientia, qualis ea sit, testem adhibebo vobis Delphicum deum. Chærephontem certe novistis. ille [21] familiaris mihi erat ab juventute, vestræque multitudini amicus, ac pulsus una vobiscum fuit, et simul in urbem reversus. Novistis plane qualis erat Chærephon, quam vehemens ad quodcunque se convertisset. Hic ergo quandoque profectus in Delphos, vaticinium id experiri ausus est. Ne graviter feratis, o viri, quod in præsentia sum dicturus. Interrogavit utique, an esset ullus me sapientior. Respondit Pythia, sapientiorem esse neminem. De his quidem frater iste suus vobis testificabitur: nam ille vita functus est. Considerate vero, quorum gratia hæc dicam. debeo enim vobis aperire, unde hæc adversum me calumnia sit exorta. Profecto, cum hæc audissem, ita mecum ipse reputavi, Quidnam Deus ait? quidve voluit? Ego enim mihi conscius sum, neque in magnis, neque in parvis esse me sapientem. Quid igitur sibi vult, cum me asserit sapientissimum? Deum quidem mentiri non est credendum: neque enim id fas est Deo. Atque ita in diuturna ambiguitate versatus sum, perscrutans, quid significarit oraculum: post hæc autem vix tandem post longas ambages viam ejusmodi sum ingressus. aggressus enim sum quendam ex his, qui sapientes videntur, quasi in hoc, sicubi unquam, redargutionem vaticinii facturus, oraculoque ostensurus, non me quidem, quem præfecerat, sed illum, esse in sapientia præferendum. Dum ergo illum examinarem: (hujus vero nomen promere non est necessarium; sed erat quidam ex his, qui in republica versantur:) illum, inquam, dum examinarem, unaque dissererem, o viri Athenienses, hunc in modum affectus sum: visus mihi est vir ille videri quidem sapiens tum aliis, tum vel maxime sibi ipsi; esse vero nequaquam. deinde conatus sum illi ostendere, putare quidem eum, esse se sapientem, sed minime esse. Quapropter et ille infensus mihi redditus est; et multi qui aderant, graviter id tulerunt. Itaque ad meipsum reversus, ita mecum

Digitized by Google

ipse reputavi: Ego profecto sum hoc homine sapientior. apparet enim neuter nostrum pulchrum bonumque aliquid nosse: sed hoc interest, quod hic quidem cum sciat nihil, scire se aliquid opinatur; ego vero, quemadmodum nescio, ita nescire me puto. Videor ergo in hac tantula re hoc homine sapientior esse, quod, quæ ignoro, neque scire me arbitror. Post hæc alium adii ex his, qui illo insuper sapientiores habentur; in eoque considerando omnino similiter judicavi, atque illum eliosque multos mihi reddidi inimicos. Proinde similiter deinceps processi ad alios, non ignorans, quantum adversus me odium concitarem; ideoque non absque dolore quodam timoreque procedebam. Veruntamen necessarium mihi visum est, oraculum divinum omnibus anteferre, passimque progredi perscrutaturum, quid sibi velit oraculum; hujusque gratia omnes, quotcunque aliquid scire videntur, adire. Et per canem, o viri [22] Athenienses, (oportet enim vobis vera fatcri,) tale aliquid mihi contigit hæc ex divino oraculo perquirenti, ut, qui opinione hominum maxime probabantur, eos quasi omnium imprudentissimos invenirem; qui vero inferiores habebantur, eos, quantum ad prudentiam spectat, probabilius se habere. Operæ pretium est, referre vobis errores laboresque meos, quos equidem propterea sustinui, quo a me oraculum adeo probaretur, ut redargui ultra non posset. Post civiles homines ad poetas me contuli, tragœdiarum et dithyramborum aliorumque carminum auctores, quasi hic perspicue admodum deprehensurus, esse me his rudiorem. Acceptis itaque eorum libris, in quibus elaboravisse maxime videbantur, sciscitatus sum eorum sensa, ut nonnihil ab ipsis perdiscerem. Erubesco, o viri, verum hic vobis aperire: dicendum est tamen. Alii præ omnes præsentes, ut ita dixerim, melius de rebus his loquerentur, de quibus ipsi poemata conscripserunt. Deprehendi igitur brevi id in poetis, eos videlicet non sapientia facere, quæ faciunt, sed natura quadam, ex divina animi concitatione, quemadmodum et hi, qui divino furore afflati vaticinantur. nam et hi multa quidem dicunt, atque præclara; sed eorum quæ dicunt, nihil intelligunt. Tali quodam pacto poetæ affecti fuisse mihi videntur: et simul animadverti, eos in aliis quoque propter poesin omnium se sapientissimos judicare, in quibus non sunt sapientes. Abii ergo et hinc eadem omnino sententia, qua et a civilibus viris abieram. Tandem vero me ad artifices contuli; mihi ipsi conscius, me, ut ita loquar, in artificiis nihil scire; hoc autem noveram multa et pulchra scire: neque in hoc equidem deceptus sum. sciebant enim, quæ ipse nesciebam, et hac in parte me sapientiores erant. Sed, o viri Athenienses, in eodem errore, quo et poetas, peritos artifices deprehendi. nam ob hoc ipsum, quod sua arte perficiebant, unusquisque eorum se in ceteris quoque vel maximis sapientissimum esse putabat. Atqui hic error illam quoque, quæ ipsis inerat, sapientiam offuscabat. Quamobrem, si meipsum oraculi loco interrogarem, utram eligam, itane me habere, ut habeo, videlicet neque scientem quæ illi sciunt, neque meam insciliam ignorantem; an utraque habentem, quæ illi habent: responderem plane mihi ipsi simul atque oraculo, præstare, ita ut habeo me habere. Ob hanc utique inquisitionem meam, o viri Athenienses, inimicitiæ multæ difficillimæ [23] atque gravissimæ adversus me coortæ sunt; ex quibus multæ sunt calumniæ consecutæ. Nomen vero sapientis mihi propterea exortum est, quod præsentes plurimum illa me putant scire, in quibus alios refello. Videtur autem, o viri Athenienses, revera solus deus sapiens esse; atque in hoc oraculo id sibi velle, humanam videlicet sapientiam parvi, immo nihili pendendam esse. quod vero Socratem nominat sapientem, ob id facere, quo nomine meo, tanquam exemplo quodam utens, quasi sic dicat: Is, o viri, sapientissimus est, qui, quemadmodum Socrates, novit revera sapientiam suam esse nihili pendendam. Hæc igitur

Digitized by Google

ego sic affectus, et nunc perquirere passim, deo parens, et perscrutari non desino, conveniens si quem aut civium aut peregrinorum esse existimem sapientem. ac si quando mihi ille talis non videatur; tunc ipse deo suffragatus, illum sapientem non esse demonstro. Atque ob occupationes ejusmodi nullum mihi ferme relinquitur otium vel ad publicum aliquid agendum, vel privatum; sed in extrema paupertate ob Dei cultum sum constitutus. Praeterea adolescentes maxime opulenti, quive a negotiis vacant, me ultro sequentes delectantur, cum refelli a nobis homines spectant. quin etiam ipsi nonnunquam me imitati, alios deinde confutare contendunt. Qua quidem in re plurimam reperiunt turbam hominum, aliquid se scire putantium, cum aut nihil sciant, aut perparum. qui vero ab his convincuntur, non tam illis quam mihi reddantur infensi: clamantque esse Socratem quendam scelestissimum juventutisque corruptorem. At si quis sciscitetur ab eis, quidnam vel agendo vel docendo corrumpat, nihil quidem assignare possunt, immo prorsus ignorant. Sed ne deesse illis materia videatur, ad ista confugiunt, quae communi voce facile philosophantibus objici solent: eos scilicet neque sublimia super terram neque profunda sub terra: neque deos esse putare, rationemque inferiorem quasi superiorem ostendere. vera enim, ut puto, fateri nolunt, se scilicet indignatos, propterea quod convicti fuerint, simulare se illa scire, quae nesciunt. Utpote igitur ambitiosi et vehementes, et multi, ac velut ex composito, atque obnixe diligentisque persuasionis studio me criminantes, vestras aures impleverunt, et jamdiu et nuper calumniis in me studiose confictis. Ex his autem Melitus, et Anytus, et Lycon contra me surrexerunt. Melitus quidem ob poetas mihi infestus; Anytus vero ob artifices atque reipublicae gubernatores; Lycon [24] denique gratia rhetorum. Quamobrem, quemadmodum ab initio dicebam, admirarer equidem, si opinionem istam tantis conceptam calumniis, tam inveteratam, nunc in tam brevi tempore amovere a vobis possem. Haec equidem, o viri Athenienses, vera vobis loquor: neque celo, neque subtraho aut magnum quidquam, aut parvum; quamvis ferme norim, in his dicendis me eisdem fore molestum. Quod quidem argumentum vobis est, me vera loqui, atque hanc esse calumniam contra me exortam, ejusque causas ejusmodi esse. et sive in praesentia sive in posterum haec inquiretis, ita esse invenietis. Ad illa igitur, quae primi accusatores detulerunt, haec mihi sufficiens apud vos sit defensio. Ad Melitum vero bonum et, ut ipse ait, patriae amatorem, ceteroseque sequentes accusatores deinceps respondere pergam. Sed horum rursus, tanquam alii quidam accusatores sint, accusationem juramento assertam vicissimque asserendam in medium adducamus. Habet vero ferme se hunc in modum: Socrates injuste agit, juventutem depravans, ac deos, quos civitas putat, ipse non putans, sed alia quaedam nova daemonia. Accusatio quidem est ejusmodi. hujus autem accusationis quamlibet partem discutiamus. Juvenes depravare me objicit, atque in hoc injuriam facere. Ego vero, o viri Athenienses, contra injuriari Melitum dico; propterea quod serio ludit, tam facile homines in judicium trahens, simulansque seriis se rebus incumbere, earumque rerum habere curam, quae ipsi nunquam curae fuerunt. Hoc autem ita esse, conabor et vobis ostendere. Heus Melite, responde mihi, numquid ipse maxime cures, ut quam optimi adolescentes evadant. Curo equidem. Age ergo his nunc dicas, quisnam juvenes meliores efficiat. constat enim scire te, cum tibi id curae sit. Me certe corruptorem eorum, ut ais, jam deprehendisti, accusasti his, in judicium traxisti. ergo age, et eum qui efficit meliores dic his, et quisnam sit ostende. quidnam, o Melite, taces? Videsne, nihil te habere quod dicas? Atqui nonne turpe id tibi videtur esse, ac sufficiens argumentum ad id quod ipse dico, te haec nunquam curasse? Verum dic jam, bone vir:

Digitized by Google

Quisnam eos efficit bonos? Leges. At vero non istud interrogo, o vir optime. sed quis homo, qui et primum id ipsum norit, leges scilicet, quibus illi meliores fiant. Hi, o Socrates, judices. Quid, o Melite, ais? istine juvenes erudire possunt, bonosque reddere? Et maxime quidem. Utrum omnes? an alii quidem possunt, alii vero nequaquam? Omnes. Bene per Junonem loqueris, et magnam eorum qui prosint juvenibus copiam. Verum quidnam hi, qui audiunt? [26] faciuntne et ipsi meliores, an non? Ipsi quoque. Quid vero senatores? Et senatores. Sed enim, o Melite, cavendum est, ne concionatores forte adolescentes corrumpant. an vero et hi omnes similiter faciunt meliores? Hi quoque. Omnes igitur, ut videtur, Athenienses honestos bonosque reddunt, præter unum me. ego enim corrumpo solus. Itane ais? Ita certe; et quidem vehementer. Magna tu quidem me damnas infelicitate. Proinde mihi responde, an et de equis idem putes: omnes scilicet homines equos bonos efficere, unum vero duntaxat eos corrumpere. an omnino contra unum esse: vel certe perpaucos equitandi peritos reddere meliores equos: quamplurimos autem esse, qui si inter equos versentur, illisque utantur, depravant? Nonne ita se res habet, o Melite, et de equis, et de ceteris omnibus animantibus? Penitus ita, sive tu et Anytus non confiteamini, sive confiteamini. Etenim permagnam juvenes nacti essent felicitatem, si unus duntaxat eos posset pervertere, ceteri vero omnes ipsis prodessent. Ceterum, o Melite, satis demonstras, te nullam juventutis curam habuisse unquam; ac plane declaras incuriam tuam, teque nunquam meditatum fuisse ea, de quibus me accusas. Præterea obsecro te per Jovem, o Melite, responde nobis, utrum melius versari possumus inter bonos cives, an inter malos. Responde amabo. nihil enim difficile te rogo. Nonne mali semper mali aliquid agunt his, quibuscum versantur? boni autem bonum? Procul dubio. Estne ullus, qui detrimentum suscipere potius quam emolumentum velit ab his, quibus familiariter utitur? Responde, o bone vir. lex enim respondere te jubet. Estne quisquam qui damnum pati velit? Nullus. Age ergo, tu me huc in judicium vocas quasi juventutis depravatorem. an dicis, me id volentem facere, vel nolentem? Equidem volentem dico. Numquid tu, o Melite, longe minor natu usque adeo me grandiori sapientior es, ut plane cognoscas te quidem, malos obesse familiaribus, bonos vero prodesse? ego autem in tantam insaniam prolapsus sim, ut neque id cognoscam, si quem ex familiaribus pejorem reddidero, periclitaturum me, ne quid ab eo mali perpetiar; atque hoc tantum mihi ipsi malum, ut tu ais, volens inferam? Hæc equidem tibi, o Melite, non credo. arbitror quoque, neminem tibi alium concessurum. Sed aut non depravo adolescentes; vel, si depravo, invitus facio. [26] quapropter tu in utroque mentiris. At si invitus corrumpo, non huc in judicium involuntaria delicta lex trahi jubet, sed privatim doceri atque castigari. constat enim, si didicero, non amplius me id facturum, quod per ignorantiam faciebam. Tu autem familiariter me emendare noluisti: sed in judicium rapis, quo eos trahi lex jubet, qui pœna indigent potius, quam disciplina. Jam vero ex his manifestum est, o viri Athenienses, quod modo dicebam, nullam huic Melito aut magnam, aut parvam erudiendæ juventutis curam fuisse. Nunc age dic, qua ratione me asseras, o Melite, pervertere juventutem. An videlicet, quemadmodum in accusatione scripsisti, quia doceam, non putare deos, quos civitas putat, sed alia quædam nova dæmonia? an non? in his docendis affirmas, juvenes me corrumpere? Omnino quidem ac vehementer hæc assero. Per deos ipsos, o Melite, de quibus nunc nobis est sermo, apertius et mihi et his enarra. Nam ego quidem nondum plane intelligo, utrum dicas, docere me juvenes, ut putent aliquos quidem deos esse. quod si ita est; ego deos esse puto, neque

Digitized by Google

omnino sum absque deo: neque in hoc injuste ago, quamvis non eos, quos habet civitas, sed alios esse docuerim. Utrum, inquam, hoc est, in quo me criminaris, quod videlicet deos alios introducam? an me ais omnino negare deos, rursusque, ut negent, alios quoque docere? Assero equidem, te omnino negare deos. O admirabilis Melite, curnam ista dicis? Neque solem igitur, neque lunam esse deos credo, ut homines alii. Per Jovem ita, o judices. nam solem quidem lapidem esse dicit; lunam vero terram. Anaxagoram tu quidem, o amice Melite, accusandum censes; atque ita hos parvi facis, existimans, eos literarum ignaros esse, quasi nesciant, libros Anaxagoræ Clazomenii ejusmodi opinionibus esse plenos, et locus est gymnasticus. Juvenes ais hæc a me discere? quæ liceret interdum, etiam si multa sint, unius drachmæ pretio emere ex orchestra Socratemque deridere, si sua esse fingeret, præsertim quum tam absurda sint. Sed per Deum, o Melite, putasne revera, nullum me deum existimare? Nullum per Jovem. Incredibile est, o Melite, quod dicis; et quidem, ut mihi videtur, etiam tibi ipsi. Mihi enim, o viri Athenienses, nimis contumelioseus ac petulans iste vir, ipsamque accusationem contumelia quadam et petulantia et juvenili temeritate procul dubio conscripsisse videtur. videtur enim ceu [27] ænigma quoddam componere, tentans, an Socrates sapiens deprehendat ipsum quasi ludentem, sibique ipsi contraria proponentem; vel Socrates nos cum auditoribus ipsis decipiatur. Hic namque repugnare sibimet in ipsis accusationis verbis mihi videtur, ceu si dixerit, Contra leges agit Socrates deos non putans, sed deos putans. Quæ quidem jocantis nugæ esse videntur. Animadvertite, o viri, quo pacto Melitus mihi videtur hæc dicere. Tu vero responde nobis, o Melite. Sed vos, quod ab initio oravi, ne graviter feratis, si pro more meo verba facio. Estne quisquam, o Melite, qui humana quidem esse putet, homines vero nequaquam? Respondeat mihi, o viri, neque modo in his, modo in illis perturbet. estne aliquis, qui equos non putet esse, sed equestria? vel tibicines quidem non esse, sed tibicinum officia? Non est quisquam, o virorum optime. Ego enim pro te et tibi et his aliis respondeo, siquidem ipse non vis respondere. Sed ad hoc saltem, quod magis ad rem pertinet, responde. An est quisquam, qui dæmonia quidem opera opinetur esse, dæmones autem minime? Nullus. Quam tarde et vix respondisti ab his coactus? Nonne igitur dæmonia opera confiteris me et putare et docere, sive nova, sive antiqua sint? omnino enim, ut tu confiteris, dæmonia ego assero, atque hæc quidem in responsione vicissim accusationi rescripta jurabo. Quod si dæmonia puto, necessarium est omnino, putare me dæmones quoque esse. an non ita se res habet? Ita certe. Pono enim te confitentem, quandoquidem respondere non vis. Dæmones autem, nonne aut deos arbitramur esse, aut deorum filios? faterisne hoc, an negas? Prorsus. Nonne si dæmones esse arbitror, ut ipse concedis, dæmonesque dii quidam sunt, id evenit, quod modo dicebam? ænigma proponere te et quasi nugari dicendo, me deos non existimantem, deos tamen rursus existimare, quandoquidem dæmones esse deos? Rursus, si dæmones deorum filii sunt, spurii videlicet quidam, aut ex nymphis, aut ex aliis quibusdam, ut fertur, quisnam hominum filios quidem deorum esse putet, deos vero neget? Perinde enim id absurdum foret, ac si quis equorum quidem filios vel asinorum mulos esse putet, equos autem et asinos esse non putet. Sed, o Melite, videris procul dubio accusationem istam ideirco ita posuisse, vel ut ingenii nostri periculum faceres, vel quia, in quo re vera me criminareris, nihil haberes. Tu vero quanam ratione persuaderes alicui, vel minimum quidem mentis habenti, non esse ejusdem viri, dæmonia simul et divina putare; ac rursus ejusdem, neque dæmones, neque deos, neque heroes? Nulla certe ratione fieri posse ali-

Digitized by Google

ter [28] ostendi potest. Ceterum, o viri Athenienses, quod quidem ego non deliquerim, quemadmodum Melitus accusat, haud magna mihi purgatione opus esse videtur: sed ea, quæ dicta sunt, sufficere judico. Quod autem ab initio dixi, malevolentiam plurimam esse contra me apud plurimos concitatam, id profecto verissimum est: et hoc me perimet, si quidem perimar; non Melitus, neque Anytus; sed multorum calumnia et invidia; quæ quidem alios quoque multos viros bonos peremit hactenus, et, ut arbitror, perimet. nihil enim grave, vel mirum, si in me obesse non desinat. Forsitan vero ita me quispiam interrogabit: Nonne te pudet, o Socrates, tale quiddam exercere, ex quo continuo in periculum venias moriendi? Equidem huic objectioni justam hanc responsionem dabo: Haud recte, o vir, loqueris, si putas, magnam aut vitæ aut mortis habendam esse rationem homini, cujus vel parva quædam utilitas sit: ac non illud potius duntaxat considerandum, quoties aliquid agit, utrum justa agat, an injusta, aut boni viri opera, sive mala. Alioquin ex hac ratione tua spernendi fuissent semidei omnes, quotcunque apud Trojam occubuerunt, et alii, et in primis ipse Thetidis filius: qui usque adeo mortis contemsit periculum, ne turpem subiret infamiam, ut cum sibi dea mater properanti ad Hectorem occidendum prædixisset, his ferme, ut arbitror, verbis: O fili, si pro vindicta Patrocli amici tui ab Hectore interfecti, Hectorem interfeceris, ipse peribis; inquit enim, Subito post Hectorem infelix tibi sors imminet: cum, inquam, ab ea hæc accepisset, usque adeo discrimen mortemque contempsit, ut multo magis timuerit turpem vitam amicorum inultis injuriis, quam mortem: statimque responderit, mori se malle pro justa amici vindicta, quam moras trahentem apud naves ridiculum contemptumque vivere. Hunc ergo periculi mortique curam habuisse quisnam dixerit? et profecto ita res se habet, o viri Athenienses. Quo quisque in loco vel seipsum constituit, arbitratus id optimum esse, vel a superiore jubetur consistere; in eo, ut mihi videtur, permanere oportet, periculumque subire, neque mortem, neque aliud quidquam magis quam turpitudinem formidantem. Equidem, o viri Athenienses, graviter aberrarem, si cum illis paruerim præfectis, quos ipsi mihi præposuistis et in Potidæa, et in Amphipoli, et in Delio: (tunc enim, ubi illi me consistere jusserunt, ibi constiti, ut quisquam alter, mortisque discrimen subivi:) ubi deus me posuit, permanereque voluit, ut opinatus sum atque existimavi, videlicet philosophantem me vivere, ac meipsum aliosque scrutari; ibi ob [29] mortis alteriusve rei metum ordinem desererem. Pergrave, inquam, id esset delictum, et tunc revera me juste quis in judicium traheret, quasi deos non putantem, videlicet oraculo non parentem, atque mortem timentem, putantemque me sapientem esse, quum sapiens minime sim. Nam mortem timere, o viri, nihil est aliud, quam sapientem videri eum, qui non sit sapiens. quippe cum id sit scire videri, quæ nesciat. Nemo enim scit, utrum mors summum bonorum omnium contingat homini. metuunt autem, perinde ac si eam scirent maximum esse malorum. Cui vero dubium esse debet, quin hæc ipsa inscitia sit maxime vituperanda, per quam aliquis se putat scire, quæ nescit? Ego autem, o viri, in hoc forsan a multis hominibus differo: ac si qua in re sapientiorem me aliquo esse dicerem, in hac utique dicerem, quod cum haud sufficienter, quæ sunt apud inferos, norim, similiter me non nosse cognosco. Injurias autem inferre, superiorique non obedire vel deo vel homini, malum turpeque esse scio. Hæc igitur, quæ nescio, utrum bona sint, nunquam magis timebo, atque fugiam, quam illa, quæ mala esse cognosco. Quamobrem si me nunc absolvatis, (non credentes Anyto, qui dixit, aut me in judicium ab initio vocandum non esse, aut vocatum necessario esse damnandum: nam si a vobis absolverer, fore ut filii vestri. Socratis secuti vestigia,

Digitized by Google

omnes omnino corrumperentur) si, inquam, ad hæc vos ita dicatis: o Socrates, Anyto non credimus, teque sententiis nostris absolvimus, hac tamen conditione, ut nunquam posthac in hac inquisitione philosophiaque verseris: ac si id facere [deprehendare, mortem obeas.] si igitur, ut dicebam, his conditionibus dimittere me velitis, respondebo utique vobis: o viri Athenienses, diligo vos equidem atque amo; Deo tamen parere malo, quam vobis. et quamdiu spirabo viresque suppetent, philosophari non desinam, exhortans et docens quemcunque nactus fuero, sicut soleo, hunc in modum: Quid tu, o vir optime, cum civis sis Atheniensis, civitatis amplissimæ ac sapientia et potentia præstantissimæ, non erubescis in eo omnem operam ponere, quo tibi pecuniarum et gloriæ et honoris quam plurimum sit? ut autem prudentia et veritas, et optimus animi habitus in te sit, neque cogitas, neque curas? Ac si quis vestrum mecum contenderit, id se curare asseverans, haud statim dimittam illum, neque recedam, sed sciscitabor, examinabo, redarguam. Quod si mihi non videatur possidere virtutem, attamen profiteri; objurgabo, quod ea, quæ plurimi pretii sunt, [30] nihili pendat, vilissima vero plurimi faciat. Hoc equidem officium præstabo juniori et seniori, quemcunque nactus fuero, rursusque peregrino et civi; magis autem civibus, quanto mihi genere propinquiores estis. Hoc enim Deus ipse jubet. Reor autem, quod et vos latere non debet, nullum adhuc bonum vobis in hac urbe majus contigisse, quam hoc meum ministerium, quod Deo parens exhibeo. Nihil enim aliud agens circumeo, quam suadens juvenibus senioribusque vestrum, neque corporum, neque pecuniarum, neque aliarum omnino rerum curam prius vehementiusque, quam animi, habendam esse, ut quam optimus sit; docens, non ex pecuniis virtutem, sed ex virtute pecunias, aliaque bona omnia et privatim et publice hominibus provenire. Si igitur hæc docens pervorto juvenes, essent certe perniciosa. at si quis dicat, me alia quam hæc docere, nihil dicit. Horum gratia, o viri Athenienses, profiteor equidem, sive credatis Anyto, sive non credatis, sive dimiseritis me, sive non dimiseritis, profiteor, me nihil aliud esse facturum, nec si mihi sit pluries moriendum. Ne conturbemini, o viri Athenienses; sed quemadmodum ab initio rogavi, me æquo animo audiatis; erit enim vobis, ut arbitror, utile, si, quæ nunc dicturus sum, audietis. equidem vobis nonnulla dicturus sum, quæ audientes forsitan ad clamorem in præsentia provocemini. ego vero silentium a vobis exposco. Scitote, si me occideritis talem, qualem vobis modo dicebam, non me læsuros esse vos magis, quam vos ipsos. Me quidem neque Melitus, neque Anytus unquam lædet. neque enim posset: siquidem nefas est, ut arbitror, meliorem virum a deteriore lædi. Interficere tamen potest, vel pellere, vel contumelia quadam afficere. atque hæc iste quidem et alius aliquis ingentia putet esse mala: ego vero non puto; sed multo pejus esse, illa facere, quæ nunc iste facit, aggrediens, injusto virum occidere. Quamobrem, o viri Athenienses, non tam mihi nunc opus est, defensionem pro me ipso meditari, ut aliquis existimaret, quam vobis; ne quid me condemnantes contra id munus, quod deus vobis tribuit, delinquatis. Si enim me interfeceritis, haud facile alium talem reperietis, vere quidem, etsi forte id dictum ridiculum est, civitati vestræ a deo adhibitum, velut equo cuidam magno et generoso, sed ipsa mole pigriori, atque calcaribus excitari indigenti: qualem videtur me deus civitati addidisse, qui singulos excuscitans et monens, et objurgans, [31] non cesso diem totam ubique vobis assistere. Talem vero alterum non facile nanciscemini, o viri Athenienses. ergo, si mihi credideritis, me vestris sententiis absolvetis. At vero si forte dormitantium more, graviter fereates vos excuscitari, me, ut vult Anytus, temere occideritis; reliquum omne tempus dormietis, nisi forsan deus vobis prospiciens alium quendam

Digitized by Google

miserit. Me vero esse talem, ut a deo civitati tributus fuisse videar, hinc potestis animadvertere. Non humanum certe id esse videtur, quod ego mea quidem omnia omnino neglexerim, atque in hac rei familiaris negligentia tot annos jam perseverem, vestro semper intentus bono, dum singulos adeo, tanquam pater, aut frater natu major, suadens, curam virtutis habere. Quod si quam pro officio meo mercedem reciperem, humanam quandam id rationem haberet. nunc vero, quod et vos plane videtis, accusatores isti mei, quanquam impudentissime alia contra me omnia coacervarunt, hoc unum tamen solita illa impudentia nequaquam ausi sunt pertentare, testesque adhibere, qui probent, me unquam pro his mercedem ullam exegisse, aut petisse. Hujus autem rei sufficientem vobis, ut arbitror, testem affero, paupertatem meam. Sed forsan absurdum alicui videri potest, me privatim haec consulere singulis, anxie nimis circumeuntem; publice vero in concionibus ausum non fuisse hoc idem civitati consulere. Hujus autem causa est, de qua saepe me passim dicentem audivistis, divinum videlicet quiddam atque daemonicum in voce quadam mihi adesse. quod quidem Melitus in accusatione derisit. sed mihi quidem ab ipsa pueritia hoc adest, vox scilicet quaedam, quae quoties fit, me prohibet agere, quod acturus eram, provocat vero nunquam. hoc, inquam, est, quod mihi repugnet, quo minus me ad publica conferam. Et recte admodum mihi adversari videtur. constat enim, o viri Athenienses, si quondam negotia publica aggressus fuissem, jamdiu mihi fuisse pereundum: itaque nullam vel vobis, vel mihi attulissem utilitatem. Ne mihi succenseatis, oro, vera dicenti. nemo enim diu salvus esse potest, [32] si aut vestro, aut alteri cuiquam populo legitime adversetur, quo multa injusta atque iniqua, quae fieri soleat in civitate, prohibeat. sed necesse est, eum qui revera pro justitia pugnat, si modo brevi salvus futurus sit, privatum degere, neque rempublicam attingere. Horum equidem magna vobis afferam argumenta; non verba quidem, sed, quod vos multifacitis, facta. Audite jam, quae mihi contigerint, ut planius perspiciatis, nulli me quidquam contra justitiam ob mortis metum concessuram fuisse, atque non concedentem, simul fuisse periturum. Referam vobis equidem molesta quaedam atque judicialia, vera tamen. Ego enim, o viri Athenienses, nullo adhuc publico functus sum munere, nisi quod ad consilium sum electus. contigit autem, tribum meam Antiochearn eo tempore praesidere, quo vos decem illos exercitus duces, quia navali pugna interemptos non susceperint, damnare simul omnes properastis, injuste quidem, ut cunctis postea vobis notum fuit. Tunc ego solus ex omnibus praefectis me vobis opposui, ne quid ageretis praeter leges, meisque suffragiis restiti. Quo in tempore, cum oratores multi parati essent deferre meum nomen, atque in judicium trahere, voseque ipsi ingenti idem clamore juberetis; existimavi, oportere me magis pro lege atque justitia subire periculum, quam vobiscum sentire, non sentientibus justa, ob metum carceris aut mortis. Et haec quidem facta sunt, civitate adhuc sub libertate populi constituta. postquam vero ad paucorum potentiam deventum est, rursus triginta illi, qui rempublicam occuparunt, vocantes me una cum aliis quatuor in Tholum, jusserunt Leontem Salamiuium ex Salamine adducere, quo ille necaretur; qualia videlicet multa illi, et aliis multis eo tempore mandabant, ut complures criminibus suis involverent. Tunc ego non verbis quidem, sed re ipsa, rursus ostendi, nihil omnino, quamvis dictu rusticius videatur, curare mortem; illud vero omnino curare, ne quid injustum neve impium facerem. Me vero potestas illa terribilis nequaquam ita conterruit, ut injusto aliquid facerem. Sed ubi Tholo egressi sumus, reliqui quatuor in Salaminam adventantes captum Leontem duxerunt: ego vero domum abivi: ac forsan propterea me illi interfecissent, nisi brevi eorum potestas dissoluta fuisset. Atque horum

Digitized by Google

testes vobis erunt permulti. An ergo putatis, tot annos me victurum fuisse, si publica tractavissem, bonique viri officio fungens, justitiæ suffragatus essem, atque, ut oportet, unum id officium omnibus præstulissem? Permultum abest, o viri Athenienses: neque enim alius quisquam hominum ita se gerens, diu salvus esse potuisset. [33] At ego per omnem vitam, sicubi publica tractavi negotia, talem me præstiti, et privatim idem ipse, nemini unquam præter id quod justum est, concedens, vel aliis, vel horum alicui, quos ii, qui me criminantur, meos affirmant esse discipulos. Ego autem nullius unquam præceptor fui. Sed si quis dicentem me ac mea tractantem audire desideravit, sive junior, sive senior, nulli unquam id negavi. Neque vero is ego sum, qui pecuniis acceptis disputem, non acceptis vero taceam: sed pariter diviti atque pauperi interrogandum me præbeo; ac etiam, si quis respondendo audire velit, quæ dico. Et si quis horum probus fiat, vel non, haud juste crimen subirem: quippe cum nulli unquam doctrinam vel tradiderim ullam, vel promiserim. Quod si quis dixerit, privatim a me quidquam vel didicisse, vel audisse, quod nec aliis omnibus commune fecerim, non verum dicit. Sed quam ob causam quidam mea consuetudine oblectentur, o viri Athenienses, audite. Omnino verum est, quod vobis supra dicebam, delectari homines, cum redargutioni eorum adsunt, qui se, cum non sint, existimant sapientes. Est enim res non injucunda: mihi vero, ut dixi, a Deo injuncta et per vaticinia, et per somnia, et per omnem modum, per quem aliqua alia sors divina homini quidquam mandarit agendum. Hæc, o viri Athenienses, et vera sunt, et facile arguenda. Enimvero, si ego juvenum alios quidem nunc corrumpo, alios vero jamdiu corrupi, consentaneum esset, ut nunc illorum aliqui seniores facti, quoniam intelligerent, me sibi adolescentibus male consuluisse, contra me insurgerent, ac pœnas depoposcerent. at si ipsi nollent, saltem necessarios illorum aliquos, patres et fratres, et alios cognatos, si quid mali a me eorum necessarii passi fuissent, commemorare nunc et pœnas exigere. Sed adsunt hic, quos cerno, illorum permulti. Primum quidem Crito iste, æqualis meus atque contribulis, Critobuli hujus pater. deinde Lysanias Sphettius, Æschini hujus pater. præterea Antipho Cephisieus, pater Epigenis. Adsunt et alii, quorum fratres familiariter me usi sunt, Nicostratus, Zotidi filius, Theodoti frater, (et Theodotus quidem defunctus est, ut fratrem precari non possit,) et Paralus hic, filius Demodoci, cujus Theages frater erat: [34] Adimantus quoque, filius Aristonis, cujus frater est iste Plato: denique Æantodorus, cujus Apollodorus hic est frater. Alios permultos referre possum, quorum unum aliquem, præsertim in ejus oratione, oportuit a Melito testem produci. At vero, si tunc oblitus est, nunc saltem producat: ego permittam. afferat, inquam, si quid tale habet, in medium. Sed contra omnino se res habet, o viri Athenienses. omnes enim, ut videtis, convenerunt libenter ad opem mihi ferendam, qui corrupisse eorum necessarios detrimentumque attulisse, a Melito Anytoque accusor. Quod si ipsi, qui depravati sunt, mihi opitularentur, nihil mirum esset: at propinqui eorum, senieres a me nunquam depravati, qua tandem ratione mihi suffragantur, nisi recta quadam et justa? quippe cum et Melitum mentiri, et me vera loqui, cognoscant. Quæ igitur pro defensione mea, o viri Athenienses, habeo, ferme hæc sunt, et alia forte similia. Sed forsan vestrum aliquis, ad se moresque solitos se recipiens, graviter ferat, quod, cum levioribus etiam in causis reus multis cum lacrymis soleat deprecari, atque supplicare, ac filios in judicium producere, ut commiserationem commoveant, et alios domesticorum amicorumque permultos: ego nihil horum faciam, quamvis in extremo, ut videtur, discrimine constitutus. his ergo offensus aliquis contra me pertinacius irritetur, atque ipsa in ira sententiam

Digitized by Google

contra me ferat. Si quis ergo inter vos ejus mentis est, ego tamen non censeo obsecrandum, sed hac ratione potius æque me hunc allocuturum: Sunt et mihi, o vir optime, cognati quidam. Neque enim, ut inquit Homerus, ex quercu vel petra, sed ex hominibus natus sum. Itaque et cognatos habeo, o viri Athenienses, et filios tres; quorum unus jam adolescit, duo autem sunt parvuli. nullum tamen eorum huc adducam, supplicaturus eo pacto a vobis absolvi. Curnam igitur nihil horum faciam? Non pertinacia ulla, neque contemptu, viri Athenienses: utrum vero audacter me habeam erga mortem, an non, alia ratio est. Ad existimationem tamen, et mei, et vestri, et civitatis totius, non arbitror pertinere, ut ista faciam in hac ætate, et hoc nomine, quod nactus sum; sive id verum sit, sive falsum. Attamen jam opinione hominum præoccupatum est, Socratem inter multos [35] præcipuo quodam excellere. Si ergo hi, qui inter vos sapientia, vel fortitudine, vel quavis alia virtute præstare existimantur, tales erunt, quales sæpe quosdam, cum de illis judicaretur, vidi, turpe nimium erit, qui cum esse alicujus pretii existimarentur, attamen in judicio mirum in modum commiserationi studebant; quasi grave aliquid passuri, si ex hac vita decesserint: perinde ac immortales essent futuri, si vos illos non occidatis. Atqui hi mihi videntur civitati dedecus afferre: propterea quod existimare peregrinorum aliquis potest, eos, qui inter Athenienses virtute præstant, in magistratibusque ceterisque honoribus superiores habentur, nihil a mulieribus differre. Hæc autem, o viri Athenienses, nec vos, qui alicujus auctoritatis esse videmini, facere decet; neque, etiamsi nos facere velimus, permittere: sed hoc ipsum ostendere, vos eum multo magis damnaturos esse, qui commiserationes ejusmodi introducens, ridiculam reddiderit civitatem, quam illum, qui quietus judicium exspectaverit. Proinde, o viri Athenienses, accedit ad ea, quæ de civitatis existimatione dicta sunt, quod nec justum mihi videtur esse, judicem precari, neque precando absolvi, sed docere atque suadere. Non enim ad hoc sedet judex, ut per gratiam concedat, sed ut judicet secundum leges. Atque id jurejurando promisit, non per gratiam cuicunque libuerit condonare, sed judicare secundum leges. Non igitur licet, vel nobis assuefacere vos dejerare, vel vobis, assuefieri. neutri enim nostrum religionem servarent. Nolite ergo, o viri Athenienses, exigere, talia me apud vos agere, quæ neque honesta, neque justa, neque sancta esse puto: et id quidem omnino, præsertim vero per Jovem, cum impietatis erga deum a Melito hoc accuser. Profecto, si pergerem persuadere vobis, precandoque flectere, cum juraveritis, docerem utique, vos non putare deos esse; ac revera, dum pro me defensionem paro, me ipsum interim accusarem, quasi deos nequaquam existimantem. Sed multum abest, ut ita se res habeat. existimo namque esse deos, o viri Athenienses, magis quam quisquam meorum accusatorum; ac vobis deoque permitto, de me judicare, ut mihi et vobis sit conducturum. Quod vero non graviter feram, o viri Athenienses, me a vobis esse damnatum, [36] et alia multa faciunt, et illud in primis, quod non præter spem id accidit: verum multo magis admiror utrorumque numerum calculorum. Siquidem non putabam, tam pauco calculorum numero ab absolutione abesse. nunc autem, ut videtur, si tres solum calculi aliter cecidissent, evadebam. Melitum certe nunc evasisse videor: neque evasisse solum; sed unicuique constat, nisi surrexissent Anytus et Lycon, me accusantes, mille drachmas illum fuisse pensurum, quoniam partem quintam calculorum non accepisset. Licetur ergo judicium morte vir iste. esto. sed ego, o viri Athenienses, quonam me liceamini postulabo? An non videlicet eo, quo dignus sum? Quid ergo? quidnam dignum est, pati me aut pendere, ob id, quod quæ didici, non siluerim, sed neglexerim, quæcunque multi facit vulgus, quæstum, rem familiarem,

Digitized by Google

præfecturas, conciones, ceteroque magistratus; præterea aufugerim conjurationes atque seditiones, quæ in republica contigerunt, arbitratus, meipsum revera ad æquiora officia esse natum, quam ut ab his salutem meam pendere existimarem? Ad hæc, inquam, me non contuli, quibus occupatus, neque vobis, neque mihi ipsi fueram profuturus: sed uni huic officio duntaxat incubui, ut privatim unumquemque vestrum salutans, maximam, ut equidem existimo, afferrem utilitatem, suadens videlicet unicuique, nihil ex rebus suis prius, quam seipsum esse curandum, ut quam optimus prudentissimusque evadat; nec res civitatis curandas esse prius, quam civitatem ipsam; et aliarum item rerum curam eadem ratione esse habendam. Quid igitur, cum sim talis, a vobis reportare dignus sum? Bonum certe, o viri Athenienses; si modo pro dignitate revera existimetis: ac tale quidem bonum, quale mihi conveniat. Quid igitur convenit viro egeno beneficoque, cui vacare a ceteris occupationibus expediat, quo vos ad virtutem cohortari queat? Nullum certe est aliud præmium, o viri Athenienses, quod magis virum talem deceat, quam in Prytaneo publico sumptu nutriri: et multo quidem magis, quam si quis vestrum equo, aut bigis, aut quadrigis Olympia vicerit. Nam ille quidem facit, ut felices videamini; ego vero, ut sitis. præterea ille nutritione non indiget, ego indigeo. Itaque, si pro dignitate ac justitia æstimari oportet, ego me hoc dignum existimo, alimonia scilicet [37] publice in Prytaneo mihi exhibenda. Forte vero hæc vobis dicens ita protervus videor, ut in superioribus visus sum, ubi commiserationes supplicationesque detestabar. Id autem haud tale est; sed ejusmodi potius, o viri Athenienses. Persuasum est enim mihi, ut nemini sponte injuriam faciam. quod quidem idcirco vobis non persuadeo, quia breve tempus habuimus colloquendi. Verum, si lex talis apud vos esset, qualis apud ceteros, ut, ubi mors pœna sit, in eo judicio non diem unam, sed plures disceptetur, vobis, ut arbitror, persuasissem. nunc vero haud facile fuit, in tam brevi tempore calumnias magnas diluere. Cum igitur mihi persuasum sit, nemini faciendam esse injuriam, permultum abest, ut mihi ipsi sim facturus. Quid ergo? numquid veritus, ne id subeam, quo Melitus me dignum censet, quod equidem aio nescire me utrum bonum sit, an malum, ut hoc devitem, eligam eorum aliquid, quæ plane mala esse scio, atque hoc me dignum esse censebo? Utrum ergo vincula? Et quid oportet me in carcere vitam agere, semper undecimviris servientem? Utrum pecunias solvere, atque, donec solutæ sint, in vinculis permanere? At vero id tantundem est, atque quod supra dicebam, cum mihi desit, unde pecunias persolvam. An forte exsilium? forte enim hoc dignus esse censebor: nimia tamen, o viri Athenienses, me cupiditas vitæ teneret, si adeo imprudens essem, ut non possem animadvertere, si vos cives mei consuetudinem meam sermonesque perferre non potuistis, sed usque adeo gravis invidiosaque vobis fuit mea consuetudo atque oratio, ut mox liberare vos ab illa jam decreveritis, alios tamen facile me putem toleraturos. Permultum abest, o viri Athenienses. Præclara scilicet mihi vita foret, in hac ætate exsulanti, et aliam ex alia civitatem permutanti, et in continua repulsa viventi. Equidem, ut plane intelligo, quocunque proficiscar, audituri me, sicut et hic, sequentur adolescentes: ac si eos repellam, ipsi vicissim, senioribus id persuadentes, me repellent. si non repellam, eorum patres et cognati ob hos ipsos me expellent. Forsitan vero dicet aliquis: Nonne potes, o Socrates, in exsilio silentium et quietem agere? At hoc omnium est difficillimum aliquibus vestrum persuadere. Sive enim respondero, id esse non parere Deo, propterea me non posse quiescere, non credetis mihi, quasi per ironiam loquenti: [38] sive dixero, me ab hoc officio nolle vacare, quia id homini maximum contingit bonum, diebus videlicet singulis de virtute verba

Digitized by Google

facere, atque de aliis, de quibus me quotidie loquentem vos auditis, atque ita me ipsum aliosque scrutari, vitamque inconsideratam respuendam esse censere; hæc etiam multo minus mihi credetis. Hæc vero, o viri Athenienses, ita ut dico, se habent; sed haud facile persuaderi possunt. Et simul nunquam malo dignari me consuevi. Quod si mihi forent pecuniæ, judicium pecuniis licerer, quot pensuras forem; neque obesset mihi illas amittere. Nunc vero non adsunt; nisi forte, quantam valeo solvere, tanti æstimari velitis. possum vero ferme argenti minam. tanti ergo judicium æstimo. Plato autem hic, o viri Athenienses, et Crito, et Critobulus, et Apollodorus jubent me triginta minis liceri. ipsi vero tantum vobis promittere parati sunt. liceor ergo tanti. promissores vero argenti hujus hi vobis erunt sufficientes. Non multi temporis gratia, o viri Athenienses, criminandi meterum præbuistis volentibus civitatem vituperare, quia scilicet Socratem occideritis, virum sapientem. dicent enim illi, licet non sim, me sapientem, qui vos vituperare volent. Si ergo breve tempus exspectavissetis, absque vestra opera me contingebat mori. Videte ætatem meam, quam procul jam sit a vita, morti vero propinqua. Neque vero hæc adversus vos omnes dico, sed adversus eos tantum, qui me morte damnarunt. Dico etiam hæc ad hos ipsos. Forsan putatis, me, viri Athenienses, in judicio concidisse talium verborum inopia, quibus utique persuasissem vobis, si omnia facienda dicendaque putavissem, quibus a vobis absolverer. Longe vero se res aliter habet. Certe ob paupertatem damnatus sum, non verborum quidem, sed audaciæ atque impudentiæ, et quia talia apud vos dicere nolui, qualia vobis auditu gratissima contigissent, audientibus videlicet me deflentem atque lamentantem, et alia facientem multa atque dicentem, ut dixi, me indigna; qualia frequenter ab aliis audire consuevistis. Sed neque ab initio censui, decere, ob periculum devitandum, illiberale aliquid facere; neque nunc me pœnitet, hac defensionis ratione usum fuisse. malo equidem, tali quadam defensione fretus, mortem obire, quam contraria supervivere. Neque enim in judicio, neque in bello, [39] vel mihi, vel alteri, omnia, quibus vitemus mortem, sunt facienda. nam in præliis sæpe constat interitum vitari, si quis, abjectis armis, supplex ad insequentes se convertat. Alia quoque in singulis periculis machinamenta sunt, quibus interitum quis effugiat, si quem non pudeat facere quælibet atque dicere. Sed considerate, o viri Athenienses, haud id quidem difficile esse, mortem effugere, sed multo difficilius, pravitatem. velocius enim illa currit, quam mors. Atqui ego nunc, utpote ob senectutem, tardior a tardiori captus sum; accusatores autem mei, utpote vehementes atque veloces, ab ea, quæ velocior est, pravitate. Et nunc quidem ego abeo damnatus a vobis, mortem subiturus; isti vero a veritate ipsa damnati, pravitati injustitiæque obnoxii. atque ego quidem pœnæ acquiesco, et isti. Hæc igitur forte sic oportebat se habere; arbitrorque, ea habere se mediocriter. Post hæc autem vobis, qui me condemnastis, cupio divinare. nam illuc mihi jam perventum est, ubi solent homines divinare, quando videlicet sunt prope mortem. Prædico equidem vobis, o viri Athenienses, si me interfeceritis, supplicium vobis statim post mortem meam esse venturum, ac per Jovem multo durius eo, quo me affeceritis. nunc enim id egistis, putantes liberare vos, quo minus rationem vitæ vestræ redarguenti cuiquam reddere compellamini. Id vero contra omnino vobis accidet. Nam plures futuros arbitror, qui vos redarguant, quos ego compescebam, etsi vos id non sentiebatis: tantoque illi infestiores erunt, quanto et juniores; ideoque vos gravius id feretis. Profecto, si putatis per interfectionem hominum a vituperatione vos absolvere, minime aberratis. Non enim est hæc liberatio vel valida satis, vel honesta. sed illa tam facillima, quam optima est, non disturbare quidem alios, sed se ipsum compa-

Digitized by Google

rare, ut quam optimus evadat. Hæc ergo vobis, qui me condemnastis, vaticinatus, finem facio. Vobis autem, qui me absolvistis, libenter de hujusmodi re, quæ contigit, verba facerem, quamdiu magistratus negotio distinentur, necdum eo vado, ubi me oportet mori. Sed, o viri, assistite mihi id tempus. Nihil enim prohibet, invicem (dum licet) confabulari. Nempe vobis tanquam amicis [40] demonstrare volo, quod mihi modo accidit, quidnam menti significet. Mihi quidem, o judices, (vos enim judices recte appellare possum,) mirabile quiddam contigit. vox enim illa dæmonis vaticinatrix mihi semper in superiori tempore frequenter omnino offerre se consuevit, et in rebus quidem levissimis se opponens, si quid minus recte facturus fuissem. Nunc autem ea mihi, quæ videtis, acciderunt, quæ profecto putaret aliquis atque existimaret, extrema esse malorum. sed mihi neque domo exeunti mane Dei signum adversatum est, neque dum in judicium veniebam, neque in aliqua sermonis parte, dum verba faciebam: quamvis alias frequenter, dum loquerer, in medio sermonis cursu consueverit cohibere. nunc autem in hac re nusquam, vel agenti, vel loquenti est adversatum. Quam vero hujus rei causam esse putem, vobis aperiam. Apparet enim, mihi quod contigit, bonum esse. nec recte ullo modo judicatur a nobis, quicunque mortem opinamur esse malam. Cujus quidem rei magna apud me hæc est conjectura, quod signum mihi, ut consuevit, repugnavisset, nisi bonum quid acturus fuissem. Cogitare autem hoc pacto possumus, spem multam esse, id esse bonum. duorum enim alterum mors est. nam aut tanquam nihil omnino sit, sensum nullum ullius rei retinet is qui decessit e vita; aut, quemadmodum dicitur, permutatio quædam et transmigratio animæ ab hoc in alium locum. Sive ergo nullus remanet sensus, sed tanquam somnus quidam est, in quo quis somnium cernit nullum, admirabile lucrum erit in morte. Reor equidem, si quem oporteat ad eam noctem, quam tanta transegit quiete, ut ne insomnium quidem ullum videret, alias noctes diesque vitæ totius conferre, atque dicere, quot ipse noctes atque dies in vita melius dulciusque peregerit: reor, inquam, nedum privatum aliquem, sed nec magnum quidem regem, aliquas numerare posse. Si ergo tale quiddam est mors, lucrum esse equidem dico: (etenim nihil plus hoc pacto totum tempus quam nox una esse videtur:) sin autem mors est tanquam transmigratio quædam hinc in alium locum, ac vera sunt quæ dicuntur, videlicet in alio seorsum a nobis loco omnes defunctos esse, quidnam melius quam hoc esse potest, o judices? Si quis enim illuc profectus, liber ab his qui profitenter judices esse, [41] veros repererit judices, qui judicare illic perhibentur, Minoem, Rhadamanthum, Æacum, Triptolemum, aliosque, quotcunque semidei juste vixerunt, nunquid ejusmodi transmigratio parvi pendenda censebitur? Rursus Orpheum Musæumque convenire et Hesiodum et Homerum, quam multo aliquis nostrum redimeret? Equidem, si hæc vera sunt, sæpius mori velim, quippe cum mihi inprimis mirifice grata sit futura habitatio illa atque consuetudo, quandoquidem una cum Palamede futurus sum, et Ajace, Telamonis filio, et aliis antiquorum, quicunque falso damnati judicio decesserunt e vita, apud quod meos casus cum illorum casibus conferre utrinque, ut arbitror, non injucundum foret. Illud præterea maximum, illic degere scrutantem singulos atque examinantem, quemadmodum hic feci, quisnam illorum sapiens sit, et quis, cum non sit, se tamen existimet sapientem esse. Proinde quanti faciendum est, o judices, perscrutari ducem, qui tantum ad Trojam duxit exercitum? vel Ulixem vel Sisyphum aliosque quam plurimos, quos referre quis potest, viros et mulieres? quibuscum loqui atque examinando versari, inæstimabilis prorsus felicitas esset. siquidem hujus causa, qui illic degunt, haud amplius moriuntur: suntque illi nobis et in rebus aliis beatiores, et in eo insuper, quod re-

Digitized by Google

liquum jam tempus permanent immortales ; si quidem vera sunt, quæ dicuntur. Vos quoque, o judices, bene de morte sperare debetis, idque unum cogitare verum esse, viro videlicet bono nihil mali accidere posse neque viventi, neque defuncto ; neque res illius a diis negligi. Neque vero mea nunc casu aliquo acciderunt, sed mihi id constat, mori jam et a laboribus liberari, mihi melius extitisse. atque hanc ob causam divinum illud signum mihi non obstitit. Nec equidem haud admodum his indignor qui accusarunt me vel condemnarunt : quamvis non hac mente accusaverint me atque damnaverint, sed quia detrimentum mihi inferre sperabant. ob hoc utique illis est succensendum. (Sed jam ad eosdem illos reversus, sic eos alloquor :) Tantum tamen vos precor, o viri, ut meos quoque filios, cum adoleverint, si ipsi similiter atque ego vobis molesti sint, pœnis similiter afficiatis ; præsertim, si videantur vobis vel pecuniarum, vel alterius cujusquam rei majorem, quam virtutis, curam habere : atque si videri velint, putentve, se alicujus esse pretii, cum nullius sint, illos objurgetis, quemadmodum ego vos ; quod non illis incumbant, quibus est incumbendum, ac existiment, cum nullius pretii sint, se aliquid esse. Quod si hæc feceritis, justa [42] a vobis passus fuero, egoque et filii. Sed jam hora est hinc abire, me quidem, ut moriar ; vos autem, ut vitam agatis. Utri vero nostrum in melius eant, omnibus præterquam deo est incertum.

Digitized by Google

CRITO.

SOCRATES, CRITO.

[43] Cur nam hac hora venisti, o Crito? annon valde adhuc est ante lucem? Cr. Valde quidem. So. Quando vero maxime? Cr. Profunda aurora. So. Admiror, quemadmodum ipse custos carceris tibi obtemperare voluerit. Cr. Familiaris jam mihi est, o Socrates, ob crebrum huc adventum meum. Præterea beneficii nonnihil a me accepit. So. Venistine modo? an jam est dudum? Cr. Satis dudum. So. Proinde cur non statim me excitasti, sed silentio assedisti? Cr. Nunquam per Jovem, o Socrates, excitassem. neque enim ipse vellem in tanto dolore evigilare. Sed te jamdudum admiror, sentiens, quam suaviter dormias; et consulto non excitavi te, ut quam placidissime degeres. Equidem et per omnem vitam ob hujusmodi morem beatum te judicavi; maxime vero in præsenti calamitate, quod eam tam facile ac placide feras. So. Perabsurdum esset, o Crito, si quis tam grandis natu imminentem mortem moleste ferat. Cr. Sed et alii, o Socrates, æque senes similibus calamitatibus opprimuntur, quos tamen ætas ab afflictione, quam sors præsens affert secum, non liberat. So. Ita est. Sed cur nam adeo mane venisti? Cr. Nuntium, o Socrates, ferens acerbum; non tibi quidem, ut mihi apparet, sed mihi potius, et familiaribus tuis omnibus, et acerbum et gravem. quod equidem inter gravissima, ut arbitror, numeraverim. So. Quidnam hoc? nunquid navis ex Delo jam rediit? qua reducta, mihi est moriendum. Cr. Nondum rediit quidem; sed reditura videtur hodie, quemadmodum nuntiant nonnulli e Sunio venientes, qui ibi eam reliquerunt. constat ergo ex his nuntiis, hodie esse venturam; ideoque necessarium fore, te cras, o Socrates, e vita decedere. So. Bene, o Crito, fortuna: si ita diis placet, ita esto. non tamen existimo, illam hodie redituram. [44] Cr. Undenam id conjectas? So. Dicam equidem. siquidem postridie, quam navis redierit, mihi est obeundum. Cr. Sic utique aiunt hi, penes quos rei hujus potestas est. So. Itaque non hac die venturam puto, sed altera. conjecturam vero ex somnio quodam accipio, quod paulo ante hac ipsa nocte mihi visum est: opportuneque videris somnum mihi non perturbasse. Cr. Sed quale id somnium erat? So. Videbatur mihi mulier quædam adveniens, pulchra et aspectu grata, vestes habens candidas, vocare me, atque dicere, O Socrates, tertia hinc die Phthiam pervenies latiglebam. Cr. Quam mirum id insomnium, Socrates? So. Manifestum tamen, ut mihi videtur. Cr. Manifestum certe. sed, o beate Socrates, etiam nunc crede mihi, ac salvus esse velis. Mihi enim, si tu obieris, non una tantum calamitas imminet: sed præter id, quod te orbatus fuero tali necessario, qualem alterum nunquam reperiam, videbor utique multis, qui neutrum nostrum satis noverint, cum potuissem te servare, si minus pecuniis pepercissem, te penitus neglexisse. Atqui quænam major potest esse infamia, quam videri, pluris fecisse pecunias quam amicos? non enim poterit persuaderi compluribus, te hinc abire no-

Digitized by Google

luisse, nobis, quo id ageres, omni studio contendentibus. So. Quid vero a nobis, o beate Crito, tanti vulgi opinio æstimatur? probatissimi enim viri, quorum magis habenda ratio est, hæc ita gesta esse, ut gesta sunt, arbitrabuntur. Cr. Attamen vides, o Socrates, compelli nos opinionem quoque vulgi curare. præsentia enim hæc declarant, posse vulgus non minima malorum, immo fere maxima, si quis in populo calumniis agitetur, inferre. So. Utinam, o Crito, posset vulgus maxima inferre mala, ut vicissim maxima posset bona. et bene quidem se res haberet. neutrum vero potest; quippe cum neque prudentem, neque imprudentem efficere valeat. faciunt vero quodlibet, utcunque contingit. Cr. Hæc quidem ita se habeant. Ad id vero, Socrates, mihi responde, num forte mei ceterorumque necessariorum tuorum respectus te retinet, ne, si hinc evaseris, calumniatores nos postea vexent, quasi te hinc furati fuerimus: cogamurque vel totum patrimonium, vel permultas pecunias amittere, vel præter hæc aliud quippiam pati. Si quid tale times, [45] curam ejusmodi pone. justum namque est, nos tuo salutis gratia non hoc solum, verum etiam, si oportuerit, majus aliud subire periculum. Verum mihi obtempera, neque aliter facias. So. Et hæc equidem et alia multa, o Crito, considero. Cr. Ne igitur hæc vereare. neque enim multum est argentum, quod postulant hi, qui servare te atque hinc educere pollicentur. Vides præterea, quam tenues sint calumniatores tui, ut non magna ad eos placandos largitione sit opus. Tibi vero pecuniæ adsunt meæ, ad hoc, ut opinor, sufficientes. Proinde si quo mei respectu adductus non putas meas pecunias erogandas, adsunt hospites isti parati persolvere. quorum unus etiam huc attulit sufficientem pecuniam, ad hoc ipsum paratam, Simmias Thebanus. ad hoc ipsum promtus est et Cebes, aliique permulti. Quamobrem, ut modo dicebam, nihil tale metuas, quo minus serves teipsum. Sed neque etiam illud, quod in judicio dixisti, te remoretur, si hac urbe exires, quo teipsum verteres te minime habiturum. aliis enim multis in locis quocunque profectus fueris, te homines colent: ac si velis in Thessaliam te conferre, reperies illic hospites meos, qui te plurimi libenter libentissime complectentur; tutamque præsidio suo adeo reddent, ut nemo in Thessalia tibi injuriam sit facturus. Accedit ad hæc, o Socrates, quod rem minime justam aggredi videris, si, cum salvus esse possis, teipsum perdas, taliaque contra te facere studeas, qualia inimici ipsi tui contenderent, contenderuntque, te perdere properantes. Proinde filios quoque tuos perdere mihi videris. quos cum liceat tibi educare atque erudire, deseris omnino, et quantum in te, eorum mores fortunæ committis. Accident vero eis verisimiliter, qualia evenire orphanis consueverunt. Profecto oportebat non genuisse filios; aut in eis educandis erudiendisque laborem non recusare. Tu vero mihi videris, quæ elegisset vir segnis ac piger, nunc elegisse: decebat autem contra viri boni fortisque eligere; præsertim te, per omnem vitam virtutis studium profitentem. Itaque non possum tua nostraque vice, familiarium tuorum, non erubescere, veritus, ne tota hæc res tua ignavia quadam nostra sic tractata fuisse videatur. Et primum quidem ille tunc in judicium ingressus, cum liceret non ingredi; deinde concertatio ipsa judicii similiter acta; et extremus hic finis, tanquam ridiculum quiddam, per ignaviam segnitiemque nostram effugisse [46] nos videbitur, quod nec nos te servaverimus, neque tu ipse te, cum id fieri absque magna difficultate potuerit, si vel parum in nobis usus industriæque fuisset. Hæc igitur, o Socrates, considera, ne præterquam quod mala sunt, etiam dedecori tibi nobisque sint: sed tibi consule. immo vero non jam amplius consulendi tempus, sed consultum jam esse oportuit. unicum vero consilium est; videlicet venienti hac nocte cuncta hæc facta esse oportere. Sin autem ultra tardamus, nihil omnino fieri ulterius poterit. quamobrem omnino mihi adhibe

Digitized by Google

fidem, o Socrates, nec ullo modo aliter facias. So. O amice Crito, studium hoc tuum permulti faciendum esset, si qua ratione recta susceptum esset. sin minus, quanto vehementius est, tanto molestius. Considerandum est igitur, agendane hæc nobis sint, an non. nam ego is sum non modo nunc, sed et semper, qui meorum nulli paream, præterquam rationi, quæ ratiocinanti mihi optima videatur. Rationes itaque illas, quibus superioribus temporibus usus sum, nec nunc quidem, postquam in hanc fortunam incidi, rejicere possum : sed similes mihi ferme apparent, easdemque in præsentia, quas et prius, veneror atque profiteor : adeo, ut nisi nunc meliores afferre possimus, plane scire debeas, me tibi non concessurum : non, si etiam plura, quam nunc, multitudinis potentia comminata, nos tanquam pueros larvali terribilique facie perterrere conetur, pecunia et damna, catenas, cædes objiciens. Cr. Quanam igitur ratione mediocriter considerabimus? So. Hac utique, si id, quod tu de opinionibus paulo ante dicebas, resumamus : utrum semper recte se habeat necne, oportere scilicet quarundam opinionum rationem habere, quarundam vero minime. An forte prius quam in periculum mortis inciderem, recte id dicebatur : nunc vero constat, frustra, disputationis gratia, ita dictum fuisse, cum revera joco cuidam nugisque esset adductum. Cupio equidem, o Crito, una tecum considerare, nunquid sermo ille prior alienus appareat mihi, nunc in hac fortuna constituto ; an prorsus idem qui et prius : atque utrum dimittendus sit a nobis, vel ipsi obtemperandum. [Dicebatur autem, ut opinor, semper sic ab iis, qui se aliquid dicere existimabant, ut nunc quidem ego dicebam : nempe, hominum opiniones partim plurimi faciendas ac sequendas, partim vero minime. Hoc, per Deos, o Crito, nonne tibi recte dici videtur? tu enim, ut fert hominum conditio, tantum abes a periculo ut crastino die [47] moriaris ; nec te in errorem inducit præsens calamitas.] Considera igitur : an non sufficienter tibi dici videtur, non oportere omnes opiniones hominum sequi ; sed alias quidem sequi, alias vero negligere : neque omnium quidem, sed duntaxat quorundam. quid ergo dicis? hæc non recte dicuntur? Cr. Recte. So. An non bonas honorare decet, malas vero contemnere? Cr. Ita decet. So. Bonæ autem nonne prudentum? malæ contra sunt imprudentum? Cr. Quidni? So. Age vero, quonam modo rursus talia dicebantur? qui in gymnasiis se exercet, utrum cujuslibet hominis laudi, vel vituperationi mentem adhibebit ; an illius tantum, qui medicus sit, aut gymnasii magister? Cr. Hujus solius. So. An non timere decet vituperationes, et optare laudes illius unius potius, quam multorum? Cr. Procul dubio. So. Hac itaque ratione illi agendum est, exercendumque, et edendum atque bibendum, qua illi unico videatur, qui præsideat intelligatque, potius quam, ut videtur vulgo. Cr. Vera hæc sunt. So. Quid vero, si illi uni non pareat, opinionemque ejus et commendationes nihili pendat, honoret vero vulgi ignorantumque commendationes, nunquid a malo tutus erit? Cr. Minime. So. Quid autem est id malum, et quonam tendit, et in quam non obedientis partem? Cr. In corpus videlicet ; hoc enim corrumpitur. So. Recte dicis. Nonne et de aliis, o Crito, eadem ratio est? Ne omnia percurramus : de justis inquam injustisque, de turpibus et honestis, bonisque et malis, de quibus in præsentia nobis consultatio est, utrum multorum opinionem sequi vererique debeamus, an unius potius, qui intelligat, quem decet et venerari et timere magis, quam cunctos alios. cui nisi obtemperaverimus, lædemur et corrumpemur in eo, quod justo quidem melius fieri, injusto autem corrumpi soleat. an nihil id est? Cr. Id quidem, o Socrates, arbitror. So. Age vero, si id, quod a salubri quidem fit melius, ab insalubri vero corrumpitur, corruperimus, imperitorum potius quam peritorum sequuti judicia, an nobis eo destructo vivendum erit? est autem id cor-

Digitized by Google

pus. nonne? Cr. Corpus. So. Nunquid ergo vivendum nobis cum depravato corpore atque destructo? Cr. Nullo modo. So. An forte cum illo vivendum est nobis corrupto, quod injusto quidem læditur, justo vero juvatur? nunquid vilius illud, quam corpus existimamus, quidquid illud est e nostris, circa quod [48] justitia, injustitiaque versatur? Cr. Nullo modo. So. Sed pretiosius? Cr. Valde. So. Non igitur, o vir optime, admodum nobis curandum est, quid de nobis multi loquantur; sed quid dicat is unus, qui intelligit justa et injusta, atque ipsa veritas. Quamobrem primo quidem non recte adduxisti, opinionem vulgarem de rebus justis, et honestis, et bonis, harumque contrariis, esse alicujus existimandam. At vero dicet aliquis, posse vulgus nos interficere? Cr. Nimirum dici id potest, o Socrates. So. Vera loqueris. Sed, o mirabilis, hæc ratio, quam percurrimus, superiori similis esse videtur: atque hanc rursus considera, utrum nobis maneat, necne: videlicet, non multi faciendum esse vivere, sed bene vivere. Cr. Manet quidem. So. Sed hoc quoque manetne? bene, et honeste, et juste vivere idem esse? Cr. Constat. So. Igitur ex his, quæ confessi sumus, hoc considerandum, utrum justum sit conari me hinc exire, Atheniensibus non dimittentibus, vel injustum: ac si appareat, justum esse, tentemus: si minus, dimittamus. Quas vero tu affers considerationes de pecuniarum sumptu, de vulgari opinione, de filiis educandis: cavendum est, o Crito, ne excogitationes revera horum multorum sint, qui facile interficiunt, atque eorum, qui similiter, inquam, si possent, reviviscerent, et id quidem absque mente. Nobis vero, quandoquidem sic exigit ratio, nihil aliud attendendum est, quam quod modo dicebamus, utrum agamus justa, pecunias largiendo, gratiamque habendo his, qui me hinc educant: utrum, inquam, in hoc agamus justa, nos quidem educti, illi vero educentes; an potius utrinque in his omnibus agendis, agamus injuste: atque si appareat, nos iniqua aggredi, ne excogitandum quidem id est; sed mansuete subire decet et mortem, et quodvis aliud supplicium prius, quam quidquam agamus inique. Cr. Recte loqui videris, Socrates. considera tamen, quid agamus. So. Consideremus, o bone vir, una. ac si qua in parte me dicentem redarguere poteris, redargue. ego enim assentiar. sin minus, desine quæso, o vir beate, jam toties eadem verba repetere: oportere scilicet me hinc, Atheniensibus invitis, abire. Equidem multi facio, persuaso te hæc agere; non autem invito. Attende itaque, nunquid considerationis initium tibi sufficienter dictum sit; conareque quod rogatus sis ita [49] respondere, ut maxime censeas respondendum. Cr. Conabor equidem. So. Dicimus sane, nullo modo sponte esse injuriandum; an forte quodam pacto injuria facienda est, aliter vero nequaquam? vel potius injuriari nullo modo vel bonum est, vel honestum, quemadmodum in superiori tempore sæpe confessi sumus? Quod quidem et nuper est confirmatum. An forte omnes illæ superiores conventiones nostræ in paucis his diebus prorsus evanuerunt, ac jamdiu nos tam grandes natu homines, o Crito, tamque studiose invicem disserentes, latult, nihil a pueris nos differre? An potius sic promus res se habet, ut jamdiu dicebamus, sive affirmet id multitudo, sive neget; et, sive graviora præsentibus, sive leviora subire cogamur, attamen injuriam facere omnino malum turpeque esse fatemur illi ipsi, qui facit, an non? Cr. Fatemur certe. So. Quamobrem nullo modo injuriandum est. Cr. Nullo quidem. So. Neque, si injuriam passus fueris, eam ulciscendum, ut vulgus putat. siquidem nullo modo injuriandum. Cr. Ita videtur. So. Quid vero? mala alicui facere decet, o Crito, an non? Cr. Non certe, o Socrates. So. Quid autem, qui mala patitur, num mala vicissim referre illi debet, qui intulit, ut vulgo videtur? justumne id esset, an injustum? Cr. Injustum. So. Nempe mala inferre hominibus, non discrepat ab injuria.

Digitized by Google

Cr. Vere loqueris. So. Neque igitur ulcisci decet, neque malefacere cuiquam hominum, quodcunque ab aliis ipse passus fueris. Et vide, o Crito, ne quid, dum hæc concedis, præter sententiam tuam nobis assentiare. Perpaucis enim, scio quid loquar, sic vel apparet, vel apparebit. At vero quibus sic apparet, et quibus aliter, his non est communis deliberatio; sed necesse est, eos, cum ultro citroque consilia sua respiciunt, invicem se despicere. Animadverte igitur et tu diligenter, utrum tibi mihique communis sit hæc opinio, mecumque sentias: atque utrum ab hoc principio exorsi deliberemus, quasi nunquam rectum sit, vel injuriari, vel ulcisci injuriam, vel malum referre in eum qui intulit. An hic discedis a nobis, in hoc principio non consentiens? Mihi quidem et jamdiu et nunc ita videtur. Quod si tibi apparet aliter, dic, et doce. sin autem in superioribus permanes, jam quid sequatur audi. Cr. Consentio equidem et permaneo. So. Dico ergo deinceps, immo potius interrogo, Utrum quæ quis confiteatur alicui, justa esse, facere debeat, an fallere? Cr. Facere. So. Ex his jam ita considera. Si nos [50] hinc abeamus præter civitatis consensum, utrum male aliquibus faciemus, et his quidem, quibus minime decet, vel non: et utrum in his permanebimus, quæ justa esse convenimus, vel contra? Cr. Nequeo equidem, o Socrates, ad hæc respondere. neque enim intelligo. So. Verum ita considera, perinde ac si, volentibus nobis hinc sive aufugere, sive quomodocunque hoc vocandum sit, veniant leges, civitatisque hujus respublica, et instantes nobis sic inquiant: Dic nobis, o Socrates, quidnam cogitas facere? an non intelligis, hac re, quam aggrederis, te nobis legibus, totique patriæ, quantum in te est, interitum machinari? an putas, civitatem ullam amplius stare posse, ac non subverti, in qua judicia publica nullam vim habeant, sed a privatis hominibus contemnantur atque frangantur? Quid ergo dicemus ad hæc, o Crito, aliaque hujusmodi? Permulta enim in hanc sententiam afferre quis potest; præsertim orator, pro lege ita soluta declamans, quæ quidem sententias publico judicio latas jubet ratas esse. an respondebimus illi, civitatem non recte judicando nobis injuriam intulisse? itane, an aliter? Cr. Ita per Jovem, o Socrates. So. At enim leges ipsæ sic responderent: O Socrates, nonne nobis tecum id convenit, standum tibi esse judiciis, quæ civitas tulerit? Quod si leges ita loquentes admiraremur, forte dicerent: Noli, Socrates, quæ modo diximus, admirari: immo responde, cum tibi et interrogare et respondere sit consuetum. Dic age, quidnam nobis civitatique succenseas, quo dissolvere nos contendas? principio, nonne nos te genuimus? atque per nos pater tuus matrem accepit tuam, et provocavit? Dic ergo, an has inter nos leges, quæ sunt circa conjugia, improbes, atque his aliqua in parte, quasi minus rectis, succenseas. Nihil succenseo, dicerem. Sed an his legibus, quæ educationi eruditionique natorum providunt, in qua ipse quoque eruditus es? an non recte disposuerunt hæ leges ad hoc officium conditæ, cum juberent patrem tuum in musica te et gymnastica erudire? Recte disposuisse concederem. Age ergo, postquam per nos genitus es, educatusque ac eruditus, primo quidem num potes negare, te nostrum esse et natum et servum, ipsumque te et progenitores? deinde, cum id ita se habeat, an putas jus ex æquo tibi atque nobis esse; et quæ nos tibi facere aggrediamur, eadem vicissim in nos abs te referri justum esse judicas? An, cum nec ad patrem, nec ad dominum, si eum habeas, tibi jus ex æquo sit, ut, quæ ab illis patiare, in eos referre possis; neque si jurgio hi te lacessant, contra [51] jurgare, neque si te verberent, vicissim verberare, neque alia ejusmodi in eos tentare liceat: contra patriam vero ac leges tibi licebit? adeo ut, si, nos judicantes id esse justum, interficere te velimus, tu vicissim nos leges et patriam pro viribus conaris occidere, dicasque, te in his agendis justa

Digitized by Google

facere, qui virtutis curam revera habere profiteris. An sic es sapiens, ut te latuerit, et patri et matri et progenitoribus omnibus patriam esse anteponendam; atque esse venerabilius quiddam sanctiusque, et in superiori sorte, tum apud deos, tum apud homines mentis compotes, patriam collocandam? colereque eam oportere magis, eique obedire; ac rigidius se gerenti mitius assentiri, quam patri: et, si quid jubeat, vel dissuadere illi quantum liceat, vel facere; et patientissime sustinere, quidquid jusserit patiendum? ac, sive mandaverit verberari te, sive in vincula conjici, sive in prœlium miserit ad vulnera excipienda, mortemque subeundam, obediendum est omnino. jus enim ita dictat; et neque tergiversandum, neque fugiendum, neque ordinem deserendum, sed et in bello, et in judicio, et prorsus ubique, ea sunt, quæ respublica patriaque jusserit, facienda: aut certe verbis, quatenus justum est, uti licet ad persuadendum illi eamque placandam: vi autem uti nefas est, vel contra matrem, vel contra patrem, maxime vero omnium contra patriam. Quidnam ad hæc dicemus, Crito, verane loqui leges, an contra? Cr. Mihi quidem videntur. So. Proinde leges fortasse dicent: Animadverte, o Socrates, utrum vere dicamus, te injusta contra nos aggredi. Nos quidem, quæ te et alios cives genuimus, educavimus, nutrivimus, participes bonorum omnium, quæ in nostra erant potestate, effecimus: tamen permisimus cuilibet Atheniensium, cognitis jam civitatis moribus legibusque, et reipublicæ gubernandæ forma, si cui non placeamus, licere, acceptis suis, quocunque placuerit hinc abire. Nec ulla ex nobis legibus impedit aut denegat, sive quis vestrum, cui nos civitasque minime placeamus, in coloniam aliquam hinc velit discedere, sive habitationem alio transferre cupiat, quo minus id pro arbitrio facere valeat, secumque sua perferre. At vero quicunque ex vobis, postquam cognoverit, quemadmodum nos judicia disponimus, et in ceteris omnibus regimus civitatem, permanserit tamen, hunc jam asseveramus, opere ipso convenisse nobiscum, quæcunque jusserimus, se facturum. Atque eum, qui non paruerit, tripliciter injuriari censemus: et quod genitricibus nobis non obtemperat; et quod nutricibus non obsequitur; et quod pactus nobis obedire, neque obedit, neque persuadere nobis studet, si quid minus recte facere videamur: cumque præcepta nostra libere [52] proponamus, neque mandemus rigide, sed permittamus alterum e duobus, aut verbis persuaderi nobis, aut mandata explere; tu horum neutrum facis. His ergo criminibus te, o Socrates, obnoxium judicamus fore, si, quæ cogitas, feceris: nec minime Atheniensium te, sed maxime omnium. Ac si causam requiram, ob quam præ ceteris sim obnoxius, forte juste me remorderent, dicentes, me maxime omnium Atheniensium civitatis legibus consensisse. sic enim inferrent: Magna nobis, o Socrates, horum sunt argumenta, tibi nos civitatemque placuisse. nunquam enim maxime omnium Atheniensium in ea moras traxisses, nisi tibi mirifice placuisset. Itaque nec spectaculi gratia urbe unquam egressus es, nisi semel in Isthmum, nec alio usquam, nisi in militia; neque aliam fecisti peregrinationem unquam, quemadmodum ceteri solent; neque alterius civitatis te cepit cupiditas, aliarumve legum: sed nos tibi nostraque civitas satisfecimus; usque adeo vehementer probasti nos, nostrisque moribus victurum te consensisti: tum in ceteris rebus, tum quia in ea filios procreasti, utpote quæ tibi placuerit. Quin etiam licebat tibi in ipso judicio exsilium postulare, si voluisses; atque quod nunc invita civitate aggrederis, tunc ea volente poteras facere. Tu vero verbis tunc te extulisti, quasi non graviter ferres, si mori te oporteret, quinimmo mortem ipsam, ut dicebas, potius quam exsilium elegisti. Nunc vero nec verba illa tua erubescis, neque nos leges vereris, sed nobis interitum machinaris. Facis autem, quod deterrimus faceret servus, fugam arripere tentans, contra pactiones conventionesque, in

Digitized by Google

quibus convenisti nobiscum, nuntiis te præbens institutionibus gubernandum. Primum responde nobis, num id ipsum vere dicamus, consensisse non verbis, sed re ipsa, moribus nostris gubernari debere. An non vera hæc sunt? Quid ad hæc dicemus, Crito? an non confitebimur? Cr. Necesse est, o Socrates. So. Nonne igitur (leges inquiunt) conventa nobiscum et pacta transgrederis? quæ neque coactus ea nobiscum iniisti, neque deceptus, neque ad brevo tempus deliberare ad hæc eligenda es compulsus, sed annos septuaginta deliberare licuit: quo in tempore licuit et abire, nisi tibi placuissemus, conventionesque justæ tibi visæ fuissent. Tu vero nec Lacedæmonem, neque Cretam nobis antetulisti, quas ipse tibes sæpius prædicas recte gubernari, neque aliam ullam, vel Græcarum civitatum, vel Barbararum. [53] immo ex hac rarius peregrinatus es, quam claudi et cæci, mancique alii solerant. usque adeo Athenienses tibi præ cæteris civitas placuit, atque nos, videlicet leges. cui enim placere potest civitas, cujus non placent leges? Nunc vero non permanes in his, in quibus jamdiu nobis tibique convenit. Permanebis certe, si nobis credideris, ne egrediens urbe deridendus evadas. Considera rursus, si hæc transgressus fueris, et ea quæ inique cogitas perpetraveris, ad quid tandem id vel tibi, vel necessariis tuis conducet. Cuique enim constat, in periculo necessarios tuos fore, ne ipsi quoque in exsilium expellantur, priventurque civitate, et patrimonio suo exspolientur. Tu autem si quam in civitatem finitimam te contuleris, vel Thebas, vel Megaras, (utraque enim gubernantur recte) hostis primum reipublicæ illius accedes, et omnes, quibus curæ est patria, despicient abominabunturque te, corruptorem legum existimantes. ideoque confirmabis eorum qui te damnarunt opinionem, ut recte contra te tulisse sententiam videantur. quisquis enim corruptor est legum, is potissimum et juvenum imperitorumque hominum videbitur esse corruptor. Quid ergo? civitatesne, quæ recte gubernantur, et modestissimos quosque homines devitabis? Atqui si id feceris, vitane dignus eris? an forte impudenter te his admiscebis, nec erubesces, de eisdem apud eos disserere, de quibus apud nos consuevisti; virtutem videlicet et justitiam, legesque, et instituta legum plurimi esse existimanda? neque putas, absurdum et ab his dissonans apparere Socratis factum? Procul dubio putandum est. Fortasse vero civitates has declinans in Thessaliam ad Critonis hospites abibis. illic enim absque ordine et temperantia vivitur. Ac forsan libenter illi te audient, narrantem quemadmodum e carcere ridicule fugeris, ut fascem quendam tibi super imponens, aut corio tegens, vel aliis quibusdam te involvens, quemadmodum solent qui fugam surripiunt, et in aliemam figuram te transmutans illinc aufugeris. quemadmodum vero vir senex parvo admodum tempore, ut verisimile est, victurus, ausus fueris, ob vivendi cupiditatem in tam sordida inopia vivere, maximas transgressus leges, nullusne dixerit? forte: si neminem offenderis. alioquin multa, o Socrates, atque indigna te audies. vives autem obnoxius cunctis hominibus atque deserviens. Quid vero facies in Thessalia? conviviane frequentabis? utpote qui in Thessaliam, quasi ad cœnam aliquam, adventaveris. Disputationes vero illæ de justitia, ceterisque virtutibus ubinam ulterius nobis [54] erunt? Enimvero filiorum gratia vivere cupis, ut nutrias eos atque erudias. An ergo in Thessaliam eos perduces, ut illic nutrias eos, atque erudias, hospites eos efficiens, ut hoc insuper commodi abs te reportent? an id quidem non facies; hic vero relicti melius te vivo alentur, atque erudientur a necessariis tuis, te absente? Utrum vero, si in Thessaliam abibis, tui id curabunt: sin autem in alteram transibis vitam, non curabunt? Profecto si quid opis est in his, qui aiunt se tuos necessarios esse, credendum est, curaturos. Ceterum, o Socrates, fidem nobis adhibens nutricibus tuis, neque filios tuos, neque vitam,

Digitized by Google

neque aliud quidquam pluris facias, quam justitiam: ut cum in vitam alteram transmigraveris, valeas illic præsidibus horum omnium reddere rationem. Nempe si leges transgressus hæc feceris, neque melius, neque justius, neque sanctius id vel tibi continget, vel tuis; neque illuc tibi profecto conducet. quin potius injuriam passus abito, si abieris, non a nobis quidem legibus, sed ab hominibus. Verum si adeo turpiter aufugeris, etiam versa vice injurias malaque referens, conventiones nobiscum initas et promissa transgressus, atque lædens eos, quos minime oportebat, te ipsum scilicet et amicos et patriam, nosque leges: nos utique et viventi tibi infensæ hic erimus, et in altera vita leges, quæ illic sunt nostræ sorores, haud quaquam te benigne recipient, scientes, te nos pro viribus disperdere conatum fuisse. Quamobrem, ne Crito aliter tibi quam nos persuadeat, caveto. Hæc equidem, o dulcis amice Crito, audire videor, quemadmodum Corybantes tibias audire se putant. atque in me sermonum ejusmodi sonitus adeo reboat, ut alia audire non possim. Vides, quæ in præsentia mihi apparent: quibus si quid contradicere aggrediaris, frustra conabere. verumtamen si quid te profecturum confidis, dicas. Cr. Ergo vero quod dicam, ὁ Socrates, nihil habeo. So. Desine ergo, Crito; et pergamus hac, quandoquidem hac nos Deus ipse ducit.

Digitized by Google

ION.

SOCRATES, ION.

[530] Ionem salvere jubeo. Unde ad nos accesisti? numquid Epheso venis? Io. Nullo pacto, o Socrates, sed Epidauro ab Asclepiis. So. Numquid rhapsodorum, id est, eorum, qui carmina recitant, certamen Epidaurii Deo instituerunt? Io. Non in his solum, sed in alio quoque genere musicæ. So. Contende ergo nobiscum. Io. Quamobrem tecum contendam? Primis, o Socrates, præmiis potiti sumus. So. Probe inquis. age, ut in Palladis celebratione victoriam consequamur. Io. Fient ista quidem, si deus voluerit. So. Etenim, o Ion, artem vestram semper plurimi feci: nam multi faciendum est quod arti vestræ conveniat, ut ornetis corpus, et quam pulcherrimi appareatis; quodve oporteat in plurimis atque bonis poëtis, et præcipue in Homero poëtarum omnium optimo divinissimoque, versari, neque carmina illius solum, verum etiam sensa perdiscere. Nunquam enim aliquis in rhapsodum evaderet, nisi ea quæ a poëta dicta sunt intellexerit. nam poëtæ mentem interpretari rhapsodum apud auditores oportet: fieri autem nequit, ut hoc ille efficiat, qui poëtæ sententiam ignoraverit. Quare hæc omnia plurimi facienda videntur. Io. Vera dicis, o Socrates. atqui in hoc plurimum laboravi. præclarissima sane præ ceteris de Homero me explicaturum profiteor, ut neque Metrodorus Lampsacenus, neque Stesimbrotus Thasius, neque Glaucon, neque aliquis unquam veterum, tot tamque præclara Homeri sensa, quot ego, exponere queat. So. Recte, o Ion. constat autem, quod nulla invidia prohibebit, quin ista mihi aperias. Io. Auditu dignum est, quam vehementer Homerum exornando extulerim. qua de re dignum esse me censeo, ab illis, qui Homeri studiosi sunt, corona aurea decorari. So. Otium profecto te audiendi quandoque nanciscar. [531] nunc autem ad hoc unum mihi responde, utrum circa Homerum solum, an etiam circa Hesiodum et Archilochum id possis. Io. Circa Homerum solum. satis enim mihi esse videtur. So. Suntne aliqua, de quibus Homerus et Hesiodus eadem referant? Io. Multa esse arbitror. So. Utrum melius ea quæ dicit Homerus, an quæ Hesiodus, explicares? Io. Æque de utrisque, o Socrates, in illis rebus, in quibus eadem referunt. So. Quid autem in his, de quibus non eadem dicunt? ut puta de vaticinio Homerus atque Hesiodus verba faciunt. Io. Et maxime quidem. So. Et in quo poëtæ isti consentiunt, aut discrepant, quando de vaticinio loquuntur, utrum ipse melius quam peritus vates aliquis explicares? Io. Vates melius. So. Si autem vates esses, non illa tantum in quibus conveniunt, verum etiam in quibus dissentiunt, exponere posses? Io. Patet. So. Quid porro? num circa Homerum vehemens facundusque es, circa vero Hesiodum aliosque poëtas minime? An Homerus de aliis rebus agit, quam de iis, quæ et alii poëtæ tractant? Nonne multa quæ ad bellum pertinent, et quæ ad consuetudines bonorum invicem et malorum, privato-

Digitized by Google

rum atque opificum, attinent, enarravit: et de diis, quemadmodum secum invicem, et cum hominibus versantur, deque cœlestibus passionibus progressibusque: item quæ apud inferos sunt: deorumque et heroum generationes cecinit? nonne circa hæc omnis Homeri poësis versatur? Io. Vera, o Socrates, loqueris. So. Nonne eadem ceteri poëtæ decantant? Io. Eadem certe: sed non ita ceteri, ut Homerus. So. An forte deterius? Io. Multo deterius. So. Melius ergo Homerus? Io. Melius certe. So. O Ion, lepidum caput, cum multi de numero verba faciunt, et eorum aliquis recte dicit, nonne potest quispiam ea in re bene dicentem cognoscere? Io. Potest. So. Numquid ille ipse, qui male dicentem cognoscit, an alius? Io. Ipse idem. So. An non hic est qui arithmetica arte est præditus? Io. Profecto. So. Cum multi de cibis, quales salubres sint, loquuntur, et aliquis recte ea de re loquitur, utrum alius quidam bene dicentem, quod recte; alius male dicentem, quod male dicat, animadvertet? an unus et idem? Io. Idem procul dubio. So. Quis iste? quod illi nomen? Io. Medicus. So. Nonne summatim dicimus, cum plures eadem de re loquuntur, quod unus atque idem tam illum qui male, quam illum qui bene loquitur, [532] internoscet: et nisi eum qui in eadem re aberrat, cognoverit, nunquam eum qui recte sentit agnoscet? Io. Profecto. So. An non ipse idem in utrisque peritus est? Io. Prorsus. So. Homerum atque alios poëtas, e quorum numero est Hesiodus et Archilochus, eadem referre asseris, non tamen eodem modo, sed melius Homerum? Io. Et vera loquor. So. Si illum qui bene dicit cognoscis, eos qui male dicunt, quod errent intelligis. Io. Convenit. So. Si ergo dicamus, o vir optime, Ionem circa Homerum aliosque poëtas similiter peritum esse atque vehementem, nequaquam erraturos: quandoquidem ipse, judicem eundem idoneum esse circa illos qui eadem in re versantur, confitetur: poëtas vero pene omnes eadem effingere. Io. Quamobrem, o Socrates, cum aliquis de alio poëta disserit, neque mentem adhibeo, neque quidquam existimatione dignum conjectare et confore valeo, sed oscito protinus atque torpeo: postquam vero Homeri quis mentionem fecerit, confestim excitus, atque mentem adhibeo, et facultas dicendi suppeditare mihi videtur? So. Nequaquam arduum est, o amice, hujus causam conjectare. constat enim, quod neque arte neque scientia de Homero scite loqueris. nam si arte, de aliis omnibus poëtis similiter loqui valeres. poëtis enim totum est. nonne? Io. Est certe. So. Nonne postquam aliquis aliam quamvis artem integram comparavit, atque de omnibus quæ sub arte sunt judicat? eadem quippe de omnibus artibus considerandi ratio est. Vis tibi referam, qua ratione id dicam? Io. Opto per Jovem, o Socrates. nam quoties vos sapientes audio, miro quodam gaudio statim afficior. So. Velim, o Ion, veritatem dicere. verum sapientes vos rhapsodi histrionesque estis, et illi quorum vos poëmata decantatis. Ego autem nihil præter veritatem loquor, quemadmodum decet pinguis Minervæ hominem. nam id, de quo paulo ante percontabar, intuere quam leve sit et facile cognitu: quilibet id quod narrabam, percipere potest, eodem videlicet pacto singula consideranda esse, si quis artem sibi integram comparaverit. Exempli causa, numquid pingendi ars totum quiddam est? Io. Est. So. Nonne pictores multi, partim boni, partim mali, et sunt et fuerunt? Io. Certe. So. Vidistine aliquem, qui et ea quæ recte, et quæ non Polygnotus Aglaophontis filius pinxit, sufficienter ostendere posset; [533] quæ vero pictores alii, nequeat: et si quis aliorum pictorum opus ostenderit, obdormiat, neque facultas illi ad dicendum aliquid conjiciendumque suppetat: cum vero de Polygnoto, vel de uno quovis alio pictore, sit judicandum, expergiscatur, et mentem adhibeat, et facultatem dicendi habeat? Io. Non per Jovem. So. Quid in fabris statua-

Digitized by Google

ris? vidisti quemquam, qui ea quæ Dædalus Metionis, aut Epius Panopei filius, aut Theodorus Samius, vel alius quispiam statuarum faber, bene est machinatus, exponere valeat, in aliorum vero sculptorum operibus torpeat atque obmutescat? Io. Per Jovem nunquam virum talem repeti. So. Atqui nec in tibiarum flatu, ut arbitror, nec in pulsu citharæ, nec in citharœo cantu, neque in rhapsodia, virum intuitus es, qui Olympi opera, vel Thamyræ, vel Orphei, aut Ithacensis Phemii rhapsodi exprimere possit: in operibus vero Ionis Ephesii deficiat, neque percipere conferreque possit, quæ bene et quæ contra modulatur. Io. Quid in hoc tibi contradicam non habeo: sed tamen mihi ipsi conscius sum, me præ ceteris hominibus pulcherrima de Homero referre, neque deesse mihi dicendi copiam: alios vero omnes hac in re me laudare, in ceteris vero nequaquam. Tu vero quidnam hoc sit vide. So. Conspicio, Ion, et quod mihi id esse videtur, tibi aperire incipiam. Ut bene de Homero loquaris, ars tibi non præstat, ut modo dicebam: sed divina vis est, quæ te movet; sicut in lapide, quem Magnetem Euripides nominavit, nonnulli Heraclium vocant. Qui lapis non solum ferreos anulos trahit, sed vim etiam anulis ipsis infundit, qua hoc idem efficere possint, ac, perinde ut lapis, alios anulos trahere. unde longa plerumque concatenatio ferri et anulorum invicem pendet: et omnibus istis ex illo lapide vis attrahitur. Ita ipsa Musa poëtas divino instinctu concitat: poëtæ conciti alios furore corripiunt. quare ex his omnibus series ipsa contexitur. Omnes itaque carminum poëtæ insignes non arte, sed divino afflatu omnia ista præclara poëmata canunt, et ut Corybantes [534] non sana mente saltant, ita neque cantilenarum modulatores egregii sana mente hos cantus effingunt; sed ubi in harmoniam et rhythmum insurgunt, et occupati bacchantur: quemadmodum bacchantes fœminæ mente non sana, mel et lac ex fluminibus hauriunt, sana autem mente haurire nequeunt. idque efficit illorum animus qui cantus effingunt, quod ipsi referunt. aiunt enim nobis poëtæ, quod a fontibus, quibus mel scaturit, haurientes, et a Musarum viridariis collibusque decerpentes carmina, ad nos transferunt, quemadmodum mel ex floribus apes, et instar apum volare se asserunt. Qua in re vera loquuntur. res enim levis, volatilis, atque sacra poëta est: neque poëtica prius canere potest, quam deo plenus, et extra se positus, et a mente alienatus sit. nam quamdiu mente quis valet, neque fingere carmina, neque dare oracula potest. quasi poëtæ non arte præclara hæc canant, quæ tu de Homero refers: sed sorte divina id quisque recte efficere possit, ad quod Musa quempiam incitavit. hic Dithyrambos canit, laudes alicujus iste, ille Hyporchemata choreasque, alius carmina, alius Iambos. in aliis vero illorum quisque rudis et ineptus est. non enim arte, sed divina vi ista dicunt. nam si de uno quoquam istorum per artem recte loqui sciret, de ceteris quoque omnibus idem posset. Ob hanc vero causam Deus illis mentem surripiens, ipsis tanquam ministris utitur, oraculorumque vatibus, et divinis vatibus: ut nos qui audimus, percipiamus non eos esse qui tam digna referunt, cum suæ mentis compotes minime sint; sed hæc deum loqui, et per istos nobis hæc inclamare. Huic autem rei evidentissimo argumento esse potest Tynnichus Chalcidensis, qui antea poëma nullum memoria dignum composuerat: hymnum autem in Apollinem, quem omnes cantant, omnium ferme cantilenarum pulcherrimum, Musarum inspiratione invenisse se dicit. In hoc maxime deus ostendisse videtur nobis, dubitandum non esse, quin præclara ista poëmata, divina deorumque potius quam humana hominumque sint opera: poëtæ autem nihil aliud sint, quam deorum interpretes, dum sunt furore correpti, a quovis numine quis corripiatur. Quod quidem deus ostendere volens, de industria per ineptissimum poëtam [535] pulcherrimam cecinit melodiam. An non vera tibi referre videor? Io. Mihi certe. Atque

Digitized by Google

animum meum his sermonibus, Socrates, attingis et afficis : ac divina quadam sorte a diis poëtæ insignes ista nobis interpretari videntur. So. Nonne vos rhapsodi poëtarum scripta interpretamini? Io. Vera narras. So. An non interpretum interpretes estis? Io. Sumus. So. Animadverte quid velim, et hoc mihi responde, o Ion : neque id, de quo te interrogabo, mihi occultaveris. Cum apte carmina refers, et stupore perculsos reddis spectantes, sive dum Ulixem super pavimentum suo limine insaltantem cantas, et procis palam se ostendentem, atque sagittas ante pedes effundentem ; sive Achillem impetum in Hectora facientem ; seu dum miserabile quiddam et querulum circa Andromachen, vel Hecubam, vel Priamum profers : utrum tunc mentis es compos, an a mente alienatus? et rebus gestis, quas refers, afflatus animus, interesse illis se cogitat, sive in Ithaca, sive apud Trojam sint gesta, seu quocunque alio carmina rapiant te? Io. Perspicuam mihi conjecturam, o Socrates, attulisti : neque id occultaturus tibi recensebo. Quoties enim miserabile quidquam dico, lacrimis sparguntur oculi : cum aliquid terribile aut vehemens, arrectæ propter terrorem comæ eriguntur, atque cor salit. So. Numquid mentis compotem eum virum tunc esse asserimus, qui in sacrificiis et celebrationibus pulchra veste aureisque coronis ornatus ploret, cum nihil horum amiserit? aut formidat magis quam inter hostes quis soleat, quum sit inter multos amicos homines constitutus, neque ullus eum exuat neque injuria ulla afficiat? Io. Non per Jovem, o Socrates, si vera fateri velimus. So. Vidistine spectantium multitudinem iisdem his rebus quas agitis commoveri? Io. Vidi equidem plurimum. atque aspicio semper superne ab ipso suggesto et flentes, et graviter intuentes, atque his quæ narrantur, stupefactos. Et oportet me valde mentem iis adhibere. nam si illis lacrimas excutiam, ipse argentum suscipiens ridebo : sin autem risum illis moveam, ipse argentum amittens flebo. So. Videsne, spectatorem esse anulorum extremum, illorum, inquam, quos sub magnete lapide vim invicem suscipere referebam? medius autem es tu recitator et histrio : primus autem est ipse poëta : [536] deus vero per omnes istos hominum animum quocunque vult, trahit, dum invicem vim suspendit et trajicit : ex quo velut ex illo lapide series longa dependet, qua e latere gradatim nectuntur hi qui in choro saltant, et præceptores, atque discipuli : hujusque catenæ a Musa anuli suspenduntur : ex poëtis autem iste ex alia, ille ex alia Musa suspenditur. Vocamus autem id nos occupari : quod quidem illi proximum est : tenetur enim. Ab his utique primis anulis, qui poëtæ sunt, alii rursus ab aliis corripiuntur, divinique fiunt : nonnulli ab Orpheo, a Musæo alii : nec pauci ab Homero occupantur atque tenentur, quorum, o Ion, unus es, qui ab Homero furore correptus es. et si quis scripta alterius poëtæ cecinerit, obdormiscis, atque tibi dicendi deest facultas : si quis vero hujus poëtæ decantaverit melodiam, confestim excitaris, animus salit, et dicendi facultas sufficit. Non enim arte, neque scientia, sed divina quadam sorte, et mentis occupatione, ea quæ de Homero dicis, recenses. Et quemadmodum Corybantes illam dumtaxat melodiam acute sentiunt, quæ illius dei est a quo rapiuntur, ad eumque concentum decentibus verbis et figuris abundant, alios vero contemnunt : ita et tu, o Ion, si quis Homeri mentionem fecerit, es in dicendo facundus, in aliis vero tibi copia deest. Ejus itaque quod quærebas, quamobrem circa Homerum copiosus es, circa alios deficis, hæc est causa, quoniam non arte, sed divina sorte vehemens es Homeri laudator. Io. Recte dicis, o Socrates. admirarer tamen, si tam acute dissereres, ut mihi prorsus persuaderes, lymphatum atque furentem, Homerum laudibus celebrare. neque enim furens, ut arbitror, tibi viderer, si me de Homero verba facientem audires. So. Atqui audire volo : neque tamen prius quam mihi responderis, inter illa de quibus Homerus agit, de quibus potissimum

Digitized by Google

bene agit. non enim de omnibus. Io. Optime nosti, o Socrates, quod nihil est de quo non agat. So. Non tamen ea bene tractat, quæ tu quidem ignoras, Homerus autem scribit. Io. Quænam ista sunt, quæ Homerus quidem narrat, ego autem nescio? So. Nonne sæpenumero [537] multa de artibus explicat? veluti de aurigaria disciplina. Si meminero, illius carmina tibi recitabo. Io. At ego referam. memini enim. So. Dic mihi quæ mandat Nestor Antilocho filio, cum illum monet, ut in equestri cursu, gratia Patrocli instituto, caute flectat equos. Io.

Declina ad lævam paulum, dextrumque jugalem
Urge plagis minitans, manibus quoque lora remitte.
Cumque metam attigeris, flectatur lævus in arcum,
Donec ad extremum circli prevenerit axis
Ultimus, ac medium vita, nec tangito saxum.

So. Sufficiunt hæc, o Ion. Rectene an contra in his carminibus Homerus loquatur, utrum melius medicus, an auriga perciperet? Io. Auriga procul dubio. So. Utrum arte hoc judicium fiat, an alio quopiam? Io. Non alio certe quam arte. So. Nonne cuique arti facultas a deo tribuitur certi cujusdam operis judicandi? neque enim ea quæ gubernatoria arte cognoscimus, medicina quoque percipiemus. Io. Non certe. So. Neque etiam quæ medicina perspicimus, architectura animadvertemus. Io. Non sane. So. An non similiter in omnibus artibus quæ una quadam arte comprehendimus, alia minime comprehendemus? Sed hoc prius mihi responde: Aliam et aliam artem esse asseris? Io. Assero. So. Numquid eadem tu, qua ego, conjectura artes discernis? nam ipse quidem, cum hæc aliarum, illa aliarum rerum scientia est, hanc aliam, illam aliam artem voco. Tu vero? Io. Et ego. So. Si enim eisdem de rebus scientia esset, cur hanc aliam, et illam aliam vocaremus? quandoquidem eadem ab utrisque cognoscerentur. Quemadmodum a me percipitur, quinque esse hos digitos, et tu sicuti ego hoc idem animadvertis. Unde si te interrogarem, utrum eadem arte arithmetica, an alia, hæc eadem cognoscamus, responderes utique quod eadem. Io. Certe. So. Dic quod paulo [538] ante interrogaturus fueram, utrum secundum omnes artes videatur tibi dicendum, quod eadem arte, eadem cognosci necessarium sit: alia vero arte non eadem, sed alia quædam, quandoquidem ars alia ipsa est. Io. Ita mihi videtur, o Socrates. So. Si quis artem aliquam assecutus non fuerit, dicta vel facta hujus artis bene discernere nequaquam poterit. Io. Vera narras. So. Ea carmina quæ tu retulisti, sive bene sive male ab Homero canantur, utrum tu melius, an auriga perciperet? Io. Auriga. So. Recitator enim es, non auriga. Io. Nempe. So. Recitatoria vero facultas ab aurigaria alia est. Io. Videlicet. So. Quod si alia ars est, aliarum quoque rerum scientia est. Io. Aliarum profecto. So. Quid vero, cum Homerus illud affert, quod Hecamede Nestoris pellex saucio Machaoni medelæ potionem porrigit, cui vinum Pramnium infundit, insuper atterit caseum caprinum æneo quodam instrumento, farinam quoque caseo miscet, et ad hæc cepe obsonii loco apponit? Rectene an contra hæc ab Homero dicantur, utrum medicinæ artis, an recitatoriæ judicium est? Io. Medicinæ. So. Quid, cum Homerus dicit,

In mare se mersit retis Thaumantias instar,
Quod trahit ad fundum plumbi subtexta gravedo
Munita, cornu sortem dans piscibus atram.

hæc quid sibi velint, et utrum recte an contra dicantur, nonne ars piscatorum melius, quam recitatorum animadvertet? Io. Constat quod ars piscatorum id judicat.

Digitized by Google

So. Si præterea me ita rogares, Postquam, o Socrates, in Homeri carminibus invenisti quæ cuique istarum, quæ dictæ sunt, artium judicanda sunt, age, jam mihi reperias, quænam a vate vaticinioque judicari conveniat, rectene an contra ab Homero sint dicta: adverte, quam facile ac vere tibi respondeam. Sæpenumero in Odyssea scribit, præsertim ea quæ Melampodidarum vates Theoclymenus adversus procos fatur,

[539] O miseri, quid nunc, heu! vobis imminet atri?
Dum mollem noctu capitis per membra soporem,
Cuncta fremunt luctu, resonat plangoribus æther:
Scissaque triste madent lacrimis manantibus ora.
Vestibulum plenum est simulacris, omnis et aula.
Sub tenebris Erebus riget, exstinctoque per orbem
Lumine velatur tristi caligine cœlum.

Sæpenumero etiam in Iliade, ut in murorum expugnatione, quæ ad vatem pertinent, tangit. Ibi enim sic inquit:

Certabant Danai Trojæ perrumpere muros,
Altivolansque Jovis pendebat desuper ales,
Unguibus incurvis rubrum complexa draconem:
Pellebatque acies in lævam: tum ferus ille
Respirans, et adhuc transfixo pectore luctans,
Ore petens aquilam perstrinxit vulnere guttur.
Illa dolens anguem dimisit in agmina lapsum,
Sauciaque in ventos pennis sublata refugit.

Hæc equidem dicam, et alia hujusmodi, a vate considerandæ, judicandaque esse. Io. Et vera quidem, o Socrates. So. Et tu, o Ion, vera narras. Age, quemadmodum ego tibi ex Odyssea et Iliade excerpsi, quæ ad vatem, quæ ad medicum, quæ ad piscatorem pertinere videntur; sic et tu, qui majorem in Homeri scriptis peritiam habes, eligas et adducas in medium, quæ sunt recitatoris propria, quæ præter alios homines ipsi considerare judicareque convenit. Io. Omnia, o Socrates, assero. So. Non omnia tu supra dicebas, o Ion. num ita obliviosus es? atqui non decet, recitatorem hominem obliviosum esse. Io. Quidnam [540] obliviscor? So. Nam memoria tenes, artem recitandi aliam ab aurigaria te dixisse? Io. Teneo. So. Nonne cum alia sit, alia cognituram es confessus? Io. Profecto. So. Non igitur omnia percipiet secundum sermonem tuum ars recitandi, neque ipse etiam recitator. Io. Immo omnia, præter talia quædam. So. Cum præter talia quædam dicis, præter ea quæ aliarum artium sunt femme significas. sed quænam cognoscet, postquam non omnia noscit? Io. Quæ decens est ut vir loquatur, quæ mulier, servus, liber, subjectus, princeps, hæc omnia noscet. So. Quod decens est ut princeps in mari, navicula tempestate oppressa, afferat, recitatorne magis quam gubernator cognoscet? Io. Non: sed gubernator melius hoc percipiet. So. Sed ea quæ decens est ut princeps in morbo loquatur, recitator melius quam medicus intelliget? Io. Neque hæc. So. Sed ea quæ servo conveniunt, dicis? Io. Certe. So. Scilicet quæ decens est, ut dicat servus bubulcus, dum de furentibus et efferatis bobus confabulatur, recitator ipse, non bubulcus agnoscet? Io. Nequaquam. So. Numquid ea quæ decens est ut mulier de lanificio textori referat? Io. Non. So. Ea quæ decens est ut vir dux exercitus dicat, dum milites hortatur, cognoscet? Io. Talia profecto sunt, quæ recitator agnoscit. So. Num-

Digitized by Google

quid ars recitatoria eadem est, quæ et imperatoris exercitus? Io. Intelligerem equidem, si opus esset, quæ imperatorem loqui decet. So. Forte et imperatoriæ facultatis peritus es, Ion. Nam si equestri, et citharœdica simul disciplina polleres, illos qui bene, et qui male equitant, cognosceres. Et si te interrogarem, o Ion, utrum arte equestri, an arte citharœdi illos qui bene equitant, cognoscis, quid mihi responderes? Io. Arte equestri. So. Quod si eos qui bene pulsant citharam, cognosceres, confitereris illos non equestri, sed citharœdica disciplina cognoscere? Io. Procul dubio. So. Cum vero quæ ad imperatorem spectant, intelligas, utrum imperatoria, an recitatoria ista calles? Io. Nihil mihi referre videtur. So. Quomodo nihil [541] referre dicis? imperatoriam, et recitatoriam artem, unamne, an duas ponis? Io. Una mihi videtur. So. Quicunque igitur bonus est recitator, etiam bonus imperator erit? Io. Et maxime quidem, o Socrates. So. Num et qui exercitus imperator est optimus, idem recitator est bonus? Io. Nequaquam. So. Illud tamen admittis, quod quisquis recitator bonus est, bonus est imperator. Io. Valde. So. Nonne Græcorum optimus es recitator? Io. Plane, o Socrates. So. Nunquid Græcorum optimus es imperator? Io. Certe, o Socrates. hæc enim in Homeri scriptis didici. So. Cur igitur per deos, cum sis optimus Græcorum omnium dux exercitus, optimusque recitator, passim carmina modularis, militas autem nusquam? nunquid tibi videtur recitator aurea corona decoratus plurimum usui esse Græcis, imperator autem nulla pacto? Io. Nostra, o Socrates, civitas vestræ subest, a vobisque gubernatur, et idcirco imperatore non indiget. vestra autem et Lacedæmoniorum respublica me nunquam in exercitus ducem eligeret. idoneos enim duces vos esse putatis. So. O optime Ion, Apollodorum Cyzicenum non cognoscis? Io. Quem Apollodorum? So. Illum scilicet, quem sæpe Athenienses, quamvis hospes esset, imperatorem delegerunt, et Phanosthenem Andrium, et Heraclidem Clazomenium; quos hæc civitas, licet peregrinos, quia viri præstantes habentur, prætura et aliis magistratibus ornat. Ionem vero Ephesium imperatorem non decernet, neque honore afficiet, si virtute præstare visus fuerit? Quid vero, nonne vos Ephesii prisca origine Athenienses estis, Ephesusque nulla civitate est inferior? Sed tu, o Ion, siquidem vera prædicas, et scientia arteque potes Homerum laudare, injuria me afficis: quippe qui professus multa et pulchra Homeri scire, teque ostensurum mihi pollicitus, me nunc decipis, ac permultum abest, ut ostendas; siquidem nec quæ sint ista, quorum peritus es, nec qua sis facultate instructus, aperire vis, me diu jam obsecrante: cetesum tanquam Proteus varius resultas, sursum deorsumve conversus, adeo ut postremo me subterfugiens, imperator evaseris, ne mihi ostendas, quo pacto [542] tibi circa Homeri sapientiam facundia competat. Si enim arte tibi hoc inest, quemadmodum nunc dixi, pollicitusque exponere decipis, certe injustus es meque injuria afficis. sin autem caret arte, et sorte quadam divina ab Homero raptus, cum nihil intelligas, multa et pulchra circa poëtam hunc dicis, ut ego de te judicabam, non facis injuriam. Elige, utrum mavis injustus homo, an divinus potius appellari. Io. Longe differt, o Socrates, et multo pulchrius est judicari divinum. So. Hoc itaque quod pulchrius est, tibi apud nos inest, o Ion, te scilicet divinum potius quam artificiosum Homeri laudatorem esse.

Digitized by Google

HIPPIAS MINOR.

EUDICUS, SOCRATES, HIPPIAS.

[363] Tu vero quidnam taces, Socrates, cum tam multa Hippias hic ostenderit? Cur non aut comprobas dictorum aliquid, aut redarguis si quid minus recte dictum tibi videtur? præsertim cum ipsi restemus, qui nobis non mediocre philosophiæ studium vendicemus? So. Sunt, Eudice, nonnulla ex his quæ circa Homerum dicebat Hippias, de quibus percontari cupio. audivi equidem ex Apemanto patre tuo, Iliadem apud Homerum eo præclarius poëma esse Odyssea, quo Achilles Ulixe præstantior. in Achillem namque poëma unum, in Ulixem alterum aiebat esse compositum. De hoc ergo sciscitari ab Hippia, si modo sibi placet, affecto, utrum illorum hominum præstantiorem asserat: postquam alia multa ac varia de Homero ceterisque poëtis sunt nobis ostensa. Eu. Nulla prorsus invidia prohibebit, quin Hippias interroganti respondeat. Respondebis, necne, Hippia, si quid Socrates quærat? Hip. Haud recte agerem, Eudice, si nunc Socratis interrogationem respuerem, qui solitus sim semper ex Elide patria ad Olympicæ festa, quo Græci ad communem celebritatem undique confluunt, me conferre, ipsumque me ibi apud templum præbere cuique declarantem quodcunque demonstrari quis cupiat, et ad interrogationes singulas respondentem. So. O quam felix tibi sors contigit, Hippia, si adeo confisus animi sapientia [364] qualibet Olympiade ad sacrum adventas. Mirarer profecto, si quis circa corporis exercitationem athleta illuc certaturus accederet tam corporis viribus quam tu mentis subtilitate confisus. Hip. Merito sic affectus sum, Socrates. nam ex eo tempore, quo cœpi in Olympicis exerceri, nullum reperi adhuc me aliqua in re superiorem. So. Præclarum hercle quod ais, Hippia: atque hæc gloria tua et patriæ et parentibus erit quoddam sapientiæ monimentum. Verum quidnam de Achille et Ulixe judicas? utrum horum præstantiorem et qua in re putas? porro dum multi intus esemus tuque dissereres, quædam me verba subterfugerunt. piguit tamen perquirere, quoniam turba esset plurima, ac etiam ne orationi tuæ impedimento forem. Nunc vero postquam pauciores sumus et Eudicus hic quærere jubet, liquidius nobis ostende quod de his viris dicebas, quove pacto dijudicabas. Hip. Volo equidem, Socrates, apertius quam tunc in præsentia referre, quæ de his et de aliis sentio. Homerum assero omnium qui Trojam obsederunt, optimum virum finxisse Achillem, sapientissimum Nestorem, apprime versutum multiformemque Ulixem. So. Papæ, o Hippia! an mihi in hoc gratificaberis, ne me videlicet rideas, si ad percipiendum tardior fuero ac sæpius requisivero? Dignare mihi, obsecro, libenter ac facile respondere. Hip. Turpe quidem esset, o Socrates, cum alios eadem doceam, et pro iis pecunias exigam, si tibi quærenti non indulgerem, nec læto animo responderem. So. Præclare admodum loqueris. Equidem cum optimum virum Achillem fictum fuisse dicebas, sapientissimum Nestorem, visus mihi sum quod diceres intelligere;

Digitized by Google

cum vero Ulixem versutum et multiformem, ut verum fatear, quid significare velles, non intellexi. Atque mihi dicas (forte enim hinc magis percipiam) nunquid et Achilles ab Homero multiformis versutusque inductus fuerit, necne. Hip. Minime, o Socrates, sed simplex omnino. quoniam in supplicationibus ipsis cum eos disceptantes inducit, ita adversus Ulixem loquentem facit Achillem,

> [365] o multum generose doli fabricator Ulixes,
> convenit intrepide me vestra refellere dicta,
> ut fieri debere puto: fallacibus ipsum
> ne me figmentis hinc obtundatis et illinc.
> is magis est quoniam quam nigri janua Ditis
> infensus nobis, aliud qui pectore claudit,
> inde palam profert aliud quodcunque videtur.
> ast ego nunc dicam, credo velut esse futurum.

His in carminibus mores utriusque declarat; Achillem esse veracem atque simplicem, Ulixem versutum atque mendacem. haec siquidem apud eum Achilles adversus Ulixem infert. So. Videor jam quod ais, o Hippia, intelligere. versutum enim mendacem vocas, ut apparet. Hip. Maxime quidem, o Socrates. talem enim Ulixem sépe et in Iliade et in Odyssea fingit Homerus. So. Ergo existimavit Homerus, alium quidem esse veracem virum, alium vero mendacem: neque utrumque eundem esse. Hip. Quid prohibet, Socrates? So. An idem et ipse censes, Hippia? Hip. Maxime omnium. nimis enim errarem, si aliter ipse sentirem. So. Homerum quidem mittamus, cum ab eo sciscitari non liceat, quis ejus fuerit in condendis his carminibus sensus. Postquam vero tu causam suscipis, tibique ea videntur, quae dicere Homerum asseris, pro Homero simul ac teipso responde. Hip. Fiet. interroga paucis quod lubet. So. Mendacesne vocas illos qui facere aliquid nequeant, ut invalidos defessosve? an eos qui facere aliquid possint? Hip. Potentes, et maxime quidem, cum in aliis multis, tum etiam in decipiendis hominibus. So. Potentes itaque sunt, secundum sermonem tuum, atque versuti, nonne? Hip. Certe. So. Versuti vero sunt et subdoli stoliditate quadam et imprudentia? an astutia potius atque prudentia? Hip. Astutia maxime omnium atque prudentia. So. Prudentes ergo sunt, ut videtur. Hip. Valde, per Jovem. So. Prudentes vero cum sint, num ignorantes sunt? Hip. Immo scientes maxime. nam ob hoc alios seducunt. So. Cum ergo scientes sint harum rerum quas sciunt, utrum insipientes sunt, an potius sapientes? Hip. Sapientes videlicet in his ipsis ad [366] decipiendum. So. Siste, obsecro: repetamus dicta, ut quid dicas, inspiciamus. Mendaces esse ais potentes prudentesque, scientes item et sapientes circa illa de quibus mendaces? Hip. Aio. So. Alios autem veraces esse, alios contra mendaces, atque hos inter se longe contrarios? Hip. Aio et ista. So. Ex hoc ergo sequitur, ut mendaces ex potentum sapientumque numero sint. Hip. Maxime. So. Cum vero dicis potentes et sapientes esse mendaces ipsos ad eadem, utrum dicis potentes esse ad mentiendum si velint, vel impotentes ad ea quae mentiuntur? Hip. Potentes equidem. So. Ut ergo summatim dicamus, mendaces sunt qui ad mentiendum potentes sapientesque sunt. Hip. Plane. So. Ergo vir qui mentiri nequit, neque scit quicquam, non erit mendax. Hip. Sic est. So. Potens autem est qui facit quod vult et quando vult. haud morbo vel quibusdam talibus impeditus inquam; verum quemadmodum tu meum nomen, quotienscunque vis, scribere potes, ita nunc interrogo. an non hominem sic affectum potentem vocas? Hip. Sane. So. Die vero, o Hippia, nonne ea numerandi computandique peritus?

Digitized by Google

Hip. Maxime omnium. So. Si quis ergo te percontetur, ter septingenta quantum compleant numerum, nonne, modo velis, omnium quam optime atque maxime vera de his respondebis? Hip. Prorsus. So. Nunquid ex eo quod circa ista potentissimus et sapientissimus es? Hip. Nempe. So. Utrum sapientissimus ea ac potentissimus dumtaxat? an etiam circa eadem optimus, circa quæ sapientia et potentia præstas, hoc est, in numeris computandis? Hip. Et optimus insuper, Socrates. So. Vera itaque de his præ ceteris maxime dicere posses? an non? Hip. Reor equidem. So. An et falsa circa eadem? Age nunc, Hippia, ut et supra, generose magnificeque responde. Si quis quærat, ter septingenta quot sunt, utrum ipse maxime de his mentieris, ac semper secundum eadem falsa de his pronuntiabis, mentiri volens et nunquam vera proferre? an qui numerorum ignarus est, poterit magis mentiri quam tu, [367] dum mentiri voles? vel potius ignorans sæpe dum volet falsa proferre, vera forte præter sententiam proferet, quia rem ipsam ignoret: tu vero cum sapiens sis, semper dum mentiri voles, similiter mentieris? Hip. Est ut dicis. So. Mendax itaque utrum circa alia mendax est, non tamen circa numeros, neque de numero mentietur? Hip. Immo et circa numeros. So. Ponamus igitur hoc, Hippia, circa computationem ac numerum aliquem esse mendacem. Hip. Certe. So. Quis igitur hic erit? necesse est ut mentiri possit, ut ipse dicebas, si mendax futurus est. Nempe abs te dictum est, si recordaris, eum qui mentiri nequeat, non esse mendacem. Hip. Recordor equidem, atque ita dictum. So. Nonne paulo ante constitit, te esse ad mentiendum in computandis numeris potentissimum? Hip. Ita dictum fuit et istud. So. Num et quam maxime ea ad vera proferenda de numeris iisdem potens? Hip. Valde. So. Idem ergo potest maxime in computando vera loqui atque mentiri. is autem est qui bonus est in numeris, videlicet computator. Hip. Sic omnino. So. Quis igitur alius, Hippia, in computando fit mendax, nisi qui ad idem bonus? hic enim potens, hic et verax. Hip. Apparet. So. Cernis eundem veracem esse in his atque mendacem, et nihilo meliorem mendace ipso veracem esse. iidem namque sunt, neque valde contrarii, ut tu nuper existimabas. Hip. Haud certe nunc in his apparet. So. Visne in aliis quoque consideremus? Hip. Ut lubet. So. Nonne ea et geometriæ peritas? Hip. Sum. So. An non idem in geometria contingit? porro idem falsa quam maxime de figuris pronuntiare potest, qui et vera. est autem is geometra. Hip. Profecto. So. An alius ad hæc præter hunc bonus? Hip. Non alius. So. Nonne bonus ac sapiens geometra utraque potest? et si quis alius in figuris mendax, is maxime qui in iisdem est bonus. hic siquidem potens. malus autem ad mentiendum impotens: neque unquam fit mendax qui est impotens mentiendi, ut est concessum. Hip. Sunt hæc vera. So. Tertium insuper inspiciamus astronomem: quam ipse artem magis etiam quam [368] superiores soles, Hippia, profiteri. sione? Hip. Sic certe. So. An non eadem in Astronomia contingunt? Hip. Consentaneum est, o Socrates. So. Quare et in astronomia si quis alius mendax, is erit maxime, qui bonus astronomus. Hip. Is namque mentiri summopere potest. neque enim qui impotens est: is enim inscius est. So. Idem ergo et in astronomia verax erit et mendax. Hip. Videtur. So. Age, Hippia, passim ita per omnes scientias cogita, num ita sit an aliter. nam ante alios omnes plurimis artibus es ornatus: quemadmodum ego te quandoque jactantem audivi, quod sapientia multa exoptandaque præ ceteris abundares, et in foro inter mensas disputando deambulantem. adjecisti præterea, te quondam Olympicum adiisse certamen, cosporis ornatu spectandum; et omnia cosporis ornamenta propriis manibus confecisse. Primo quidem anulum quem habebas, (hinc enim cœpisti,) tuum fuisse

Digitized by Google

opus: quasi esses sculpendi peritus. quinetiam sigillum quoddam tuum opus sustentabas, et strigilem, et vasculum unguentarium similiter opus tuum: calceos quinetiam tuis consutos manibus, vestem et interulam abs te contextam. quodque admodum mirabilius visum est, et singularis indicium sapientiæ, cingulum dicebas ostendisse te opus tuum, Persicis pretiosisque simile. Item tua quædam poëmata, carmina, tragœdias, dithyrambos, et orationes plurimas variasque, stilo pedestri compositas. præterea periculum ante alios omnes fecisse in artibus, quas in superioribus commemorabam: et in rhythmis harmoniisque et studio literarum, ac in ceteris generis hujus permultis, si recte recordor. At vero prætermiseram tuæ memoriæ artificium, quo pollere te mirum in modum existimas. forte vero et alia multa sum oblitus. Verum quod ipse quæro, tuas artes animadvertens, quibus et alias sufficienter dijudicabis, dic age, si repereris usquam, ex his quæ inter nos concessa fuerunt, a mendace veracem esse diversum, neque eundem existere. In qualibet autem sapientia quære vel calliditate, [369] vel quomodocunque appellare juvat. sed nunquam, o amice, invenies. neque enim est usquam. quod si est alicubi, dicas. Hip. Haud in præsentia invenio, Socrates. So. Neque invenies posthac, ut arbitror. Si autem vera loquor, recordare, Hippia, quid ex superioribus sequitur. Hip. Non satis adverto quod loqueris, Socrates. So. Nihil opus est in præsentia memoriæ artificio. patet enim te opus esse non opinari: sed ego nunc memorabo. Recordaris dixisse te, Achillem virum fuisse veridicum, Ulixem vero mendacem atque versutum? Hip. Utique. So. Nunc autem sentis, eundem apparuisse veracem esse atque mendacem. ideoque si mendax erat Ulixes, erat et verax: item si veridicus Achilles, erat et mendax: neque differentes hi viri invicem, neque contrarii, immo similes exstiterunt. Hip. Semper tu quidem, Socrates, captiunculas tales contexis, et captans quod in sermone molestissimum est, ad hoc instas, et minima quæque contrectas, neque adversus totam rem ipsam, de qua est sermo, contendis. Namque si velis, nunc pluribus argumentis sufficientique ratione ostendam tibi, Homerum Ulixe meliorem Achillem veracemque finxisse: Ulixem vero subdolum et in pluribus mentientem, atque Achille deteriorem. At, si tibi placet, vicissim responde, cumque mea orationem tuam compara, qua ostendas alterum meliorem esse: atque ita præsentes hi magis intelligent, uter nostrum rectius locutus fuerit. So. Haud istud dubito vel contendo, Hippia, quo minus me sapientior videaris: cedo equidem tibi. verum consuevi semper, cum aliquis de re aliqua disputat, diligenter attendere; præsertim quando qui loquitur, sapiens esse mihi videtur. tunc sane discendi avidus quæ dicit, observo, exquiro, connecto ac repeto, ut clarius dicta percipiam. sin autem dicentem ipsum parvi facio; neque requiro ab eo quicquam, neque quid dicat, attendo. Atque hac ipsa conjectura comprehendes, quos æstimem sapientes. cernes enim me verba illorum accuratissime auscultantem, sciscitantemque ab illis; ut aliquid discendo in vita proficiam. Et nunc quidem, cum dicta tua animadverterem, quibus illorum carminum testimonio Achillem ostendis adversus Ulixem ut jactabundum dicere, mirum quiddam mihi visum est, si vera dixeris: quoniam Ulixes ipse versutus, [370] mendacii nullius redargui potest: Achilles autem versutus et varius, secundum sermonem tuum, esse videtur. mentitur enim. Nam cum ea pronuntiasset carmina, quæ tu nunc recensuisti,

> is magis est quoniam quam nigri janua Ditis
> infensus nobis, aliud qui pectore claudit,
> inde palam profert aliud quodcunque videtur.

Digitized by Google

paulo post addit:

non mihi versutus posthac suadebit Ulixes,
non Agamemnon, Trojanis insistere terris.
sed cras ipse Jovi reliquisque ubi sacra pararo
cœlicolis, curvo collectas litore naves
in mare deducam, prima quas luce videbis
nare per Hellespontiacum mare piscibus aptum.
in quibus aspicies, cupias modo visere, fortes
edoctosque viros remis incumbere. nam si
Neptunus ventis implebit vela secundis,
tertia frugiferis Phthiæ lux sistet in oris.

Item supra adversus Agamemnonem jurgans ait,

navibus ecce domum nigris, quia præstat, abibo
in patriam Phthiam, neque enim mens optat, ut hic te
divitiis repleam, validis inglorius armis.

Hæc fatus, tum coram omni exercitu, tum ad ejus amicos, nusquam apparet vel se ad opus accingere, vel naves trahere, ut domum reversurus: immo parum admodum curare, ut vera sint quæ loquitur. Equidem, Hippia, ab initio te rogavi, cum ambigerem, uter horum apud poëtam præstantior habeatur, putaremque utrumque virum optimum esse, et difficile cognitu, uter horum excellat magis mendacio et veritate aliaque virtute. ambo enim in hoc quam proximi sunt. Hip. Haud recte discernis, o Socrates. nam quæ mentitur Achilles, non ex insidiis, sed invitus propter exercitus casum mentiri videtur coactus restare atque succurrere: Ulixes autem sponte ac dolo. So. Decipis me, carissime Hippia, ipseque imitaris Ulixem. Hip. Minime [371] omnium, Socrates. quidnam dicis? et qua ratione? So. Quoniam Achillem ais non ex insidiis mentiri: qui usque adeo seductor erat, atque insidiator præter ipsam jactantiam, sicut fingit Homerus, ut tanto esset Ulixe callidior, ut ipsi vanitatem absconderet suam, dum coram eo contraria sibi ipsi loqui auderet, Ulixemque celaret. Quocirca adversus eum nihil inferre videtur Ulixes, utpote qui mendacium non advertit. Hip. Quænam ista dicis, o Socrates? So. Nescis, quod ad Ulixem inquit prima luce se discessurum: ad Ajacem vero non ita, sed aliter? Hip. Ubinam? So. His in carminibus,

diri nulla prius belli me cura tenebit,
Hectora quam Priami natum venisse sub armis,
Myrmidonum naves, tentoria longa, petentem,
audiero, premat Argivos qui Marte subactos,
quique rates ignem posthæc jaculetur in ipsas.
Hectora namque meas naves ant castra furentem
haud reor ausurum dubio contingere bello.

An censes, Hippia, usque adeo obliviosum fuisse Thetidis filium, a Chirone sapientissimo eruditum, ut, cum antea vanos ipsos variosque jactatores effulminasset, ipse confestim Ulixi quidem, quasi sui ipsius oblitus, dixerit navigaturum se, Ajaci vero commoraturum: potius quam insidiatus, cum Ulixem cognosceret seniorem, commentitiisque machinamentis et dolis se longe potentiorem? Hip. Haud dolo dixisse ista mihi videtur Achilles, immo ipsa simplicitate aliter persuasus, aliter cum Ajace quam cum Ulixe fuisse locutus. Ulixes autem, seu vera sive falsa loquatur, semper insidias tendit. So. Melior ergo, ut videtur, est Ulixes Achille. Hip.

Digitized by Google

Minime, o Socrates. So. An non supra visi sunt qui sponte mendacium dicunt, meliores esse quam qui non sponte? Hip. Quonam pacto, Socrates, qui scientes volentesque injuriantur, seducunt, [372] lædunt, meliores esse possunt quam qui hæc præter sententiam faciunt? quandoquidem multum ignoscitur illi, qui per ignorantiam injuriam infert, mendacium loquitur, vel aliud quicquam committit mali: legesque in eos severius animadvertunt, qui volentes mala faciunt mentiunturque, quam qui nolentes. So. Vides, Hippia, vera me loqui, quum dico accuratum esse me ad sapientum virorum interrogationes: cumque in ceteris valde deficiam, hoc tantum habeo boni. Quæ enim natura ipsa rerum sit, nescio. quod hinc maxime conjectare licet, quia quotiens cum aliquo vestrum loquor, qui opinione excellitis sapientiæ, testesque doctrinæ Græcos omnes habetis, scire nihil appareo. nunquam enim idem mihi, ut ita dixerim, ac vobis videtur. Quod autem evidentius est inscitiæ argumentum, quam si quis a sapientibus viris dissentiat? Mirificum tamen hoc habeo bonum, quod me servat, quoniam sine rubore verecundiæ ad discendum me præparo. rogo autem ac sciscitor, gratiamque ingentem habeo respondenti, nec ulli unquam ingratus exstiti: neque apud auditores unquam vendicavi mihi aliorum inventa, sed docentem laudibus semper extollo, illique apud omnes quæ sua sunt, tribuo. Atqui et nunc quæ dicis ipse, nequaquam admitto; immo longe dissentio. et hoc mea culpa contingere certe scio: quippe qui talem esse me fatear, qualis sum, ne me extollam. Mihi quidem, Hippia, omnino contra ac tibi videtur. opinor siquidem eos qui sponte lædunt homines, injuriantur, mentiuntur, decipiunt, delinquunt, meliores esse his, qui non sponte. Nonnunquam vero contra judico, et circa hæc aberro, utpote qui rem ipsam ignorem. Ecce nunc autem animi morbus me quidam invasit: videnturque mihi qui proposito circa aliquid peccant, meliores esse, quam qui præter sententiam errant. Præsentis autem passionis superiores sermones causam duco, quibus fit, ut in præsentia existimem eos qui non sponte peccant, deteriores esse his qui sponte. Ergo tu mihi propitius esto nec ulla invidia te detineat, quin animum meum cures. multo mihi majus beneficium conferes, si [373] inscitia liberaveris animum, quam si ægritudine corpus. Si hoc velis multis verbis efficere, prædico tibi, hunc in modum te minime curaturum. neque enim assequar. Sin autem ita ut supra respondere volueris, admodum mihi proderis. spero autem, tibi hoc haud noxium fore. Merito vero te nunc invocabo, Apemanti fili. nam ipse me induxisti, ut cum Hippia disputarem. quare si nunc Hippias respondere noluerit, pro me ipse rogato. Eu. Nil opus est meis ad Hippiam precibus, Socrates. neque enim id proposuit, ut coactus videlicet responderet; immo responsurum se libenter omnibus est pollicitus. nonne hæc sunt, Hippia, quæ dicebas? Hip. Dicebam equidem. verum Socrates hic, o Eudice, semper dicentes interturbat, et quasi maleficus quidam esse videtur. So. O vir optime Hippia, haud sponte hæc facio: (essem utique sapiens secundum sermonem tuum atque astutus) verum præter sententiam ago. quamobrem ignosce mihi. ais enim, non sponte peccanti ignoscendum esse. Eu. Haud aliter facias, Hippia: sed nostri gratia, et propter ea quæ supra tibi dicta sunt, responde ad ea quæ interrogat Socrates. Hip. Respondebo equidem, cum tu roges. Pete ergo quod lubet. So. Vehementer cupio, Hippia, quod modo dictum est, considerare, utri meliores sint, an qui sponte volentesque peccant, an qui contra. spero autem hunc in modum rectissime posse considerari. Responde jam. Vocasne cursorem aliquem bonum? Hip. Equidem. So. Et malum? Hip. Ita. So. Nonne bonus qui bene currit, malus qui male? Hip. Certe. So. An non qui tarde currit, male currit? qui autem velociter, bene? Hip. Procul dubio.

Digitized by Google

So. In ipso itaque cursu celeritas quidem bonum, tarditas autem malum. Hip. Quid tum? So. Uter ergo cursor est melior? utrum qui sponte currit tarde, an qui secus? Hip. Qui ultro. So. Nonne currere est aliquid facere? Hip. Facere utique. So. Facere autem aliquid operari? Hip. Profecto. So. Ergo qui male currit, malum hoc et turpe operatur in cursu. Hip. Malum. quidni? So. Male autem currit, qui tarde currit. Hip. Sane. So. Nonne igitur cursor bonos de industria malum hoc et turpe operatur: malus, præter propositum? Hip. Videtur. So. In cursu igitur deterior est qui præter voluntatem agit mala, quam qui volens. Hip. In cursu plane. [374] So. Quid autem in palæstra? uter luctator est melior? num qui dedita opera cadit? an qui invitus? Hip. Qui dedita opera. So. Ita videtur. Pejus autem ac turpius in palæstra cadere, an dejicere? Hip. Cadere. So. Et in palæstra igitur qui studio mala agit et turpia, melior luctator est, quam qui imbecillitate atque inertia. Hip. Videtur. So. Quidnam in omni reliquo corporis usu? nonne qui corpore robustior atque aptior est, facere pro arbitrio utraque potest, tam quæ robusti hominis sunt, quam quæ debilis, et pulchra et turpia? quapropter qui habitu corporis præstat, quoties mala secundum corpus facit, volens efficit: imbecillis autem invitus. Hip. Videtur quoque idem circa robur contingere. So. Quid vero de ipsius figuræ concinnitate dicendum? nonne formosioris meliorisque corporis est, impensa opera turpes figuras confingere? deformis autem contra? quid tibi videtur? Hip. Quod et tibi. So. Figuræ itaque inconcinnitas voluntaria ad virtutem corporis attinet: contraria vero ad vitium. Hip. Apparet. So. De voce vero quid ais? utram meliorem asseris? ex animine voluntate dissonam, an ex inertia? Hip. Ex animi voluntate. So. Alteram vero pejorem. Hip. Absque dubio. So. Utrum bona optas habere, an mala? Hip. Bona. So. Utrum eligeres pedes habere qui dedita opera claudicarent, an qui inviti? Hip. Eos plane qui de industria. So. Claudicatio pedum nonne vitium est atque deformitas? Hip. Est. So. Hebetudo autem nonne vitium oculorum? Hip. Vitium. So. Utros igitur potius oculos eliges, eosne quibus sponte quis confuse videat vel perverse inspiciat; an contra quibus nolens male aliquis videat? Hip. Eos quibus volens. So. Ex his vero quæ tua sunt, potiora censes illa quæ male agunt sponte, quam quæ invita? Hip. Ejusmodi quædam videlicet. So. An non et reliqua omnia, aures, nares, os, omnesque sensus ratio una comprehendit; quæ docet, sensus præter propositum peccantes, eligendos esse nunquam, utpote qui pravi sint: eos autem qui ex instituto, tanquam bonos, potius eligendos? Hip. Mihi quidem videtur. So. Quorum vero instrumentorum melior usus? utrum quibus volens aliquis errat, an quibus nolens? ceu gubernaculum, utrum melius illud quo de industria quispiam male gubernet, an quo invitus? Hip. Quo de industria. So. Nonne arcus similiter, et lyra, et tibiæ, ac cetera omnia? Hip. Vera loqueris. [375] So. Utra equi anima ad possidendum melior? eane qua sponte quis male equitet, an qua invitus? Hip. Qua sponte. So. Est itaque melior. Hip. Est. So. Meliori igitur equi anima, mala hujus animæ opera volens quis faciet: contraria vero contra. Hip. Omnino. So. Nonne eadem de anima canis ceterorumque animalium ratio? Hip. Eadem. So. Utrius autem sagittatoris animam tanquam meliorem eligeres? illiusne qui volens aberrat a signo, an illius qui nolens? Hip. Illius qui ultro. So. An non hæc ad sagittandi artem melior? Hip. Melior. So. Quare anima quæ aberrat inscia, deterior est ea quæ sciens aberrat. Hip. In sagittandi videlicet facultate. So. Quid vero in studio medicinæ? nonne quæ medendo dedita opera mala quædam corporibus infert, quod ad medicinæ artem pertinet, peritior est quam illa quæ per igno-

Digitized by Google

rantiam peccat? Hip. Plane. So. Ergo hæc in medicinæ arte est melior. Hip. Melior. So. Utra vero ad citharam pulsandam, vel inflandas tibias, et alia uniuscujusque artis vel scientiæ opera est instructior, nonne ad hæc et melior? et si quando præter artem male quid facit, de industria facit? quæ vero deterior, præter sententiam? Hip. Apparet. So. Servorum autem animas eligemus potius quæ scientes circa ministerium peccant, quam quæ ignorantes, quasi ad hæc opera meliores? Hip. Sane. So. Animam vero nostram nonne quam optimam exoptamus habere? Hip. Nempe. So. An non melior erit, si sponte mala facit atque delinquit, quam si nescia? Hip. Grave id esset, o Socrates, si qui sponte injuriantur, meliores essent his qui non sponte. So. Ex his tamen quæ supra dicta sunt, sequi videtur. Hip. Mihi vero nequaquam. So. Putaram, Hippia, idem tibi quoque videri. Responde igitur iterum. Justitia nonne vel potentia quædam est, vel scientia, vel utrumque? an non necesse est aliquid horum esse justitiam? Hip. Necesse. So. Si potentia quædam animæ justitia est, potentior anima justior erit? melior enim, o vir optime, hæc talis nobis apparuit. Hip. Apparuit certe. So. Quid vero si scientia justitia sit? nonne quæ sapientior anima, illa justior? quæ insipientior, contra injustior? Hip. Ita est. So. Quid si utrumque? an non quæ ambo hæc habet, scientiam scilicet et potentiam, justior erit? quæ non habet, injustior? nonne ita rem se habere necessarium est? Hip. Apparet. So. Quæ vero potentior et sapientior est, ea melior apparuit esse, et ad utraque, tam pulchra quam turpia, circa quamlibet actionem peragenda paratior? [376] Hip. Certe. So. Quotiens itaque turpia facit, volens facit, propter artem atque potentiam, hæc autem, vel ambo, vel alterum, ad justitiam pertinent. Hip. Videtur. So. Enimvero injuriari, mala facere est: non injuriari, bona. Hip. Sic est. So. Nonne ergo potentior ac melior anima, quotiens injuste aget, sponte aget? prava autem contra? Hip. Apparet. So. Nonne vir bonus, qui animam habet bonam? malus contra, qui malam? Hip. Absque dubio. So. Quamobrem boni viri est, sponte injuriari: mali autem non sponte: siquidem bonus vir animam bonam habet. Hip. Habet quidem. So. Si quis est igitur hominum qui sponte aberret, turpiaque et injusta committat, haud alius est, o Hippia, quam vir bonus. Hip. Concedere tibi ista non possum, o Socrates. So. Neque ego ipse mihi, Hippia, veruntamen ex superiori sermone necesse est in præsentia nobis ita videri. At vero, ut supra dicebam, circa hæc semper sursum deorsumve revolvor, nec in eadem persisto sententia. Neque mirum est, me rudesque alios ad contraria circumvagari, si et sapientes vos oberretis. Id autem nobis grave malum, si neque etiam ad vos profecti errare cessemus.

Digitized by Google

HIPPARCHUS.

SOCRATES, HIPPARCHUS.

[225] QUIDNAM lucri cupiditas est? et qui sunt lucri cupidi? HIP. Mihi quidem videntur, qui lucrandum putant ex rebus nulla æstimatione dignis. S. Videturne tibi scire, quod nullius pretii sint, an ignorare? quod si ignorare, amentes lucri cupidos vocas. HIP. At non amentes appello, sed callidos, atque improbos, et victos a lucro, cognoscentes nullius pretii esse, ex quibus lucrari audeant, et tamen audent lucrari per impudentiam. So. Num hujuscemodi lucri cupidum vocas, veluti si agricola plantans, cognoscensque nullius pretii plantam esse, dignum tamen putet ex ea lucrari? talemne ipsum nuncupas? HIP. Undecunque, o Socrates, lucri cupidus quærendum censet. So. Ne adeo temere verba effundas, veluti alicui propter acceptam injuriam infensus: sed ad me potius attendens responde, ac si a principio rursus interrogarem. Confiteris lucri cupidum cognoscere, quanti sit, unde lucrari dignum putat? HIP. Confiteor. So. Quis peritus est circa plantarum dignitatem, qua in regione ac tempore plantare dignum sit? ut aliquid et nos sapientum verborum, quibus elegantes cavillici utuntur, in medium afferamus. HIP. Agricolam arbitror. So. Num dignum lucro vocas aliud, quam lucrandum esse existimare? HIP. Id ipsum. So. Ne me coneris decipere virum jam seniorem, cum adeo [226] juvenis sis, respondens, quemadmodum nunc, quæ ipse minime putas: sed responde quam verissime potes. An censet agricultorem quempiam, cognoscentem quod arbor nullo modo plantatione digna sit, putare ex ipsa se lucraturum? HIP. Non per Jovem. So. Equestrem præterea virum, intelligentem nullius pretii pabulum se equo præbere, ignorare censes quod equum perdit? HIP. Nequaquam. So. Non igitur putat ab hujusmodi pabulis lucraturum. HIP. Minime. So. Gubernatorem vero, qui temone et velis nullius existimationis navem munierit, ignorare censes, quod damno afficietur et periculum incurret, ne ipse simul et navis, et quæcunque in navi sunt, perdantur? HIP. Non certe. So. Haud igitur putat se ex instrumentis nullius pretii lucraturum. HIP. Minime. So. Item belli dux, cernens exercitum vilibus armis confisum, speratne ac dignum putat, ex iis lucrum aliquod assequi? HIP. Nullum. So. Eodem modo tibicen tibiam et citharista citharam et arcifer arcum, et ut brevi complectar, quicunque artifex, aut alius quisquam vir peritus, organa ac reliquum apparatum nullius pretii habeat, putatne ex iis aliquando se lucraturum? HIP. Non, ut apparet. So. Quos itaque lucri cupidos nuncupas? neque enim eos, quos supra retulimus, qui ex rebus nulla ratione dignis rentur oportere lucrari. HIP. At hoc modo, o mirifice vir, quo ipse loqueris, nullus hominum lucri cupidus esset. sed ego eos lucri cupidos esse intelligo, qui propter inexplebilem aviditatem minima æque atque vilia et nullius pretii mirum in modum sitiunt, et in iis etiam lucrum quærunt. So. Non tamen, o vir optime, discernunt,

Digitized by Google

ista nullius esse pretii. jam enim nos ipsos in hoc, quia esset impossibile, rationibus redarguimus. Hip. Mihi sane videtur. So. Si non cognoscunt, ignorant igitur: opinantur tamen, quæ nullius pretii sunt, multi facienda esse. Hip. Apparet. So. Lucri cupidi nonne lucrum cupiunt? Hip. Profecto. So. Lucrum vero damno contrarium? [227] Hip. Est. So. Estne bonum alicui damno affici? Hip. Nemini. So. Malum autem? Hip. Prorsus. So. Læduntur itaque damno homines? Hip. Læduntur. So. Malum igitur damnum? Hip. Malum. So. Contrarium damno lucrum? Hip. Contrarium. So. Bonumne igitur lucrum? Hip. Certe. So. Bonum igitur amantes, lucri cupidos nuncupas? Hip. Videtur. So. Non insanos quidem, o amice, lucri cupidos dicis. sed tu ipse utrum amas quod bonum est, an non amas? Hip. Amo equidem. So. An est bonum quisquam, quod non affectes, sed malum? Hip. Non per Jovem. So. At forsitan omnia bona affectas. Hip. Omnia. So. Interroga insuper et me, utrum et ipse. bona equidem amare me confitebor. sed præter me ac te, nonne reliqui homines omnes amant bona, mala oderunt? Hip. Videntur. So. Lucrum autem nonne bonum esse confessi sumus? Hip. Nempe. So. Omnes igitur lucri cupidi videntur hoc modo: quo vero prius diximus, nullus lucri cupidus esset. Utra igitur istarum rationum aliquis utens non aberrabit? Hip. Si quis, o Socrates, recte lucri cupidum definiat, eum, ut puto, lucri cupidum arbitrabitur, qui studet iis et deceas existimat in iis lucrum quærere, ex quibus boni viri lucrari nunquam auderent. So. An non tenes, quod paulo ante inter nos convenit, lucrari scilicet esse utilitate affici? Hip. Quid tum? So. Quod etiam in hoc consensimus, omnes semper bonum velle. Hip. Confessi sumus. So. Nonne et boni viri omne lucrum expetent, si quidem hujusmodi omne bonum est? Hip. Non tamen ea lucra, quibus læsi possint. So. Lædi vocas damnum pati, an aliud quippiam? Hip. Nil aliud, quam pati damnum. So. A lucrone damno afficiuntur homines, an a damno potius? Hip. Ab utrisque. etenim a damno et a turpi lucro damno afficiantur. So. Num tibi videtur aliquid utile ac bonum turpe existere? Hip. Minime. [228] So. Nonne paulo ante concessimus, lucrum damno, malo existenti, contrarium esse? Hip. Fateor. So. Et cum sit malo contrarium, esse bonum? Hip. Concessimus. So. Ergo, ut vides, me conaris decipere, de industria contraria iis asserens, quæ supra confessi sumus. Hip. Non per Jovem, o Socrates: sed econtra tu me decipis, ac nescio quomodo in disputando rem summam deorsumque convertis. So. Bona verba, quæso. neque enim recte facerem, nisi viro bono et sapienti parerem. Hip. Cujam? aut quid hoc tandem? So. Conciri meo et tuo, Hipparcho Pisistrati Philædonici filio, qui filiorum Pisistrati et major natu erat et sapientior, qui et alia multa præclara opera sapientiæ edidit, et Homeri libros primus in hanc urbem invexit, coegitque poetas cantores carminum apud Athenienses referre per ordinem: quod etiam his temporibus observant. et Anacreonta Teium missa navi quinquaginta remorum in hanc urbem accersivit. Simonidem præterea Chium apud se semper habuit, amplis eum muneribus ornans. Hæc autem agebat omnia, cives suos instruere volens, ut illis quam optime viventibus imperaret, ratus minime opertere alicui sapientiam invidere, quippe qui honestus ac bonus existeret. Cum vero cives abunde eruditi essent, atque ejus sapientiam admirarentur: convertit animum ad agricolas et peregrinos erudiendos. atque ideo columnas sive quadratos lapides in singulis urbis triviis erexit: ex ea postmodum sapientia, quam partim didicerat, partim ipse invenerat, eliciens potiora, elegis inclusit carminibus, et instituta sapientiæ inscripsit: adeo ut cives haud amplius admirarentur egregia illa epigrammata

Digitized by Google

Delphica, Cognosce te ipsum, Nihil nimis, et reliqua hujuscemodi, sed Hipparchi præcepta veluti sapientiora venerarentur: deinde hac atque illac prætereuntes, ac legendo illius sapientiam degustantes, ex agris et silvis ad reliqua doctrinæ instituta pergebant. Erant autem epigrammata duo in quibusdam ad sinistram cujusque [229] columnæ, quæ inscribebatur Mercurius loquens, quæve in medio urbis ac populi extabat. in quibusdam vero ad dextram, monumentum hoc Hipparchi: per ordinem perge, justa cogitans. Item et alia carmina plura atque præclara in ceteris columnis intueri licebat. Sed in via Stiriaca inscriptum id erat: Monumentum hoc Hipparchi, Ne amicum decipias. Quamobrem ego te mihi amicum fallere nunquam auderem, et illi tanto viro repugnare: quo vita functo, tres annos sub fratre illius Hippia tyrannide pressi Athenienses fuerunt. Ipse vero ab omnibus senioribus accepisti, solum id triennium in hac urbe tyrannidem viguisse. reliquis autem temporibus, eodem pæne modo, quo Saturno regnante, Athenienses vixerunt. Traditur autem ab elegantioribus viris, mortis ejus causam exstitisse non eam, quæ vulgo fertur, sororis scilicet Canephoriæ contemptum: nam id credere absurdum est. sed Harmodium amatum eruditumque ab Aristogitone fuisse tradunt, magnum quiddam futurum ex hac educatione sperante. fore namque Hipparchum adversarium arbitrabatur. Interim contigisse, ut Harmodius nobilem quendam, cujus nomen non satis teneo, amaret. qui primum Harmodium et Aristogitonem veluti sapientes admirabatur, verum deinde familiaris factus Hipparcho, contemnere illos cœpit: quo illi indignati Hipparchum interemerunt. Hip. Videris ergo, o Socrates, vel amicum me non putare: vel, si putas amicum, Hipparcho minime credere. ego enim quo modo me non decipias disserendo, persuaderi abs te nequeo. So. Atqui volo tibi, perinde ac si talis luderem, retractare quicquid ex superioribus libet, ne te deceptum existimes. Visne illud immutari, quod diximus, omnes homines bona appetere? Hip. Nolo. So. Quid vero illud, quod damnum, ac damno affici, malum esse concessimus? Hip. Neque id mutari volo. So. Sed quid illud, quod lucrum atque lucrari, et ipsi damno, et ei quod est damnum pati, contraria sunt? Hip. Neque [230] istud quidem. So. At illud forsitan, quod lucrari, utpote malo contrarium, bonum est? Hip. Neque id retractes. So. Videtur igitur tibi, ut apparet, aliquod lucrum bonum esse, aliquod vero malum? Hip. Mihi vero. So. Retracto itaque tibi hoc. Esto enim lucrum aliud bonum, malum aliud: nihil tamen magis hoc, quam illud, lucrum est. nonne? Hip. Quid interrogas? So. Dicam. Cibus et bonus est, et malus. Hip. Est. So. Estne magis cibus alter altero? an similiter cibi sunt ambo, neque, in quantum cibus, unus ab altero differt: sed in quantum unus quidem bonus, alter vero malus? Hip. Est ut dicis. So. Nonne et potus, et reliqua omnia quæcunque in specie eadem existentia talia sunt, ut partim bona, partim mala sint: nihil inter se differunt secundum id quo eadem sunt: quemadmodum homo quidem unus bonus, malus alius? Hip. Sic est. So. Ceterum neuter illorum, ut arbitror, magis aut minus homo est, quam alius, neque bonus malo, neque bono malus. Hip. Vera dicis. So. Nonne de lucro similiter judicabimus, quod pariter lucrum tam bonum quam malum sit? Hip. Necesse est. So. Nil igitur magis lucratur, qui bonum lucrum assequitur, quam qui malum: neque istorum aliquid majus lucrum apparet, ut jam convenit. Hip. Profecto. So. Neutro enim aut magis, aut minus adest? Hip. Neutro So. Tali autem re, cui neutrum horum competit, quomodo quis magis vel minus aliquid aut ageret, aut etiam pateretur? Hip. Impossibile. So. Postquam lucra et utilia sunt similiter ambo, hoc deinceps animadvertendum restat, propter

Digitized by Google

quid utraque ipsa lucrum appellas, quidnam idem in utrisque aspicis? veluti si ipse modo me rogavisses, quare cibum, seu bonum sive malum, similiter cibum appellem: respondissem utique, quoniam uterque sicca est corporis esca, ideo utrumque cibum nomino: quod quidem et tu nobis concederes. nonne? Hip. Fateor. So. Et circa potum eadem rursus respondendi ratio esset, quod humido corporis alimento, seu bonum sive malum sit, [231] id nomen potus imponitur, et in aliis eodem modo. Enitere itaque me sic respondentem imitari. Quidnam idem in lucro bono et malo cernis, propter cujus præsentiam utrumque lucrum nominas? Quod si tibi desit, quod mihi respondeas, me dicente attende. Num lucrum appellas omnem possessionem, quam quis adquisiverit, vel nihil expendens, vel expendens parum, cum plus accipiat? Hip. Id lucrum vocare mihi videor. So. An hujusmodi dicis, ceu si quis nihil expendens abunde epulatus sit, et ex epulis morbum adquisiverit? Hip. Non per Jovem. So. At bonam valetudinem ex epulis adeptus, lucrumne an damnum nanciscereturr? Hip. Lucrum. So. Non est igitur lucrum, quodlibet adquirere. Hip. Non certe. So. Nunquid ita se habet, ut non lucretur qui quodvis assequitur, sive bonum, seu malum? Hip. Apparet. So. Neque in damnum incurrat, qui in quodvis incurrit, sive bonum seu malum? Hip. Mihi quidem videtur. So. Cernis ergo, quod circa idem revolveris? lucrum enim bonum, damnum vero malum apparet. Hip. Ignoro quid dicam. So. Et jure quidem. sed præterea hoc mihi responde. Si quis minus expendens plus acceperit, lucrari hunc diceres? Hip. Non malum dico; verum si auri vel argenti minus erogans, plus accipiat. So. Enimvero hoc insuper interrogabo: Si quis dimidiam auri libram erogans, duplum reportaret argenti, lucrumne an damnum esset? Hip. Damnum profecto, o Socrates. nam pro duodecuplo duplum solummodo recipit. So. Veruntamen plus accepit. an non plus est duplum dimidio? Hip. Non ejusdem dignitatis ac pretii est argentum, cujus est aurum. So. Ergo oportet hoc lucro adjicere, æstimationem scilicet ac pretium. nunc utique argentum plus existens, quam aurum, haud æque æstimandum ac pretium dicis: et aurum minus existens, pretiosum quoque ac dignum. Hip. Et maxime. sic enim se res habet. So. Ipsa ergo æstimatio dignitasque lucrum continet, sive parva res sive magna sit: indignum vero æstimatione sine lucro est. Hip. Profecto. So. Ipsum pretiosum ac dignum, vocasne aliter dignum, quam adeptione dignum? Hip. Adeptione. So. Dignum autem adeptione, utile an inutile? Hip. Utile. [232] Utile nonne bonum? Hip. Est. So. O vir omnium fortissime, nonne jam tertio et quarto conclusum a nobis est, lucrum bonum esse? Hip. Videtur. So. Memoria tenes, unde sermo hic incidit? Hip. Arbitror. So. At si minus ipse memineris, ego in memoriam reducam. ex eo enim, quod dubitares, ne boni viri lucra quælibet acceptare nolint, sed ex lucris bona duntaxat, mala vero nequaquam. Hip. Hinc sane. So. Nonne lucra omnia esse bona, seu magna sive parva sint, ratio nos fateri coegit? Hip. Coegit certe, o Socrates, me magis, quam persuasit. Sed forsitan deinceps persuadebit. So. Nunc tamen, sive persuasus fueris, seu quomodocunque aliter sis affectus, consentis nobiscum, lucra omnia, et ampla et exigua, bona esse? Hip. Consentio. So. Et bonos viros omnes bona omnia velle fateris? necne? Hip. Fateor. So. Malos autem dicebas omnia lucra, tam exigua quam magna, capere. Hip. Dicebam. So. Nonne igitur secundum sermonem tuum universi homines, et boni pariter atque mali, lucri cupidi essent? Hip. Videtur. So. Non recte igitur vituperabit quispiam lucri cupidos, cum ipse quoque lucri cupidus sit.

Digitized by Google

MINOS.

SOCRATES, MINOS.

[313] Quidnam lex apud nos est? Min. De qua lege interroges? So. Estne aliquid, quo lex a lege, secundum quod lex est, differt? Adverte plane, quid quæram. sic enim interrogo, ac si quæsissem, quid est aurum: et si tu eodem modo, de quo auro quæram, interrogares, haud recte percontari censerem. neque enim aurum ab auro, secundum quod aurum, neque lapis, secundum quod lapis, a lapide differt: eodemque modo lex a lege nil discrepat, sed omnes idem sunt. etenim lex unaquæque illarum similiter est, nec una magis et alia minus. De hoc ipso igitur universo, quid lex est, generatim interrogo. quod si in promptu nunc habes, explica. Min. Et quid aliud lex, o Socrates, esset, quam quæ lege instituuntur? So. An sermo tibi videtur ea esse, quæ sermone dicuntur? vel visus, quæ videntur? vel auditus, quæ audiuntur? aut aliud sermo, aliud pronuntiata? aliud visus, aliud visa? et auditus similiter, atque audita? nec non lex aliud, aliud lege mandata? Sicne, an aliter tibi videtur? Min. Sic utique. So. Non ergo lex est, quæ lege præcipiuntur. Min. Non videtur. So. Quid itaque sit lex, in hunc modum consideremus. Si quis de iis, quæ modo diximus, percontetur, dicens, [314] Postquam visu asseritis, quæ videntur, percipi, quid est visus, quo illa percipiuntur? responderemus utique, Esse sensum hujusmodi, qui per oculos colores declarat: et de auditu interroganti, Sensum, qui per aures voces hausit. Eodemque pacto si roget, Postquam lege legitima constituuntur, quid est lex, quæ ista legitima fiunt, utrum sensus aliquis vel declaratio: quemadmodum quæ discuntur, declarante scientia comprehenduntur: et inveniuntur, inventione monstrante: quemadmodum salubria et noxia medicina monstratur: quæ vero dii cogitant, ut vates fortur, divinandi facultate noscuntur. vaticinium namque rerum talium inventio est. an non? Min. Prorsus. So. Quid horum præcipue legem esse præsumimus? institutane ista atque decreta? Min. Mihi quidem videtur. quid enim aliud quispiam legem esse dixerit? ex quo apparet, id totum, quod rogabas, legem civitatis institutum esse. So. Opinionemne civitatis legem vocas? Min. Equidem. So. Et forte recte loqueris. forsitan vero in hunc modum melius intelligemus. Aliquos sapientes vocas? Min. Voco. So. Nonne sapientes sapientia sapientes sunt? Min. Ita. So. Et justi, justitia justi? Min. Prorsus. So. Ergo et legitimi, lege legitimi? Min. Nempe. So. Iniqui autem, iniquitate iniqui? Min. Certe. So. Legitimi vero justi? Min. Ita. So. Iniqui autem injusti? Min. Injusti. So. An non pulcherrimam quiddam lex atque justitia? Min. Sic est. So. Turpissimum vero injustitia atque iniquitas? Min. Turpissimum. So. Et illud quidem civitates ac reliqua omnia servat, hoc autem pervertit atque corrumpit? Min. Ita. So. Ergo legem oportet, ut pulchrum aliquid cogitare, et ut bonum quærere. Min. Quidni? So. An non institutum

Digitized by Google

civitatis legem esse dicimus? Min. Dicimus. So. Nonne decreta quædam bona, nonnulla etiam mala sunt? Min. Sunt certe. So. Lex tamen mala non erat. Min. Non certe. So. Non igitur ita simpliciter asserendum est, legem civitatis institutum esse. Min. Nequaquam mihi videtur. So. Neque enim congruit iniquam constitutionem legem esse. Min. Non. So. Verumtamen opinio quædam lex mihi quoque videtur: cumque prava opinio minime sit, an non perspicuum est, si quidem est opinio, probam opinionem esse? Min. Constat. So. Proba vero opinio, nonne vera opinio est? Min. Est. [315] So. At opinio vera veritatis inventio. Min. Certe. So. Lex itaque veritatis inventio esse vult. Min. At quomodo, o Socrates, si lex veritatis inventio est, non iisdem semper legibus circa eadem utimur, cum rerum veritas inventa sit? So. Nihilominus lex veritatis inventio esse vult. Quod si non iisdem, ut videtur, legibus homines utuntur, non semper veritatem, quam lex expetit, reperire possunt. Sed age videamus, an hinc nobis liquidius pateat, sive iisdem semper, sive aliis aliis vivamus legibus: et num cuncti homines eisdem, aut aliis alii. Min. Verum neque id cognitu difficile est, o Socrates, quod neque iidem semper eisdem, nec alii semper aliis vivunt. Neque enim leges nostræ homines sacrificare permittunt. apud Carthaginenses autem justum sanctumque habetur, adeo ut eorum nonnulli Saturno filios litent: quod ipse forsitan audivisti. Nec modo barbari homines diversas ac nos leges sequuntur: verum etiam qui Lyciam incolunt, hi siquidem et Athamantis successores qualia sacra offerunt, cum tamen Græci sint? Nos quoque audivisti, quales quondam leges circa inferias servaverimus, hostias jugulantes antequam efferretur cadaver, eosque qui urnas ducerent advocantes. et qui iis antiquiores, defunctos etiam domi sepeliebant: quorum nos his temporibus nihil omnino servamus. Innumerabilia præterea ad idem exempla referre possemus. ampla enim provincia patet ad ostendendum, quod nec nos iisdem semper nobiscum, nec homines invicem legibus vitam agunt. So. Nil mirum est, o vir optime, si tu recte loqueris, me vero id latuit. Verum donec ipse per te ipsum quæ tibi videntur, prolixa oratione narrabis, egoque rursus idem faciam, nunquam, ut arbitror, consentiemus. et si communis disceptatio præpenatur, fortasse congruemus. Itaque si id vis, interrogans ipse me communiter una mecum considera: sin autem respondere mavis, responde. Min. Volo equidem, o Socrates, ad quodcunque libuerit, respondere. So. Age igitur, num justa putas injusta, injustaque justa esse? an justa potius justa, injusta vero dentaxat injusta? Min. Equidem quæ justa sunt, justa: nec non injusta, quæcunque injusta sunt. So. An non, [316] quemadmodum hic, sic et ubique gentium existimatur? Min. Ita. So. Et apud Persas nonne? Min. Et apud Persas. So. An non et semper? Min. Et semper. So. Utrum quæ plus trahunt, graviora hic censentur: quæ minus, leviora? vel hujus oppositum? Min. Non. immo plus trahentia graviora: minus trahentia leviora. So. Num et in Lycia et Carthagine idem? Min. Idem. So. Pulchra quippe, ut videtur, ubique pulchra putantur; turpia contra, turpia: non autem pulchra turpia, vel turpia pulchra. Min. Ita est. So. Nonne per omnia generatim quæ vera sunt, esse censentur: non autem quæ minime vera, tum apud nos, tum apud homines universos? Min. Videtur. So. Ergo quisquis a vero abernat, a legitimo quoque aberrat. Min. Secundum rationem tuam, o Socrates, eadem legitima semper et inter nos et inter ceteros esse videntur. at cum nos animadverto absque fine quotidie leges sursum deorsumque mutantes, fidem tibi præstare non possum. So. Forte non percipis, quod hæc transposita eadem perseverant. Ceterum sic ipsa mecum intuere. Librumne unquam de curatione morborum aliquem nactus

Digitized by Google

es? Min. Equidem. So. Nostin' cujus artis liber ille sit? Min. Novi quod medicinæ. So. Medicos vocas, qui hæc sciunt? Min. Voco. So. Qui sciunt, eadem de eisdem, an diversi diversa constituunt? Min. Eadem. So. Utrum Græci soli cum Græcis, aut etiam barbari, et secum et cum Græcis, de iis, quæ sciunt, conveniunt? Min. Necesse est omnino, eadem de iis, quæ sciunt, Græcos barbarosque censere. So. Probe respondisti. sed nonne et semper? Min. Et semper. So. Nonne medici circa valetudinem conscribunt, quæ esse censent? Min. Immo. So. Scripta igitur medicorum, leges medicorum sunt? Min. Sunt. So. Et geometrica scripta, geometrarum leges? Min. Certe. So. Quorum igitur sunt scripta constitutionesque de cultu hortorum? Min. Horti cultorum. So. Hæ igitur leges horticultoriæ sunt. Min. Ita. So. Eorum, qui hortis præesse sciunt? Min. Quidni? So. Sciunt autem horti cultores. Min. Nempe. So. At quorum sunt de condimentis obsoniorum scripta atque instituta? Min. Coquorum. So. Coquorum igitur hæ leges sunt. Min. Sunt. So. Eorum videlicet, qui præparandis obsoniis præesse sciunt. [317] Min. Procul dubio. So. Sciunt hæc, ut aiunt, coqui. Min. Sciunt. So. Age igitur, dic, quorum sunt conscripta et instituta de civitatis gubernatione? an non eorum, qui administrandæ rei publicæ periti sunt? Min. Apparet. So. Num alii quidam, præter civiles atque regios homines, id noverunt? Min. Isti soli. So. Civilia ergo conscripta hæc sunt, quæ homines regum bonorumque virorum decreta nominant. Min. Vera narras. So. Qui sciunt, haud alias aliud de iisdem rebus statuunt. Min. Non certe. So. Non igitur alia atque alia legitima sunt. Min. Nequaquam. So. Si quos dissentientes mutantesque viderimus, num scire illos an ignorare dicemus? Min. Nescire. So. An non, quod in singulis rectum est, id in singulis legitimum nuncupandum? utpote quod secundum rationem medici fit vel coqui vel horti cultoris, id in eis legitimum? Min. Absque dubio. So. Contra vero, quod minime rectum, haud amplius legitimum appellandum. Min. Haud amplius. So. Illegitimum itaque fit. Min. Necessarium est. So. Quamobrem in constitutionibus de justis atque injustis, deque civitatis ordine et gubernandi ratione tractantibus, quodcunque rectum est, regia lex existit: non rectum vero, nequaquam lex regia, quia scientia deest, esse videtur, quippe cum illegitimum sit. Min. Sic est. So. Probe igitur confessi sumus, legem esse veritatis inventionem. Min. Apparet. So. Præterea et hoc ad idem consideremus: quis spargendorum in terram seminum peritus est? Min. Agricola. So. Hic utique convenientia semina unicuique solo distribuit. Min. Sane. So. Agricola igitur in iis legislator bonus est: ejusque leges et ad ista distributiones rectæ. Min. Verum. So. Quis in ipsis ad harmoniam pulsationibus bonus legis conditor est, ac pro dignitate impertit? et cujus leges rectæ? Min. Tibicen et citharista hæc agunt. So. Qui ergo in iis maxime legitimus est, is maxime tibicen. Min. Ita. So. Quis optime corporibus alimenta accommodare potest? nonne qui congrua cuique adhibere novit? Min. Is ipse. So. Hujus partitiones institutionesque optimæ: et quicunque circa hæc legitimus maxime, is legis conditor optimus. Min. Prorsus. So. Quis iste? Min. Pædotriba. So. Is [318] humanorum corporum multitudinem pascere novit. Min. Sane. So. Ei vero, qui pecudum gregem pascere novit, quod nomen est? Min. Pastor. So. Pastoris itaque leges ovibus optimæ. Min. Optimæ. So. Et bubulci bobus. Min. Etiam. So. At cujus potissimum leges animis hominum optimæ sunt? an non regis? Min. Regis. So. Bene dicis. sed num referre potes, quis e priscis hominibus legum circa tibiarum inflationem conditor optimus exstitit? forte non tenes. visne tibi memorem? Min. Valde. So. Marsya et discipulus

Digitized by Google

ejus Olympus Phrygius. Min. Vera loqueris. So. Horum sane tibicines harmoniæ divinissimæ sunt, et solæ concitant audientes: qui potissimum diis indigeant, ostendunt; ac solæ in hunc usque diem utpote divinæ restiterunt. Min. Vera hæc sunt. So. Quis autem ex antiquis regibus legis conditor optimus fuisse fertur, cujus adhuc, tanquam divinæ, institutiones exstent? Min. Nequaquam teneo. So. An nescis, quæ Græcorum gentes antiquissimis legibus utantur? Min. Forte Lacedæmonios, et Lycurgum Lacedæmoniorum legum latorem, dicis. So. At hæc instituta nondum forte trecentos annos, vel paulo plures, impleverunt. nec non, quæ ex illis potiora sunt, unde habuerunt, nosti? Min. Ex Creta ferunt. So. Isti itaque ex Græcis omnibus antiquissimis legibus vivunt. Min. Verum. So. Scis, qui apud eos præstantissimi reges exstiterint? Minos videlicet et Rhadamanthus, Jovis et Europæ filii, quorum hæ leges sunt. Min. Rhadamanthum quidem, o Socrates, justum virum fuisse tradunt: Minoëm autem agrestem, durum atque injustum. So. Atticam, o vir optime, ac tragicam fabulam refers. Min. Nonne hæc de Minoë circumferuntur? So. Non tamen Homerus aut Hesiodus ista testantur: quanquam locupletiores admodum testes sunt, quam cuncti tragici, quorum testimonio talia loqueris. Min. Et quid isti de Minoë tradunt? So. Dicam: ne tu, ut alii multi, profana loqueris. nihil enim hoc profanius est. etenim primo cavendum est, ne quid in deum, aut verbo aut opere, aliquando peccemus: deinde, ne quid adversus divinos homines. quin diligenter cavere decet, quotiens virum aliquem laudaturus aut vituperaturus es, [319] ne aberres. atque hujus gratia inprimis curandum est, ut bonos ac malos homines dignoscamus. Deus quippe nimium indignatur, quotiens quispiam illius similem improbat, aut probat dissimilem. Dei vero similis est vir bonus. Neque lapides ac ligna, avesque atque serpentes, sacra existimes: homines vero nequaquam. immo sacratissimum omnium est vir bonus: profanissimum contra vir malus. Et nunc jam, quemadmodum Homerus Hesiodusque Minoëm ipsum extollunt, hac de causa referam, ne amplius homo ipse ex homine natus, adversus heroa Jovis filium perperam obloquaris. Nam Homerus, ubi de Creta mentionem faceret, quod esset admodum populosa, et in ea nonaginta urbes, *Inter illas*, inquit, *est Gnosos ampla civitas, in qua Minos regnavit, novem annos magno cum Jove collocutus.* Tanta est hæc in Minoëm Homeri laus, paucis verbis explicita, ut nunquam pari laudatione heroum quenquam extulerit. Quod enim Juppiter sophista est, eaque ars præclarissima, cum alibi sæpenumero, tum hoc in loco vel maxime patefacit. nam Minoëm annos novem cum Jove collocutum inquit: ad eumque disciplinæ gratia proficisci solitum, quasi Juppiter sophista sit. Quod autem tanto munere, hoc est ab Jove eruditum esse, alium heroa nullum Homerus affecit, mira quædam laus existimanda est. Quin etiam in Odyssea Minoëm mortuorum animas judicantem, aureum sceptrum tenentem induxit. Rhadamanthum vero neque hic neque alibi judicantem, aut cum Jove colloquentem inducit. Quamobrem ab Homero præ ceteris omnibus Minoëm honoratum assero. etenim cum Jovis sit filius, quod ab illo duntaxat sit eruditus, non habet laudationis excessum. hoc nempe carmen illud significat, *Minos regnavit novem annos magni Jovis collocutor:* Minoëm videlicet cum Jove annos novem in sermonibus congressum. oari namque sermones sunt: oaristis autem est in sermonibus congrediens. Minos itaque annos novem in Jovis antrum eruditus accessit. unde et didicit, et docuit inde ceteros, quæ ab Jove novem annis acceperat. Nec tamen desunt, qui oaristim aliter exponant, compotatorem comessatoremque et collusorem Jovis. Verum ex hoc maxime, istos non recte exponere, [320] conjicere possumus, quod nulli vel Græci vel barbari symposiis, id

Digitized by Google

est compotationibus, atque ejusmodi ludis abstinent præter Cretenses atque Lacedæmonios, qui a Cretensibus didicerunt. in Creta præterea inter cetéras Minois ipsius leges hæc exstat, Ne invicem compotetis ad ebrietatem. Constat autem, eum, quæ honesta censebat, civibus suis observanda mandasse. neque Minos improbi hominis instar alia ipse fecisset, alia facienda mandasset. ceterum erat consuetudo illa, ut dixi, disciplinæ gratia verborum collatio: propterea leges hujusmodi civibus suis instituit, quarum observatione Creta per omne tempus est felix, ac etiam Lacedæmon, ex quo iis legibus, utpote divinis, uti cœpit. Rhadamanthus autem vir quidem bonus exstitit: a Minoë siquidem instructus erat. nec tamen regiam disciplinam omnem, sed regi tantum ministrare in judiciis, didicit: unde judex peritus appellatus est. eo plane, veluti legum custode, per urbem usus est Minos: ad reliquam vero Cretam custode Tallo. Tallus enim ter quotannis pagos omnes lustrabat, leges eorum observaturus, tabulis æreis leges insculptas circumferens: unde æreæ nominatæ sunt. Hesiodus præterea similia quædam in ipsum Minoëm intulit. nam cum nominis illius mentionem fecisset, inquit: *Qui mortalibus regibus præstitit, pluribusque gentibus imperavit, Jovis sceptrum habens, quo civitates regebat.* Hic item sceptrum Jovis nihil aliud vocat, quam Jovis doctrinam, qua Cretam omnem moderabatur. Min. Quam igitur ob causam, Socrates, fama hæc inter homines diffusa est, Minoëm ipsum rudem durumque hominem exstitisse? So. Ob quam et tu, o vir optime, et unusquisque alius, cui fama curæ est, si modo sapitis, diligenter cavere debetis, ne poëticum hominem infensum aliquem habeatis. poëtæ quippe vim maximam in utramque partem, et ad laudandum et ad vituperandum, habent. qua in re profecto Minos deliquit, cum huic urbi bellum indiceret, quæ cum ceteris sapientibus plurimis, tum vel maxime poëtis omnis generis, ac tragicis præsertim, referta est. Tragœdia vero hic est antiquissima: nec, ut plerique putant, a Thespide aut a Phrynicho sumpsit initium: sed, si perscrutari volueris, reperies Tragœdiam longe antiquius hujus civitatis inventum. [321] Hæc autem ex universa poësi populum vehementer oblectat, atque allicit auditores, in qua nos ipsum Minoëm inserentes, ulti sumus: sed et hujus gratia tributa illa pendere nos coëgit. In hoc igitur deliquit Minos, cum nos lacesseret. ex quo evenit, quod ipse quæris, ut infamis evaderet. quoniam quod vir bonus atque legitimus, ut supra diximus, et excellens pastor populi fuerit, leges ejus argumento sunt, quæ immutabiles perseverant, utpote vera civitatis gubernatione reperta. Min. Verisimilem rationem, o Socrates, attulisse videris. So. Nonne igitur, si vera loquor, videntur tibi Cretenses, Minois Rhadamanthique cives, antiquissimis legibus uti? Min. Videntur sane. So. Isti ergo priscorum omnium legumlatores excellentissimi fuerunt, hominumque pastores: quemadmodum et Homerus bonum exercitus ducem pastorem populi nuncupat. Min. Prorsus. So. Age itaque per Jovem amicabilem, si quis nos roget, conditor legum circa corporis valetudinem quid corpori adhibet, ut bonam valetudinem tueatur? responderemus utique recte ac breviter, quod nutrimentum et exercitium, tum intendens, tum remittens, atque ita corpus componens. Min. Probe. So. Si posthac iterum quærat, lator legum ad animam pertinentium ejusque pastor optimus quid illi adhibens meliorem efficit? quid nos huic potissimum respondebimus, ut minus de nobis ipsis deque ætate nostra erubescamus? Min. Quid dicam, nescio. So. At turpe nimium utriusque nostrum animis est, si quæ sibi ipsis bona malave sunt ignorare, quæ vero ad corpus et ad alia pertinent, cognoscere videantur.

Digitized by Google

ALCIBIADES.

SOCRATES, ALCIBIADES.

[138] Deumne, o Alcibiades, precaturus accedis? Al. Et maxime quidem, o Socrates. So. Tristitiam quandam præ te ferre videris, et oculos in terram figere, tanquam aliquid tecum ipse præmeditans. Al. At quid ad hæc præmeditatione opus est, o Socrates? So. Maxima, ut mihi videtur. Nam dic, per Jovem obsecro, nonne putas, deos, quæ precamur et privatim et publice, nonnunquam partim concedere, partim minime: et aliis quidem annuere, aliis vero contra? Al. Omnino quidem. So. Nonne igitur tibi videtur magna providentia opus esse, ne quis se ipsum lateat, dum magna petit mala, credens bona se poscere: dii autem in eo sint habitu, in quo rogantibus annuunt? quemadmodum Œdipum ferunt obsecrasse deum, ut filii de regno paterno ferro decernerent: cumque liceret præsentium malorum absolutionem poscere, alia insuper imprecabatur. unde ad eum effectum ista venerunt, atque ex iis alia multa et gravia, quæ referre singula nequaquam opus est. Al. At tu furentem quidem hominem in exemplum adduxisti. nam quem putas sanæ mentis hominem audere talia petere? So. Insanire nonne contrarium est ei, quod est prudentem esse? Al. Prorsus. So. Num ex hominibus alii imprudentes, alii prudentes esse tibi videntur? Al. Videntur sane. So. Age itaque, consideremus quinam isti sint. esse enim alios quidem imprudentes, alios vero prudentes, nonnullos insanos, jam convenit. Al. Convenit. So. Præterea bene valentes aliqui sunt. Al. Sunt. So. Ægrotantes alii. [139] Al. Omnino. So. Non ergo iidem sunt. Al. Non certe. So. Suntne alii quidam, qui neutrum istorum patiantur? Al. Nequaquam. So. Necesse enim, hominem vel ægrotare vel non ægrotare. Al. Videtur. So. De prudentia vero et imprudentia idem judicas? Al. Quomodo dicis? So. Opinaris hominem aut prudentem aut imprudentem esse oportere. an tertium præter ea medium quiddam, quo nec prudens nec imprudens homo sit? Al. Nihil profecto. So. Necesse igitur, alterum istorum pati. Al. Apparet. So. Recordaris, concessisse te insaniam prudentiæ esse contrariam? Al. Equidem. So. Nonne etiam nullam esse mediam passionem, quæ hominem nec prudentem nec imprudentem efficiat? Al. Consensi quidem. So. Quin etiam duo esse eidem rei contraria quo pacto possunt? Al. Nullo. So. Imprudentia igitur atque insania idem esse videntur. Al. Videntur. So. Si ergo omnes imprudentes insanire dixerimus, recte dicemus. Et ex tuis æqualibus, nec non ætate majoribus, quicunque sunt imprudentes, insa-

Digitized by Google

nos esse. Nonne putas, perpaucos esse in hac urbe prudentes, imprudentes plurimos, quos insanos appellas? Al. Equidem. So. An censes, nos tutos inter hos insanos ita versari, quin percutiamur ab iis ac verberemur, et quæcunque furiosi facere consuevere patientes, jamdudum pœnas non fuisse daturos? Sed vide, o beate, ne aliter se res habeat. Al. Quo pacto se habet, o Socrates? apparet enim, non ita esse, ut putaram. So. Non certe, ut mihi videtur. verum sic cogitandum est. Al. Quomodo ais? So. Dicam tibi. Ponimus aliquos ægrotantes esse, necne? Al. Omnino quidem. So. Nunquid necessarium opinaris, omnem ægrotum cruciari duntaxat podagra vel febri vel lippitudine? an etiam posse aliis morbis affici, cum multæ sint morborum species præter istas? Al. Sic mihi videtur. So. Omnis lippitudo morbus tibi videtur? Al. Mihi certe. So. Et omnis morbus etiam lippitudo? Al. Non mihi quidem: nescio tamen quid asseram. So. Si [140] dicenti mihi mentem adhibeas, et ambo simul investigemus, fere quod volumus consequemur. Al. Adhibeo, quam maxime possum. So. Nonne convenit inter nos, lippitudinem omnem esse morbum; non omnem tamen morbum lippitudinem esse? Al. Convenit. So. Et recte quidem consensisse videmur. etenim febricitantes ægrotant omnes: non tamen quicunque ægrotant, etiam febricitant vel podagra aut lippitudine afficiuntur. Sed omne quidem hujusmodi communiter morbus est. differre autem medici dicunt illorum curationem. non enim omnes aut similes sunt, aut similiter pertractantur, verum secundum vim propriam singuli: morbi tamen sunt omnes, quemadmodum opifices aliquos esse ponimus, nonne? Al. Prorsus. So. Et cerdones et fabros sculptoresque, et quamplurimos alios, quos referre singulos nil opus est, quive partes opificii discretas habent: ac omnes quidem opifices sunt: non tamen fabri omnes neque coriarii neque sculptores, aut cunctl generatim opifices. Al. Sic est. So. Eadem quoque ratione imprudentiam inter se plurimi partiuntur: et qui majorem sortiuntur imprudentiæ partem, insani furentesque vocantur: qui vero aliquanto minorem, stolidi atque attoniti. Qui autem honestioribus vocabulis eadem significare volunt, partim quidem magnanimos appellant, partim iseptos: quidam non malos, innoeuos et inexpertos et stupidos. Invenies quoque alia multa nomina, quibus omnibus imprudentia significatur, discrepant autem, ut in superioribus discrepare apparuit ars ab arte et a morbo morbus. Tibi vero quid videtur? Al. Id ipsum. So. Sed ut redeamus, unde digressi sumus: propositum fuit in disputationis exordio, qui prudentes, quive imprudentes essent, dijudicare. convenimus autem, tales aliquos esse. nonne? Al. Convenimus. So. Prudentes existimas, quicunque agenda dicendaque cognoscunt? Al. Equidem. So. Imprudentes eos, qui neutra vident? Al. Eos ipsos. So. Nonne qui utraque hæc ignorant, se ipsos latent, et agentes et loquentes quæ non oportet? Al. Apparet. So. Ex his hominibus unum, o Alcibiades, Œdipum esse dicebam. [141] Reperies quoque nostris temporibus plurimos, non impetu concitos, ut ille, neque putantes mala sibi ipsis, sed bona potius, exoptare. Ille siquidem ut non optabat, ita nec putabat. sunt vero nonnulli, qui horum contraria patiuntur. Reor equidem te primum, si forte Deus ille, ad quem exorandum accedis, sese oculis offerens, te prius quam aliquid obsecrares, interrogaret, satisne tibi sit Atheniensium tyrannide potiri: quod si hoc quiddam exiguum æstimares, adderet et Græcorum omnium: et si viderit, te neque istis etiam acquiescere, nisi totius etiam Europæ adjiciat, neque id quidem tibi sufficere, nisi eadem die sentiant omnes Alcibiadem Cliniæ filium tyrannum esse, atque ideo hæc tibi concederet omnia: reor, inquam, ab eo te ingenti cum lætitia reditu-

Digitized by Google

ram, ac si maxima bona esses feliciter consecutus. Al. Arbitror, o Socrates, et quemcunque alium, quisquis eandem sortem assequeretur. So. Non tamen eligeres animæ tuæ loco adesse tibi Græcorum omnium atque etiam barbarorum tyrannidem? Al. Non, ut opinor: quippe cum nullo modo usurus essem. So. Quid si usurus quidem sis, male tamen, et cum nocumento? neque sic quidem? Al. Non profecto. So. Cernis ergo, tutum non esse, aut quæ offeruntur, temere acceptare, aut optare, si quis propterea incommoda subiturus sit vel vitam protinus amissurus. Multos autem referre possemus, qui cum tyrannidem affectassent, inque illius adeptionem ardenti studio contendissent, utpote bonum aliquid adepturi, propter tyrannidem circumventi insidiis periere. Puto etiam, audivisse te nonnulla heri ac novissime gesta, cum Archelaum Macedonum tyrannum tyrannidis amantem delicias, aliquis hujuscemodi delicias non minus quam ille sitiens interfecit, ut tyrannus mox beatusque futurus. Cum vero triduum aut quatriduum tyrannide potitus esset, rursus ab aliis ex insidiis oppressus periit. Ut autem referamus quæ non ex auditu percepimus, sed ipsi nos præsentes inspeximus, vides insuper ex nostris civibus quicunque præfecturam exercitus [142] affectantes nacti sunt illam, partim etiam his temporibus exsules oberrare, partim morte damnatos esse. et si qui forsitan in extremis periculis et timoribus strenue rem gessisse visi sunt, non modo in ipso exercitu, verum etiam postquam in urbem rediere, non minoribus ab insidiatoribus civibus, quam a militibus calumniis affecti sunt: ut plerique illorum optaverint denique, se privatos vixisse potius quam in publico munere. Quod si pericula et labores hujusmodi aliquam nobis utilitatem afferrent, profecto hoc studium nonnihil rationis haberet. nunc vero longe contra res se habet. Invenies præterea eodem pacto nonnullos homines, qui filios votis exoptant: at cum filios adepti sunt, in calamitates doloresque maximos incidunt. nam plerique, cum nati per omnem ætatem improbi perseverent, universam vitam mœrore conficiunt: qui vero probos filios nacti adverso quodam casu illis orbantur, nihilo minus quam superiores illi miseri sunt: ut prorsus eligerent nunquam se filios genuisse. Et quamvis hæc atque alia multa hujuscemodi manifesta sint, raro tamen invenireturi, qui vel a datis abstineret, vel si orando impetraturus esset, votum omitteret. permulti etiam neque ab acquisita tyrannide neque a parta prætura neque ab aliis innumeris, quæ cum possidentur, lædunt potius, quam prosint, discederent: quin potius orarent sibi illa concedi, si quando non adsint. interdum breve post tempus præterita vota damnant, ad contraria recurrentes. Quamobrem vereor equidem, ne homines temere deos incusent, quasi mala ab iis inferantur: ii vero, seu protervitate quadam sive insipientia, sibi ipsis dolores morte acriores pariunt. Quare prudens mihi videtur poëta ille, qui amicis insipientibus usus, dum eos videret et agentes et orantes, quæ illis minime conducebant, cum tamen eis utilia viderentur, pro omnibus sic ait: [143] *Juppiter rex, optima quidem nobis et roventibus et non roventibus tribue: mala autem precentibus quoque abesse jube.* Recte igitur et caute loqui poëta mihi videtur: tu vero, si quid habes in animo, quod adversus hæc proferas, ne sileto. Al. Difficile est, o Socrates, in iis quæ bene dicta sunt, contradicere. Illud autem cogito, quantum malum sit hominibus ignorantia: quandoquidem propter hanc nos latet, cum male quid agimus, et, quod deterrimum est, ob eam pessima nobis quandoque precamur. quod quidem nemo putaret: sed illud quilibet opinaretur, posse videlicet se sibi ipsi non pessima, sed optima petere: hoc enim re vera exsecrationis cujusdam, non voti, simile esset. So. At forte, o optime, diceret quispiam te simul ac me sapientior, haud satis

Digitized by Google

secte nos loqui, dum sic temere ignorantiam vituperamus: nisi hæc adjiciamus, quænam et quorum ignorantia sit. quibusdam namque certo modo affectis bonum forte est ignorantia, quemadmodum aliis malum. AL. Quid ais? estne quicquam, quod alicui quomodocunque se habenti ignorare aliquando præstet quam cognoscere? So. Mihi sane videtur: tibi minime. AL. Non per Jovem. So. Enimvero nec illud te adversus matrem patrasse unquam velle judicabo, quod Orestem et Alcmæona, et si qui tales fuere, commisisse ferunt. AL. Bene ominare per Jovem, o Socrates. So. Non decet, o Alcibiades, eum, qui inquit, te nolle ista fecisse, jubere ut bene ominetur, sed potius si quis contraria diceret. Postquam facinus tam horrendum tibi videtur, ut ne pronuntiari quidem facile debeat, putas Orestem, si prudens fuisset, et quid bonum sibi novisset, scelus tantum ausurum fuisse? AL. Non certe. So. Neque alium, ut arbitror, ullum. AL. Nullum. So. Malum igitur, ut videtur, ignorantia optimi, et quod optimum est ignorare. AL. Mihi sane videtur. So. Nonne et illis et ceteris omnibus? AL. Fateor. So. Consideremus præterea et hoc quid eventurum esset, si tibi quoque adesset ignorantia quædam, qua Periclem non cognosceres, dum opinareris melius esse Periclem tum interficere: ac sumpto gladio ad fores illius properans interrogares, num [144] intus sit, volens illum duntaxat, nec alium quenquam, occidere: domestici autem illum intus esse responderent. Neque tamen dico, te quicquam hujusmodi concupiscere: sed an videatur tibi, quod quidem nihil prohibet, ignoranti quid sit optimum, adesse posse interdum opinionem, ut judices quod est pessimum, nonnunquam optimum esse. An non tibi videtur? AL. Omnino quidem. So. Ergo si domum ingressus, vidensque illum, opineris alium esse, num ipsum perimeres? AL. Non per Jovem, ut mihi videor. So. Non enim quem sors offerret, sed quem statueras. nonne? AL. Profecto. So. Num et si frequenter invaderes, semper autem ignorares Periclem, unquam in eum irrueres? AL. Nunquam. So. Orestem vero putas unquam manus illaturum fuisse matri, donec eam minime cognovisset? AL. Non arbitror. So. Neque enim ille, quæcunque occurreret mulier, sed matrem suam duntaxat necare decreverat. AL. Sunt hæc vera. So. Itaque hominibus sic affectis, et in iisdem opinionibus involutis, ignorare talia præstat. AL. Videtur. So. Vides jam, quod ignorantia quædam hominibus certo quodam modo dispositis bonum quiddam est: non autem, ut tibi videbatur, malum? AL. Apparet. So. Præterea si volueris, quod deinceps in medium afferetur mirabile dictu, discutere, forte probabile tibi videbitur. AL. Quid istud, o Socrates? So. Videtur sane ceterarum omnium scientiarum possessio, nisi quis scientiam optimi nactus fuerit, raro quidem prodesse, obesse plerumque illi qui sit hujusmodi scientiis præditus. Sic autem considera. Nonne necessarium tibi videtur, cum aliquid facturi vel dicturi sumus, oportere nos prius quidem vel putare cognoscere vel vere cognoscere, quod promptius agere et loqui debemus? AL. Mihi plane videtur. So. Non rhetores statim, vel cum sciunt consulere, vel saltem scire se putant, consulunt nobis passim, ii quidem de bello et pace, illi vero de mœnibus construendis vel de portibus præparandis muniendisque: et, ut summatim [145] dicam, quicquid ipsa civitas agit adversus aliam civitatem vel in se ipsa, rhetorum consilio perficit? AL. Vera narras. So. Vide et quæ sequuntur, si fieri potest. Vocas aliquos prudentes, imprudentes alios? AL. Voco. So. Et multos quidem imprudentes, prudentes vero paucos? AL. Profecto. So. Nonne ad aliquid respiciens, utrosque nuncupas? AL. Immo. So. An eum, qui ista consulere norit, nisi sciat docere utrum melius, et quid melius, prudentem dices?

Digitized by Google

Al. Nequaquam. So. Neque, ut arbitror, quicunque pugnare norit, ignoret tamen quando et quantum melius? Al. Sic est. So. Neque si quis quempiam perimere sciat, et pecuniis spoliare ac exsulem a patria facere: nisi sciat etiam, quando et quem melius sit. Al. Minime. So. Quicunque igitur horum aliquid noverit, modo adsit etiam scientia optimi, quæ quidem eadem et utilis scientia est, hunc forte prudentem vocabis. Al. Hunc ipsum. So. Prudentemque ipsum dicemus sufficientem esse sibi et patriæ consultorem: imprudentem vero contra. quidnam tibi videtur? Al. Idem. So. Quid autem, si quis equitare aut sagittare sciat, vel palæstram vel pugillariam vel aliud quoddam certamen exercere, aut aliud aliquid eorum quæcunque per artem novimus: quo nomine appellas eum, qui intelligit quid in arte melius fiat? an non secundum equestrem artem equitem, secundum pugillariam pugilem, tibicinariam tibicinem, atque in aliis eodem modo? an secus? Al. Sic certe. So. Num tibi videtur, qui horum aliquid intelligit, vir prudens appellandus? an longe adhuc abesse? Al. Longe per Jovem. So. Qualem igitur civitatem eam putabis, quæ ex peritis sagittariis et tibicinibus athletisque ac ceteris artificibus constet: sint insuper admixti militarem callentes artem, et qui ad interimendum prompti; nec non inflati ob civilium rerum administrationes: desit autem optimi scientia, et qui norit, quando et ad quem unoquoque illorum [146] uti præstat? Al. Ignobilem, o Socrates. So. Maxime hoc, ut arbitror, diceres, si quando cerneres unumquemque illorum ambitiosum, et plurimas sibi partes rei publicæ partientem ad hoc, ut potentissimus sit: potentissimum, inquam, in eo quod secundum artem ipsam est optimum: ab eo vero, quod sibi et rei publicæ optimum, procul aberrantem, quippe qui opinioni sine mente crediderit. Cumque hæc ita se haberent, nonne recte diceremus hanc civitatem tumultus quamplurimi iniquitatisque plenissimam? Al. Recte per Jovem. So. An non necessarium nobis visum fuit, primum quidem putare nos cognoscere, vel re vera cognoscere hoc, quod prompte facturi dicturive sumus? Al. Visum est. So. Nonne, si quis agit quidem quod novit aut nosse existimat, addit autem scientiam optimi, sequitur, ut utiliter agat et ad se ipsum et ad rem publicam? Al. Quidni? So. Contra vero nec ad civitatem neque etiam ad se ipsum? Al. Ita est. So. Quid autem? nunc tibi ita videtur, an aliter? Al. Non aliter. So. Dixisti, vocare te plures imprudentes, prudentes pauciores? Al. Equidem. So. Diximusne iterum, plures ab eo, quod est optimum, aberrare: utpote qui opinioni absque mente ut plurimum consenserint? Al. Diximus plane. So. Prodest igitur multis, neque nosse quicquam neque putare se noscere: siquidem promptiores erunt ad illa efficienda, quæ vel noscunt vel cognoscere opinantur, agentes autem, sibi nocebunt crebrius quam conferent. Al. Verissima loqueris. So. Cum ergo dicebam, reliquas omnes scientias, si absit scientia optimi, obesse sæpius quam prodesse illas habenti, num recte loqui tunc tibi videbar? Al. Et si tunc minime, nunc saltem, o Socrates. So. Oportet itaque et civitatem et animam, quæ recte victura sit, hanc procul dubio complecti scientiam: quemadmodum ægrotantem medicum, et qui prospere navigare velit, gubernatorem. Nam quo magis animus sine hac scientia circa divitias vel corporis robur [147] aut aliud tale conabitur, eo majora ex iis peccata committi necesse est. Qui vero multis ac variis artibus et scientiis ornatus est, sit autem expers istius scientiæ, ductus a singulis aliis, nonne merito multa tempestate jactabitur? quippe cum absque gubernatore oberret in pelago, brevi tempore periturus? Huic certe convenire videtur illud poëtæ carmen, in quo quendam vituperans inquit, *Multa quidem*

Digitized by Google

noverat: sed male noverat omnia. Al. At vero id poëtæ dictum nihil mihi videtur proposito nostro congruere. So. Immo quadrat penitus: verum per ænigmata et iste et ceteri ferme omnes poëtæ loquuntur. Est enim ipsa natura universa poësis ænigmatum plena, nec quivis eam dignoscit. Ad hanc illius naturam accedit, quod, si quando insit in homine invido, nolente sua sensa ceteris hominibus revelare, mirum est, quam difficile cognitu sit, quod poëta senserit. Neque enim Homerum divinissimum sapientissimumque poëtam ignorasse putes, quod scire male impossibile sit. ipse enim est qui inquit, Margitem multa quidem scire, male autem scire omnia. sed ænigmate sensum occultat, ut arbitror, male pro malum ponens, scit autem pro scire: unde compositio quædam extra carminis mensuram conficitur. Quod vero sentit, hoc est: multa quidem scivit, sed malum sibi fuit hæc omnia scire. Patet igitur, quod, si erat illi malum multa scire, ipse quoque malus erat: si qua fides supra dictis sermonibus adhibenda est. Al. Mihi certe videtur, o Socrates. quibus enim verbis crederem unquam, nisi iis credam? So. Et recte quidem tibi videtur. et mihi rursus eodem modo. sed age per Jovem, videsne quanta qualisque sit in hoc ambiguitas? in hac ipse versatus esse videris. sursum enim deorsumque jactatus nusquam sane consistis, sed quod olim asseverabas, nunc damnas. Si forte [148] deus, quem oraturus accedis, oculis sese tuis objiciens, antequam voveas, ita roget, an tibi aliquid ex iis quæ in principio dicta sunt, habere satis sit; vel tibi licentiam præstet, quod lubeat postulandi: quidnam tibi opportunum fore putares? vel acceptare, quæ deus offerret, vel poscere? Al. Per deos, o Socrates, quid respondeam non habeo: sed insanum quiddam mihi videtur, temere deum precari; ac diligenter considerandum, ne quis se ipsum lateat, mala petens, dum bona se putat orare, ac paulo post, ut tu dicebas, ad contraria vota se transferat. So. Nonne prudentior nobis poëta, cujus in principio disputationis mentionem fecimus, qui precabatur mala etiam ab orantibus abesse? Al. Mihi quidem videtur. So. Lacedæmonii quoque, o Alcibiades, sive hunc poëtam imitantes, seu ex se ipsis animadvertentes, idem votum tam privatim quam publice servant, orantes deos, pulchra cum bonis sibi tribuere. nec plura illos precari quis audiret. Neque tamen ad hæc usque tempora minus quam ceteri homines felices sunt. si quid autem illis unquam minus prospere successit, non est oratio illorum in causa: quandoquidem in diis est, ut arbitror, quæ precamur, tribuere, vel contra. Volo insuper aliud quiddam tibi referre, quod aliquando a senioribus quibusdam accepi. Dicebant enim accidisse, ut quotiescunque bellum Athenienses cum Lacedæmoniis gererent, nostri tam terra tum mari infortunati essent, nec victores unquam redirent. Qua re perturbatos Athenienses, cum non haberent quibus machinamentis tantam vitarent calamitatem, decrevisse Ammonem consulere, quam ob causam dii Lacedæmoniis potius quam Athenienaibus victoriam largirentur: cum ipsi tamen sacrificia tum plura tum decentiora, quam reliqui Græci, offerrent, simulacris donisque templa ornantes, ut nemo alius, pompasque quotannis sumptuosissimas et venustissimas celebrarent, et omni sumptu, qui ad rem divinam spectat, [149] cunctis Græcis magnificentiores existerent: cum Lacedæmoniis nulla esset istorum cura, adeo circa divinum cultum parcis, ut animalia mutilata passim mactarent, et in aliis omnibus cerimoniis longe admodum parcioribus, quam Athenienses; cum tamen pecuniarum numero a nobis non superentur. Postesquam hæc dixisset nuntius, interrogans, quo pacto a præsenti calamitate liberari possent; non multa ad hæc respondisse prophetam: deum enim non permittere:

Digitized by Google

vocantem vero Atheniensium nuncium in hunc modum fuisse locutum. Hæc dicit Ammon: placere sibi magis Lacedæmoniorum benedictionem, quam reliquorum cuncta Græcorum sacra. Nec plura iis respondisse. Benedictionem vero nullam prorsus aliam deus mihi dixisse videtur, quam illorum orationem. permultum enim illa a ceteris differt. Reliqui namque Græci partim auratis cornibus boves sacrificantes, partim donariis egregiis templa ornantes, quæcunque occurrunt, seu bona sive mala, a diis petunt. Dii vero, cum illos imprecantes audiant, ditissimos illorum pompas et sacrificia non acceptant. Quamobrem diligenter considerandum mihi videtur, quid dicendum sit, quidve non dicendum. Invenies quoque apud Homerum alia horum similia. inquit enim Trojanos, cum suburbanum ædificium molirentur, dicare diis immortalibus pretiosa sacrificia boum: nidorem vero ex litore suavem ad cœlum usque ventis extolli: sed beatos deos illo minime vesci; quippe quibus Ilion et Priamus et Priami populus odio sint. Itaque nil Trojanis proderat, cum adversos deos haberent, sacra ac munera temere illis offerre. Neque enim ejusmodi est dei natura, ut ducatur muneribus, quemadmodum improbus fœnerator. sed nos nimirum deliramus, si quando nos Lacedæmoniis propter munera acceptiores deo esse ducimus. Etenim grave esset, si deus ad donaria et sacrificia nostra respiceret potius quam ad animum, utrum justus sanctusque [150] sit. ad quem equidem deum arbitror multo magis attendere, quam ad multi sumptus pompas atque sacra: quæ nihil prohibet eum, qui multa in deum hominesque peccaverit, seu privatus sit sive res publica, singulis annis perficere. Deus autem, utpote a muneribus incorruptus, spernit hæc omnia, ut ipse ejusque propheta prædixit. Unde perspicuum est, et apud deum et apud homines sanæ mentis justitiam et prudentiam præcipue honorari. Prudentes autem justique sunt, qui sciunt, quæ erga deum et homines agere atque dicere deceat. Cupio tamen ex te audire, quid in iis ipse sentias. Al. Mihi vero, o Socrates, haud secus quam tibi ac deo videtur. neque enim fas esset, a deo me dissentire. So. Recordaris dixisse te in plurima dubitatione discrimineque versari, ne te ipsum lateres, cum mala quandoque pro bonis optares? Al. Memini. So. An vides, non satis tutum tibi esse ad orandum pergere, ne quando te deus audiens imprecantem ista tua sacrificia renuat, aliud vero quiddam fortuitum reportes? Mihi ergo videtur operæ pretium esse quietem agere. nam oratione Lacedæmoniorum propter magnanimitatem (id enim nomen honestissimum est omnium, quibus insipientia significatur) non existimo uti te velle. Quare necesse est exspectare, donec discatur, quemadmodum ad deum atque ad homines habere se deceat. Al. Quando erit, o Socrates, et quis præceptor? jucundissime enim hunc hominem, quisquis erit, agnoscam. So. Hic est cui tu curæ es. verum mihi videtur, quemadmodum Diomedi Minervam inquit Homerus ab oculis nebulam abstulisse, ut discerneret deum ab homine, sic et ab animo tuo prius oportere caliginem, qua nunc offunditur, auferre: deinde illa propius admovere, per quæ seu bonum quid sit, sive malum, dignoscas. nunc enim impos esse videris. Al. Auferat, seu nebulam ille velit, sive quodcunque aliud. etenim paratus sum nihil penitus prætermittere, quod ille præceperit, quisquis denique sit, modo ipse sim melior evasurus. [151] So. Atqui ille mirum in modum tibi providet. Al. In illud itaque tempus hoc sacrificium differre optimum fore censeo. So. Et recte quidem. tutius enim est, quam tanto periculo se subjicere. Al. Sic est, o Socrates. Interea tamen, quoniam mihi bene con-

Digitized by Google

soluisse videris, hanc tibi coronam imponam. dis autem et coronis et reliqua omnia quaecunque decet, tunc demum effecemus, cum diem illam adventasse cognovero. adventabit autem quamprimum, diis volentibus. So. Id equidem et quodcunque aliud das, libenter accipio. quemadmodum vero Creon, apud Euripidem videns Tiresiam coronatum, et audiens, a principio coronam propter artem a militibus accepisse, ait, *Augurium ponebam triumphales coronas: in tempestate enim versamur, ut ipse vosti:* sic et ego hanc ubi te coronationem augurium pono. Videor autem mihi non minori, quam Creon, tempestate jactari, desidero enim omnibus amicis tuis excellere.

Digitized by Google

GORGIAS.

CALLICLES, SOCRATES, CHÆREPHON, GORGIAS, POLUS.

[447] Src ad bellum et pugnam ferunt, o Socrates, accedendum. So. Nunquid post festum, ut dici solet, venimus tardiores? Cal. Et valde quidem urbanum. multa enim et præclara paulo ante Gorgias nobis exposuit. So. Tarditatis hujus causa hic Chærephon, o Callicles, fuit, qui trahere nos morum in foro coëgit. Chæ. Nihil id quidem impedimenti, o Socrates, fuerit. ego enim et remedium adhibebo. nam mihi amicus est Gorgias: itaque sive nunc, sive alias mavis, nobis eadem demonstrabit. Cal. Quid, o Chærephon? cupitne Socrates audire Gorgiam? Chæ. Ob id ipsum certe aderamus. Cal. Quandocunque igitur vobis placebit ad me ingredi: apud me enim Gorgias divertit: vobis aperiet. So. Bene loqueris, Callicles. Sed num vellet in præsentia nobiscum disserere? Cupio enim ab ipso percontari, quænam sit artis suæ potentia, quidve ipse profitcatur et doceat. Ceterarum vero rerum, quemadmodum tu dicis, expositionem nobis alias afferat. Cal. Haud molesta erit interrogatio, Socrates. nam id quoque in sua demonstratione continebatur. Jussit ergo paulo ante omnes qui intus aderant, quod quisque vellet, eum interrogare, seque ad cuncta responsurum professus est. So. Rem certe præclaram narras. Itaque, Chærephon, interroga ipsum. Chæ. Quidnam interrogem? So. Quisnam ipse sit. Chæ. Quemadmodum dicis? So. Veluti si artifex calceorum foret, responderet certe, se coriarium esse. an quod dico nondum intelligis? Chæ. Intelligo equidem, et jam rogabo. Dic mihi, o Gorgia, num vere dicit Callicles, te profiteri responsurum ad omnia, de quibus quilibet sciscitetur? Gor. Vere ait, [448] o Chærephon. nempe modo id ipsum prædicabam, atque dico nihil novi a me quenquam multis annis percontatum esse. Chæ. Magna ergo facilitate respondes, Gorgia. Gor. Licet hujus rei, Chærephon, periculum facere. Pol. Licet per Jovem: sed commodius in me, si velis, o Chærephon. nam Gorgias quidem jam in dicendo defessus mihi videtur; multa enim nuper disseruit. Chæ. Quid tu, Pole? arbitraris melius quam Gorgiam te responsurum? Pol. Quidnam interest, dummodo satis tibi fiat? Chæ. Nihil. sed quoniam vis, responde. Pol. Interroga. Chæ. Jam interrogo. Si Gorgias scientiam ejus artis haberet, cujus frater ejus Herodicus habet, quem ipsum recte nuncuparemus? nonne ut illum? Pol. Prorsus. Chæ. Medicum ergo vocantes recte vocaremus? Pol. Ita. Chæ. Si autem illius artis, cujus Aristophon filius Aglaophontis, aut frater ejus, haberet notitiam, quem recte ipsum appellaremus? Pol. Certe pictorem. Chæ. Nunc autem, cum artis alicujus peritus sit Gorgias, quem ipsum recte vocabimus? Pol. O Chærephon, multæ quidem artes insunt hominibus, ex peritia perite adinventæ. peritia enim efficit vitam nostram per artem incedere, imperitia vero per fortunam circumvagari. harum singularum participes

Digitized by Google

sunt alii aliarum aliter : optimarum vero optimi : quorum ex numero hic est Gorgias, arte pulcherrima præditus. So. Præclare quidem, o Gorgia, videtur Polus ad orandum paratus. veruntamen quod promisit Chærephonti, non servat. Gor. Cur non, o Socrates ? So. Ad interrogationem quidem non satis respondisse mihi videtur. Gor. At tu iterum, si vis, pete. So. Si tu, Gorgia, respondere mihi velles, a te ipso libentius quærerem, quam a Polo. constat enim, Polum per ea quæ modo respondit, rhetoricæ magis quam disserendi arti operam dedisse. Pol. Cur id, o Socrates, ais ? So. Quia cum interrogasset Chærephon, cujus artis peritus esset Gorgias, laudasti tu quidem, o Pole, ejus artem, quasi quis eam vituperasset : quæ vero illa sit, non respondisti. Pol. Nonne pulcherrimam esse respondi ? So. Prorsus quidem. sed nemo, qualis sit ars Gorgiæ, quærebat ; sed quænam sit, et quem oporteat vocari Gorgiam : quemadmodum te prius quodammodo instruebat Chærephon, ac tu illi [449] bene breviterque respondebas. Nunc ergo eadem ratione dicas, quænam ars, et quem Gorgiam simus appellaturi. Immo vero tu, Gorgia, nobis ostende, quem nominari te deceat, et cujus artis peritum. Gor. Rhetoricæ, o Socrates. So. Rhetorem ergo te appellare debemus ? Gor. Et bonum quidem, si me, quod profiteor esse, ut ait Homerus, nominare velis. So. Volo equidem. Gor. Nomina ergo. So. An dicemus alios quoque te facere posse ? Gor. Hæc equidem non apud vos solum, verum etiam apud vos solum, verum etiam apud omnes profiteor. So. Sed nunquid velles, Gorgia, quemadmodum incepimus disputationem peragere, partim quidem interrogando, partim etiam respondendo, prolixitatem illam verborum, qua uti cœperat Polus, in aliud tempus reservans ? Verum quod mihi promiseris observato : velisque ad interrogata quam brevissime respondere. Gor. Sunt quidem, o Socrates, responsiones quædam, quas longioribus verbis necesse est fieri : conabor tamen quam brevissime respondere. nempe hoc ipsum unum est ex his quæ profiteor, nullum in brevioribus verbis quam me eadem explicare. So. Hac mihi, Gorgia, opus est brevitate ; et hanc mihi demonstres oro : copiam vero in tempus aliud reservato. Gor. Faciam equidem, ut neminem dicas unquam te audivisse me breviorem. So. Age jam, rhetoricæ artis te habere scientiam dicis, aliosque posse rhetores facere : ipsa vero rhetorica circa aliquid versatur, veluti textoria circa vestium confectionem. nonne ? Gor. Ita. So. Nonne et musica circa melodiæ perfectionem ? Gor. Sic. So. Per Jovem, o Gorgia, responsiones hæ tuæ me valde oblectant, quando quam brevissimis absolvas. Gor. Spero, o Socrates, me tibi in hoc ad votum satisfacturum. So. Recte ais. Age et de rhetorice similiter mihi responde, quorumnam scientia sit. Gor. Sermonum. So. Qualium, o Gorgia, sermonum ? num eorum, qui ostendunt qua ratione vivendi ægrotantes convalescere possint ? Gor. Non. So. Non igitur circa sermones omnes versatur rhetorica. Gor. Nequaquam. So. Veruntamen circa eos sermones qui dicendi facultatem præstant. Gor. Procul dubio. So. Nunquid rhetorica in quibus dicendi, in eisdem et intelligendi vim præbet ? Gor. Quidni ? So. Nonne medicina, de qua modo dicebamus, [450] efficit ut de ægrotantium curatione et intelligere, et loqui possimus ? Gor. Necesse est. So. Et medicina igitur, ut apparet, circa sermones versatur. Gor. Sic est. So. Eos videlicet, qui ad morbos pertinent. Gor. Maxime. So. Nonne et gymnastica circa sermones est de bona malave corporum habitudine ? Gor. Certe. So. Atqui et aliæ artes, o Gorgia, eadem ratione se habent. quælibet enim earum versatur circa sermones eos, qui ea de re, cujus ars ipsa est, habentur. Gor. Apparet. So. Cur ergo artes alias non appellas rhetoricas, cum circa sermones sint ? si quidem hanc ipsam appellas rhetoricam, quæ sit

Digitized by Google

circa sermones. Gor. Quia ceterarum quidem artium scientia omnis, o Socrates, circa manuales affectiones actionesque hujusmodi, ut ita dixerim, versatur. Rhetoricæ vero nullum est opus ejusmodi, sed omnis actio ejus atque potestas in dicendo consistit. Hanc ob causam arbitror rhetoricam esse artem circa sermones : idque recte dicere me affirmo. So. Intelligone quam velis eam dicere? forte vero clarius comprehendam. sed responde. Sunt nobis artes, an non? Gor. Sunt. So. Ex omnium numero artium alias esse arbitror, quæ in opere plurimum versantur, verbis autem parum admodum indigent : alias vero, quæ nullis, sed etiam per silentium perfici possunt : quemadmodum ars pingendi, et statuaria, et aliæ multæ. Ex talium numero negare videris esse rhetoricam. Gor. Recte admodum, Socrates, accipis. So. Aliæ præterea artes sunt, quæ verbis totum peragunt : opere vero, ut ita dicam, aut nihil aut parum indigent. qualis est arithmetica, computatoria, geometria, et tesserarum taloramque ludus, et aliæ multæ artes : quarum quædam verba actionibus ferme habent æqualia ; plurimæ vero plura : atque omnino omnis earum actio potestasque in ejusmodi verbis consistit. Talem aliquam videris mihi rhetoricam dicere. Gor. Et vere videor. So. Attamen harum nullam arbitror te rhetoricam appellare : quamvis dixeris, artem in dicendo vim habentem esse rhetoricam. nam si quis cavillari vellet, sic argumentationem susciperet : Ergo arithmeticam, o Gorgia, rhetoricam nuncupas? Non opinor tamen te vel arithmeticam vel geometriam rhetoricam dicere. [451] Gor. Recte putas, o Socrates, et juste suscipis. So. Age, nunc et tu responsionem quam petebam perfice. cum rhetorica sit ex earum artium numero, quæ plurimum verbis utuntur, sint vero et aliæ tales : conare nobis exprimere, quænam ars, et circa quid in dicendo vim præcipuam habens sit rhetorica. Veluti si quis in artibus, quas supra commemorabam, me interroget, o Socrates, quænam illarum arithmetica est, responderem utique, ut tu modo dicebas, eam esse ex earum artium numero, quæ verbis plurimum assequuntur. Ac si rursus percontaretur, circa quid versatur, dicerem circa paris imparisque notitiam, quot utraque sint. Quin etiam si requirat iterum, computatoriam vero artem quam appellem, respondebo, hanc quoque inter eas artes connumerari, quæ verbis totum implent. Quod si efflagitet, circa quid versetur, respondebo eorum more, qui decreta conscribunt in populo : videlicet computatoriam in aliis quidem ita se habere quemadmodum et arithmetica sese habet. Nempe circa idem utramque esse, par scilicet atque impar : sed in hoc differre, quoniam computatoria consideret par et impar, quam et ad se et invicem quantitatis conficiant summam. Præterea si quis, me dicente, astronomiam in earum artium genere collocari, quæ totum verbis absolvunt, rursus percontaretur, circa quid potissimum tendant astronomiæ verba : subjicerem, circa astrorum motum solisque et lunæ, qua invicem ratione illorum se habeant cursus. Gor. Recte profecto, o Socrates, responderes. So. Age jam et tu, o Gorgia. Profecto rhetorica ex illis est artibus, quæ verbo pertractant omnia et perficiunt. nonne? Gor. Profecto. So. Dic ergo, quid ex omnibus id sit potissimum, de quo ii sermones habentur, quibus rhetorica utitur? Gor. Maxima et optima, o Socrates, rerum humanarum negotia. So. At hoc similiter ambiguum est, Gorgia, nec ullo modo clarum. arbitror equidem, te cantilenam illam, quæ circum in conviviis canitur, audivisse, in qua cantores ita connumerant : Optimum quidem esse bene valere : Secundo loco esse formosum : Tertio habere divitias, ut verbis poëtæ ipsius utar, nulla fraude quæsitas. Gor. Audivi nimirum. sed quorsum hæc? So. Quoniam subito tibi [452] artifices earum rerum occurrerent, quas in ea cantilena poëta laudavit, medicus videlicet et pedotribes et nummator, diceretque primum medicus, Decipit te Gorgias, o

Digitized by Google

Socrates. non enim ars ejus ad maximum hominum bonum spectat, immo mea. Atque si ego ab eo, quisnam sit ipse, perquirerem, diceret forte, esse se medicum. Quid ais ergo? an tam artis opus maximum est bonum? Quidni? responderet: cum opus ejusmodi sanitas sit; nihil vero sanitate sit melius. Post hæc forsitan pædotribes vehementer admirari se diceret, si tu ostendere posses, plus boni in arte tua inesse, quam ipse in sua. ac si ego rogarem: Et tu quis es? quod tuum est opus? Pædotribes sum, diceret: est autem opus meum, corpora hominum formosa robustaque reddere. Deinde vero nummator, ceteros, ut puto, contemnens, sic objiceret: Animadverte, o Socrates, an quicquam majus tibi videatur bonum quam divitiæ, vel apud Gorgiam, vel apud alium quemlibet. ego itaque ad eum dicerem, Tunc ergo tanti boni es auctor? Sum, responderet. Quisnam es ergo? Nummator sum. Quid vero? putasne summum hominibus bonum esse divitias? Quidni putem? inquiet. Ego vero ita subjiciam: Hic tamen Gorgias contendit artem suam majoris boni causam esse, quam tuam. Constat itaque eum post hæc interrogaturum, Quidnam istud est bonum? demonstret ipsum Gorgias. Quamobrem age, mi Gorgia, finge te et ab illis et a me sic esse interrogatum, atque responde, quidnam est istud quod ipse maximum hominibus bonum esse censes, teque auctorem ejus esse profiteris. Gor. Quod est, o Socrates, maximum revera bonum, et causa, ut et ipsi liberi simus et ceteris in nostra patria re publica dominemur. So. Quid ergo istud esse dicis? Gor. Posse verbis persuadere et in judicio judicibus et in consilio consulentibus et in concione concionantibus atque in alia qualibet congregatione civili. Jam vero ob hujusmodi facultatem serviet tibi medicus, serviet pædotribes: quin etiam ipse nummator non sibi, sed alteri, id est tibi dicendi et vulgo persuadendi vim habenti, divitias suas cumulavisse comperietur. So. Nunc mihi videris, Gorgia, quam artem judicas esse rhetoricam [453] proxime ostendisse. ac si recte percipio, artem persuasionis effectricem ais esse rhetoricam, ejusque omnem diligentiam et summam in hoc finiri? An quicquam amplius habes, quod de artis istius potentia referre possis, quam ut persuasionem audientium animis afferat? Gor. Nihil aliud habeo, Socrates. sed sufficienter mihi definisse videris. hæc enim est ejus summa. So. Audi, o Gorgia. certum habeto, si quis ullus cum alio disputet, volens id ipsum nosse de quo disceritur, me quoque, ut mihimet persuadeo, esse talem. judice autem merito, te quoque hujusmodi esse. Gor. Quorsum hæc, o Socrates? So. Dicam nunc. Haud te lateat, me non satis aperte cognoscere, quænam sit, quibusve de rebus, persuasio illa quam dicis a rhetorica proficisci. et quamvis suspicer, quam et de quibus ipse velis dicere, nihilominus abs te requiram, quam dicas persuasionem et quibus de rebus a rhetorica fieri. sed quam ob causam, cum jam ipse suspicer, nihilominus a te petam potius quam ipse exprimam? profecto non tui causa, sed sermonis ipsius; quo ita procedat, ut maxime nobis id de quo agitur, explicet. Attende igitur, num juste rursus interrogare te videar. Veluti si percontatus essem, quisnam pictorum sit Zeuxis: tuque respondisses, animalia pingens: nonne juste peterem, qualia potissimum animalia et quo pacto pingens? Gor. Juste admodum. So. Num propterea quia et alii sunt pictores, alia similiter animalia multa pingentes? Gor. Ob hoc ipsum. So. Quod si alius nullus præter Zeuxim pingeret, recte utique respondisses. Gor. Quidni? So. Age, jam et de rhetorica dicas, utrum sola hæc videatur persuadere, an alia quoque artes. Tale vero aliquid dico: quisquis aliquid docet, utrum quod docet etiam persuadet, necne? Gor. Persuadet profecto. So. Rursus autem in eisdem artibus, quas paulo ante commemorabamus, ita consideremus. Arithmetica nonne docet nos quæcunque ad numerum pertinent, Arith-

Digitized by Google

meticusque similiter? Gor. Procul dubio. So. Nonne et persuadet? Gor. Certe. So. Ergo et Arithmetica persuasionem facit. Gor. Apparet. So. Proinde si quis interrogaverit, quam persuasionem et circa quid efficiat, respondebimus præceptoriam, videlicet circa par et impar, quot utraque sint. [454] Poterimus similiter ceteras quoque artes, quas modo referebamus, ostendere persuasionis effectrices esse, et cujus et circa quid maxime: nonne? Gor. Ita. So. Quamobrem non sola rhetorica persuasionis est artifex. Gor. Vera narras. So. Cum igitur non sola id faciat, sed et artes aliæ, haud injuria, quod de pictore, sic deinceps de rhetorica quoque qualis persuasionis, et circa quid, effectrix sit rhetorica, percontaremur. nonne justa tibi videtur petitio? Gor. Mihi quidem. So. Responde igitur, o Gorgia, quandoquidem tibi videtur. Gor. Hujus equidem, o Socrates, magistram dico rhetoricam, quæ in judiciis cœtibusque aliis, ut paulo ante dicebam, atque de justis et injustis, adducitur. So. Atqui et ipse persuasionem hanc te dicere suspicabar. sed ne admireris, si deinceps tale aliquid te rursus interrogo, quod quamvis videatur esse perspicuum, tamen repeto. nam, ut dixi, non tui causa id requiro, sed ut disputatio suo quodam ordine peragatur: ne assuescamus subintelligendo ea invicem, quæ forent discutienda, præripere. Gor. Et recte quidem facere videris, o Socrates. So. Age vero et hoc consideremus. num vocas aliquid discere? Gor. Voco. So. Quid rursus? aliquid credere? Gor. Et hoc. So. An igitur discere idem quod credere esse putas, idemque disciplinam atque credulitatem, an aliud? Gor. Aliud equidem esse arbitror. So. Recte quidem putas. hinc vero cognosces. Si quis enim percontetur, estne credulitas quædam falsa et quædam vera? ut arbitror, consentires. Gor. Certe. So. Quid vero? scientia est vera et falsa? Gor. Nequaquam. So. Constat igitur, non esse idem. Gor. Constat. So. Veruntamen et illis qui didicerunt, et illis qui crediderunt, jam est persuasum. Gor. Sic est. So. Visne igitur duas persuasionis species esse ponamus, quarum altera quidem absque scientia præstet fidem, altera vero scientiam? Gor. Prorsus. So. Utram vero persuasionem affert rhetorica in judiciis aliisque cœtibus de justis injustisve rebus? num ex qua homines absque scientia credant, an ex qua sciant? Gor. Perspicuum est, o Socrates, ex qua audientes credere adducantur. So. Itaque, ut videtur, rhetorica persuasionis ejus est artifex, [455] quæ credulitatem potius quam doctrinam circa justum vel injustum præstat. Gor. Certe. So. Orator ergo non docet in judiciis aliisque turbis justa et injusta, sed fidem dumtaxat inducit. neque enim posset turbam tantam res tam grandes tam brevi tempore edocere. Gor. Non certe. So. Age, jam quid de rhetorica dicendum sit, videamus. Ego enim nondum satis quid dicturus sim intelligere possum. Quando enim publice de medicorum electione tractabitur, aut de navium aliarumve rerum opificibus eligendis, tunc forte consultare ad oratorem non pertinebit. patet enim, in hujusmodi electionibus peritissimum quemque ejus artis eligendum esse. Neque rursus cum de construendis muris, vel portuum dispositione, vel navium apparatu consultabitur, oratoris officium erit consulere, sed architecti. quin etiam neque cum de eligendo imperatore, aut de exercitu adversus hostes instruendo, aut de occupandis locis deliberabitur: sed ad duces exercitus consultatio pertinebit, ad oratores vero nequaquam. Quid ad hæc dices, Gorgia? Nempe cum et rhetor esse profitearis, et alios posse rhetores facere, præstat nimirum ea, quæ tuæ artis sunt, a te ipso sciscitari atque accipere. Et me quidem nunc rem tuam agere putato. forte enim inter eos qui intus sunt, adest aliquis, qui discipulus tuus esse cupiat: quales ego quosdam et quidem frequentes sentio, quos hæc a te quærere forte deterret pudor. A me igitur rogatus, ab illis quoque hunc in modum interrogari

Digitized by Google

putato. Quidnam reportabimus, si in tuam nos tradiderimus disciplinam? quibus de rebus rei publicæ consulere poterimus? nunquid de justo solum et injusto? an præterea de his quæ modo Socrates adducebat? Da operam igitur, o Gorgia, ut his respondeas. Gor. Conabor equidem omnem tibi rhetoricæ facultatem planius explicare. ipse enim perbelle ad id nos deduxisti. Scis utique, hæc navalia, et mœnia Athenarum portusque dispositionem partim Themistoclis, partim Periclis, non opificum consilio esse constructa. So. Feruntur hæc, o Gorgia, de Themistocle. Periclem vero ipse audivi de muro medio construendo civitati persuadentem. Gor. Præterea quotiens de his, [456] quæ tu modo referebas, deliberatur, vides oratores ipsos consulere, eorumque in his rebus præferri sententias. So. Hæc equidem admirans, Gorgia, jamdudum a te de rhetoricæ potestate perquiro. nempe mihi hæc cogitanti divina quædam potestatis ejus magnitudo videtur. Gor. O si cuncta scires, o Socrates, videres profecto, hanc omnes, ut summatim dicam, sub se vires amplecti. cujus quidem rei magnum tibi afferam argumentum. Sæpe jam cum fratre meo aliisque medicis ad aliquem ægrotantium ingressus, cum ille vel pharmacum nollet bibere, vel secandum urendumve se medico non permittere, neque persuadere posset medicus: ego persuasi, non alia quam rhetoricæ facultate. assero autem, si quam in urbem rhetor accesserit atque medicus, certeturque inter eos verbis in concione vel in alio quovis cœtu, uter sit pro medico eligendus, rhetorne an medicus: fore ut medicus quidem nusquam appareat; eligatur autem, si modo ipse velit, dicendi peritus. similiterque si adversus alium quemvis artificem certet rhetoricus, obtinebit ut ipse potius quam quivis alius eligatur. nihil enim est, de quo non majori cum persuasione rhetoricus, quam quilibet artifex, vulgo loquatur. Potentia igitur artis hujus tanta est atque talis. decet tamen, o Socrates, ita rhetorica uti, quemadmodum et omni alia facultate certandi. neque enim is, qui pugnis lacertisve et armis ita pugnare didicerit, ut amicis et inimicis superior possit evadere, ob hoc adversus omnes æque certare debet, ut amicos etiam percutiat, pungat, occidat. nec etiam per Jovem, si quis palæstra exercitatus pugil robusti corporis evaserit, deinde parentes aut aliquem alium domesticorum vel amicorum pulset: propterea pædotribas, et eos qui armis pugnare docent, odio habere et ex urbibus expellere decet. Illi enim hæc tradiderunt, ut hæc discentes contra hostes et inferentes injuriam [457] uterentur, ulciscentes videlicet, non inferentes. Nonnulli vero hæc pervertentes robore arteque abutuntur. sed non propterea qui docuerunt improbi sunt judicandi; neque ars culpanda, malaque habenda: sed, meo quidem judicio, qui perverse utuntur. Eadem quoque de rhetorica ratio est. Potest enim et adversus omnes et qualibet de re orator dicere: adeo ut apud multitudinem facile admodum de re qualibet persuadendo superior esse possit. At vero si quispiam adeptus rhetoricam, deinde injuste potentia hujus artis utatur: non eum qui docuit, odisse atque urbe expellere decet: ipse enim ad justum usum tradidit, hic vero contra utitur. Quapropter eum qui non recte utitur, par est odisse et in exsilium mittere et interimere: præceptorem vero nequaquam. So. Arbitror te, Gorgia, multis disputationibus interfuisse, idque in eis jam compertum habere, eos videlicet, qui inter se disputant, haud facile posse, cum disceptare inceperint, sic abire, ut rem ipsam definientes se invicem solum doceant atque discant: sed si de aliquo contendant, neque concedant alter alteri aut vere aut perspicue loqui, indignantur et per invidiam dictum putant, certantes simul, non autem quod erat propositum perquirentes. nonnunquam vero tandem adeo turpiter discedunt, cum jurgiis mutuisque maledictis, ut etiam pœniteat audientes, quod ejusmodi homines putaverint audiendos. quorsum vero hæc dico? quoniam tu non mihi videris satis

Digitized by Google

nunc consentanea et consona dicere his, quæ prius de rhetorica dixeras. Vereor tamen arguere, ne me arbitreris non rei declarandæ, sed tui gratia decertare. si ergo tu ex eorum numero es, e quorum ego sum, [458] libenter abs te perquirerem: sin minus, dimitterem. Quod si petas quorum ego ex numero sim, respondebo, ex iis qui libenter redargui patiuntur, si quid non vere dicant; libenter etiam redarguunt, si quid ab alio non vere dicatur; et quibus non minus gratum est reprehendi quam reprehendere. tanto enim majus id esse bonum existimo, quanto majus bonum est maximo quodam liberari malo, quam alios liberare. Nihil enim tantum esse malum hominibus arbitror, quantum est opinio falsa, in his videlicet rebus, de quibus præsens a nobis sermo est institutus. si igitur et tu ais esse te talem, disputemus: sin vero dimittendum censes, dimittamus jam, cœtumque solvamus. Gor. Dico profecto, o Socrates, me quoque talem esse, qualem modo tu describebas. sed forte aliorum qui adsunt, ratio est habenda. Jamdudum enim antequam vos accederetis, his multa narravi. et nunc forte, si disputare pergamus, mora longior protrahetur. Quamobrem cavendum est, ne horum aliud facere cogitantes detineamus. Chæ. Clamorem, o Gorgia et Socrates, horum audire cupientium vos auditis. Mihi vero nullum negotium tanti sit, ut disputationi huic a vobis institutæ aliud anteponam. Cal. Per Jovem, o Chærephon, ego quoque cum multis disputationibus interfuerim, nescio an unquam æque ac nunc fuerim delectatus. Ideoque etiam si diem totam disputare velint, erit mihi pergratum. So. Atqui, o Callicles, quantum in me est, nihil prohibet, modo velit Gorgias. Gor. Turpe quidem, o Socrates, deinceps mihi foret, si disputare nollem: præsertim cum ab initio jusserim omnes, de quo quisque vellet, interrogare. Itaque si placet præsentibus, disputa, atque percontare quicquid libet. So. Audi jam, o Gorgia, quæ in tuis verbis admirer. forte enim cum tu recte dicas, ego non accipio recte. Ais rhetoricum posse te facere, si quis a te discere velit? Gor. Alo equidem. So. Nonne ut de omnibus in turba probabiliter dicere valeat, non docendo, sed suadendo? [459] Gor. Ita prorsus. So. Addebas præterea, rhetoricum de sanitate plus quam medicum persuadere. Gor. Dixi profecto, sed in turba. So. Nonne idem est in turba, quod inter ignorantes. nunquam enim apud eos qui sciunt, magis quam medicus de sanitate persuaderet. Gor. Vera narras. So. Nonne igitur, si suadentior erit medico, sciente suadentior erit? Gor. Omnino. So. Ipse tamen non medicus. Gor. Non. So. Ac si non medicus, ergo et inscius eorum quæ intelligit medicus. Gor. Procul dubio. So. Quare qui nescit sciente apud nescientes suadentior erit, quando rhetor medico suadentior erit. itane sequitur? Gor. In his certe ita sequitur. So. Nonne in ceteris quoque artibus rhetor atque rhetorica se similiter habet: ut ad rhetoris facultatem nihil attineat scire qua ratione res se habeant, sed machinationem quandam sic ad persuadendum excogitare, ut apud ignorantes magis scire, quam ipsi scientes, appareat? Gor. Nonne magna facilitas hæc est, o Socrates, eos videlicet qui artes alias nunquam didicerint, sed hanc solam, nihil tamen aliis minus habere? So. Utrum orator ob hanc unam facultatem minus habeat vel non minus quam alii, paulo post inquiremus, si quid conducere disputationi videbitur. nunc autem hoc prius consideremus, an circa justum et injustum, honestum et turpe, bonum et malum, ita se habeat orator, quemadmodum circa salubria atque alia, quæ ad alias artes attinent: ut scilicet ignoret quidem, utrum bonum malumve sit aliquid, pulchrumque vel turpe, aut justum vel injustum: persuasionem vero quandam ita de rebus hujusmodi machinetur, ut ignorans ipse inter ignorantes magis scire quam scientes appareat. An forte necesse est hæc eum nosse, oportetque cum hac facultate jam parta ad te proficisci qui sit fu-

Digitized by Google

turus erator? ac si hujusmodi rerum scientiam non afferat secum, tu quidem præceptor rhetoricæ talia non docebis: non enim tuum est officium hæc docere: efficies autem, ut vulgo scire talia videatur, cum nesciat; appareatque bonus esse, cum minime sit. An omnino rhetoricam docere non poteris, nisi prius horum veritatem fuerit consecutus? aut quo se modo hæc habent, o Gorgia? [460] per Jovem precor, ut quemadmodum paulo ante copisti, rhetoricæ nobis aperias potestatem. Gor. At enim, o Socrates, arbitror, si forte quis hæc ignoret, eum a me percepturum. So. Siste ergo. recte enim dicis: si quem tu rhetorem feceris, oportet eum justa injustaque scire, vel antequam ad te accedat, aut postea a te perdiscere. Gor. Omnino. So. Quid vero? qui ea quæ ad fabricam spectant didicerit, nonne est faber? Gor. Est. So. Et qui musicam, musicus? Gor. Ita. So. Et qui quæ ad medicinam pertinent, medicus? atque in ceteris eodem pacto, quisquis didicerit aliquid, talis evadit, qualem cujusque scientia reddit? Gor. Omnino. So. Nonne igitur per hanc rationem justus erit, quicunque justa didicerit? Gor. Maxime. So. Justus autem justa facit? Gor. Ita est. So. An non ergo necesse est rhetoricum esse justum? justam vero velle juste agere? Gor. Apparet. So. Nunquam ergo volet justus injuriam facere. Gor. Nunquam. So. Rhetoricum quidem necesse est ex præcedenti ratione justum esse. Gor. Necesse. So. Rhetoricus ergo injuriam facere nunquam volet. Gor. Nunquam, ut apparet. So. Reminiscere, te paulo ante dixisse, non oportere pudoribus criminari atque expellere, si quis pugil certamine pugili male utatur, inferatque injuriam: atque eodem pacto, si quis orator injuste utatur rhetorica, non illum qui docuerit esse accusandum et expellendum, sed injusta agentem neque rhetorica recte utentem. Dictane hæc sunt, an non? Gor. Dicta. So. Nunc autem ipse orator nunquam videtur facturus injuriam. Gor. Nunquam. So. Atqui in superioribus, o Gorgia, dictum est, circa sermones versari rhetoricam, non de pari quidem et impari, sed de justo atque injusto. Gor. Certe. So. Ego igitur, cum te hæc dicentes, rhetoricam nunquam esse rem injustam, existimavi, quæ semper de justitia verba facerent. postquam vero paulo post dixisti, si orator injuste rhetorica uteretur: [461] statim admiratus, atque ratus non esse consentaneas inter se quæ a te dicebantur, illa protuli verba: ut, si redargui conducturum putasses, ut ego puto, operæ pretium foret disserere: alioquin dimittere. Deinde vero nobis considerantibus, ut te non latet, concessum fuit, fieri non posse ut rhetoricus rhetorica utatur injuste, velitque injuriam facere. Ad hæc autem satis, qua ratione se habeant, discernenda, per Canem, o Gorgia, non parva opus est diligentia. Pol. Quid vero, o Socrates? Tune etiam sic de rhetorica opinaris, ut nunc ais, an aliter? an magis putas, Gorgiam pudore quodam adductum concessisse tibi, rhetorem justa et honesta et bona scire: ac si quis hæc ignorans ad ipsum venerit, eum esse docturum? Ex qua forsitan concessione contrarium deinde aliquid in disputando secutum est, hoc tu quidem nimium studiose captas, o Socrates, interrogando ad hujusmodi responsa perducens. Nam quem arbitraris negaturum fuisse tibi, justa se scire alioque esse doctarum? Verum magna rusticitas est, ad hæc interrogando deducere. So. O pulcherrime Pole, ob hanc ipsam causam amicos nobis et filios comparamus, ut si quando in senectute peccemus, juniores vos præsentes vitam nostram et verbis et operibus corrigatis. Et nunc si quid me et Gorgiam in disputando fefellit, ipse præsens emenda. sic enim debes: atque ego tibi permitto, ut si quid eorum quæ concessa sunt, non recte concessum putes, id tuo arbitratu permutes, dummodo mihi ad unum devites. Pol. Quid hoc, o Socrates? So. Prolixitatem illam, o Pole, quam ab ipso disputationis initio inceptabas. Pol.

Digitized by Google

Quid vero? nonne mihi quantum voluero licebit loqui? So. Gravi simulum injuria afficeresis, o Pole, si profectus Athenas, ubi totius Græciæ maxima est loquendi libertas, solus ipse hoc in loco potestatem loquendi pro arbitrio non haberes. At contra pone, videlicet si te prolixe loquente, neque volente ad interrogata respondere, non liceret mihi abire et te audire nolle: [462] nonne ego quoque gravis putarem, si non liceret mihi abire, teque audire nolle? Verum si qua tibi disputationis hujus est cura, eamque corrigere velis, quemadmodum modo dicebam, retractans quod tibi retractandum videtur, reganeque vicissim atque respondens, ut ego Gorgiasque fecimus, redargue me, ac te redargui patiare. An dicis te quoque scire, quæ et Gorgias se scire profitetur? Pol. Dico equidem. So. Et jubes, ut de quo quisque velit, a te quærat, tanquam ab homine qui respondere sciat? Pol. Certe. So. Nunc ergo alterutrum tuo arbitratu facias, vel quære, vel responde. Pol. Faciam equidem, atque mihi responde, o Socrates. quandoquidem Gorgias circa rhetoricam tibi non satisfacit, tu ipsam quam esse dicis? So. Interrogasne, quam artem esse putem? Pol. Id ipsum. So. Nullam, o Pole, ut vera tibi loquar. Pol. Quid igitur tibi videtur esse rhetorica? So. Res quam tu dicis fecisse artem, in eo libro quem nuper legi. Pol. Quidnam dicis? So. Peritiam quandam. Pol. Peritia ergo tibi videtur esse rhetorica? So. Mihi quidem, nisi tu aliud dixeris. Pol. Cujus videtur rei peritia? So. Gratiam quandam voluptatemque pariendi. Pol. Nonne igitur pulchrum quiddam existimas esse rhetoricam, cum apud homines comparare gratiam possit? So. Quid, o Pole? audivisti jam quid illam esse dicam, qui deinceps interrogas utrum pulchram esse putem?' Pol. Nonne audivi te dicentem, esse peritiam quandam? So. Visne igitur, quandoquidem gratiam magni facis, paulum quid mihi gratificari? Pol. Volo. So. Interroga me nunc, quam artem esse coquinariam putem. Pol. Ecce interrogo: quamnam ars coquinaria est? So. Nulla. Pol. At quid? So. Peritiam quandam esse dico. Pol. Quamnam peritia est? So. Gratiam voluptatemque pariendi. Pol. Idemne est coquinaria atque rhetorica? So. Nullo pacto; sed ejusdem studii particula. Pol. Cujus studii? So. Ne durius sit veritatem dicere vereor Gorgiæ causa, ne forte me sanum vituperare studium arbitretur. Ego enim, utrum hæc rhetorica sit quam [463] Gorgias exercet, nescio. nam ex hac disputatione nihil nobis patefactum est, quid tandem ipse putet. Sed quod ego appello rhetoricam, rei cujusdam particula est nequaquam honestæ. Gor. Cujusnam, o Socrates? dic age, nihil mea causa veritus. So. Videtur mihi, o Gorgia, esse studium quoddam, non artificiosum quidem, sed sagacis animi, optique natura atque potentia ad humanum consuetudinem sibi conciliandam. Appello autem summam caputque ejus adulationem. Hujus autem studii multa videntur mihi esse membra. unum quidem coquinaria: quæ quamvis esse ars videatur, meo tamen judicio non est ars, sed peritia quædam usu comperta. Ejusdem præterea particulam rhetoricam quoque esse dico, et fucatoriam, quæ mangonica dicitur, et sophisticam: has utique particulas quatuor ad res quatuor pertinere. Si ergo Polus quærere vult, quærat. nondum enim audivit, qualem adulationis particulam rhetoricam esse dicam: nec animadvertit, ad id me nondum respondisse. itaque interrogat, utrum pulchram existimem, necne. Ego vero, utram pulchram aliquid vel turpe rhetoricam esse reor, non prius respondebo, quam quid ipsa sit, aperuerim. non enim aliter respondere decet, o Pole. ergo si audire velis, percontare qualem adulationis particulam rhetoricam esse dicam. Pol. Quæro jam abs te, qualis particula? So. An me respondente perdisces? Est enim, ut opinor, rhetorica particula civilis simulacrum. Pol. Quid ergo? pulchramne an turpe quiddam ais esse? So. Turpe,

Digitized by Google

siquidem mala esse turpia dico, quandoquidem tibi, tanquam quæ dico jam scienti, me respondere oportet. Gor. Per Jovem, o Socrates, nec ego, quid dicas, intelligo. So. Nec injuria quidem, Gorgia. nondum enim satis expressi: Polus autem iste juvenis est. Gor. At hunc mitte: mihi vero responde, quo pacto dicas rhetoricam civilis particulæ simulacrum esse. So. Conabor exprimere, quid mihi videatur esse rhetorica. si vero non est id, Polus iste redarguet. Corpus appellas aliquid atque animam? [464] Gor. Quidni. So. Horum vero nonne putas aliquam utriusque bonam habitudinem? Gor. Puto equidem. So. Præterea habitudinem aliquam apparere bonam, cum minime sit? Dico autem nonnihil ejusmodi. Multi corpus bene affectum habere videntur, quorum malam valetudinem habitudinemque haud facile deprehenderet quisquam præter medicum gymnasiique magistrum. Gor. Vera narras. So. Tale quiddam et in corpore et in anima esse dico, quod quidem facit, ut et corpus et anima bene se habere videatur, cum non bene se habeat. Gor. Ita est. So. Age vero, si potero hoc ostendere. Cum res duæ sint, artes esse geminas arbitror: et artem quidem ad animam pertinentem, civilem nuncupo: eam vero quæ ad corpus, nomine uno nominare non possum. sed hujus artis unius, quæ curat corpus, duas pono particulas: alteram quidem gymnasticam, alteram medicinam. In civili vero nomotheticam, scilicet legalem conditricem legum, pono correspondentem gymnasticæ: et justitiam, scilicet judiciariam, medicinam quodammodo referentem. Communicant vero invicem, utpote quæ circa idem sunt, medicina atque gymnastica, rursusque judiciaria atque legalis. veruntamen inter se etiam differunt. Cum vero hæ quatuor sint, semperque ad optimum curent, hæ quidem corpus, illæ animam: facultas adulatoria id sentiens, non cognoscens quidem, sed conjectans, se quadrifariam dividit, singulasque subit particulas, simulans id se esse quod subiit. Et optimi quidem nullam habet curam, sed semper eo quod dulcissimum est, quasi hamo incautam illaqueat mentem, et usque adeo decipit, ut plurimi apud eam æstimanda videatur. Medicinam quidem coquinaria subiens, simulat optimos se cibos corpori adhibere. Quamobrem si vel inter pueros vel viros admodum pueriles contendere oporteret coquum atque medicum, uter eorum de bonis malisve cibis plus intelligat, medicus quidem fame periret. Id ergo adulationem voco, ac turpe, o Pole, quiddam existimo. id enim adversus te [465] dico: propterea quæ absque ulla optimi ratione voluptatem aucupatur. neque artem eam esse dico, sed peritiam quandam; quoniam nullam habet rationem eorum quæ affert, qualia natura sint: quo fit, ut rationem nullius possit afferre, ego vero non appello artem, quod careat ratione. quod si de his ipse ambigis, rationem me tibi polliceor redditurum. Itaque medicinam, ut dixi, coquinaria adulatio subit: gymnasticam vero similiter fucatoria, res noxia, fallax, ingenerosa, illiberalis, figuris, coloribus, lineamentis et sensu quodam ita decipiens, ut propter extrinsecum fucum propriam veramque formam, quæ fit per gymnasticam, negligamus. Ceterum ne sim prolixior, volo tibi more geometrico dicere. sic enim forte jam assequeris. Profecto quod fucatrix ad gymnasticam, id ad medicinam est coquinaria. immo vero sic: Quod fucatrix ad gymnasticam, hoc sophistica ad legalem: rursusque, quod coquinaria ad medicinam, id rhetorica est ad judiciariam. Veruntamen, ut dicebam, ita natura distinguuntur: ac etiam tanquam propinquæ misceantur invicem in eodem et circa eadem, sophistæ videlicet et rhetores: nec utilitatem respiciunt aliquam, quam vel pro seipsis, vel pro aliis sequantur unquam. Nam si animus corpori non præesset, sed ipsum sibi, neque ab eo perspiceretur discerneretusque coquinaria et medicina, sed corpus ipsum gratia voluptateque sua hæc perpenderet, illud Anaxagoræ prorsus accideret, amice Pole: ipse enim horum

Digitized by Google

peritiam habes: omnia videlicet in eodem indiscreta commiscerentur, et quæ ad medicinam pertinent et salutem, et quæ ad coquinariam attinent. Audivisti jam, quid ego rhetoricam esse dicam: rem videlicet coquinariæ respondentem, talemque in anima, qualis illa est in corpore. Forte vero procul a ratione me gessi, qui tibi prolixitatem prohibens, ipse longum extendi sermonem: ob id tamen dignus sum venia, quia si brevius locutus essem, minime percepisses, neque responsio tibi mea satisfecisset, sed expositione rursus indiguisses. Si ergo nec ego te respondente [466] assequi valeo, tu quoque extende sermonem. sin valeo, permitte me responsione tua vel mea pro arbitrio uti: sic enim justum est. Et nunc quidem, si quo pacto responsione hac opportune uti potes, utere. Pol. Quid igitur ais? adulatione tibi videtur esse rhetorica? So. Equidem adulationis particulam esse dixi. Non meministi, Pole, cum sis hujus ætatis? quid forte posthac facies? Pol. An boni rhetores videntur tibi quemadmodum adulatores in civitate contemni? So. Interrogationem hanc facis? an orationem aliquam exordiris? Pol. Interrogo equidem. So. Nulla existimatione, o Pole, mihi digni videntur. Pol. Quomodo nulla? nonne maximam in civitatibus potentiam habent? So. Minime, si potentiam bonum aliquid esse dicis ei qui potest. Pol. Dico certe. So. Oratores ergo minimam omnium in re publica potentiam mihi videntur habere. Pol. Quid ais? nonne quemadmodum tyranni occidunt quem volunt, et exspoliant patrimonio pelluntque ex urbe? So. Per Canem, o Pole, per singula quæ dicis, ambigo, utrum sententiam explices tuam, an quæras meam. Pol. Quæro equidem tuam. So. Esto, amice: deinde duo simul a me quæris. Pol. Quonam pacto duo? So. Nonne dicebas modo, oratores occidere tyrannorum more quoscunque velint, et fortunæ bonis exspoliare, atque in exsilium mittere? Pol. Equidem. So. Dico itaque tibi, has duas interrogationes esse, respondeboque ad utrasque. assero equidem, o Pole, tam rhetores quam tyrannos minimam in civitatibus habere potentiam, quemadmodum paulo ante dicebam. nihil enim, ut ita dixerim, facere ex his quæ volunt: facere tamen quod sibi opinantibus optimum videatur. Pol. Nonne hæc magna potentia? So. Non certe, ut ait Polus. Pol. An ego non dico? dico equidem certe. So. Per Jovem, tu non dicis, quandoquidem magnam potentiam dixisti ei, qui potest, esse bonum. Pol. Id quidem dico. So. Bonumne igitur esse dicis, si quis ea fecerit, quæ sibi optima videantur mente capto? atque id magnam dicis esse potentiam? Pol. Non certe. So. Nonne igitur ostendendum tibi est, oratores habere mentem, atque rhetoricam non [467] adulationem quidem esse, sed artem, quo me convincas? alioquin nisi id ostendens me conviceris, oratores et tyranni, facientes quidquid faciendum sibi videtur in civitate, nullum propterea bonum consequentur. Siquidem potentiam habere, ut ipse ais, est bonum: facere vero quidquid videatur absque mente, ipsemet confiteris esse malum, nonne ita? Pol. Ita certe. So. Quonam igitur pacto oratores vel tyranni magna in re publica possunt, nisi Socrates convictus a Polo, illos quæ volunt facere, fateatur? Pol. En vir! So. Nego eos facere quæ volunt. tu vero me redargue. Pol. An non paulo ante confitebaris, quæ sibi bona videntur, eos facere? So. Et nunc rursus confiteor. Pol. An non ergo faciunt quæ volunt? So. Non, ut arbitror. Pol. Faciunt tamen quæ sibi videntur. So. Concedo. Pol. Molesta, o Socrates, et incredibilia dicis. So. Ne me accuses, pulchre Pole, ut appellem te secundum te. verum si quid habes quod inquiras, errorem meum redargue: sin minus, ipse responde. Pol. Sed respondere malo, ut quid dicas intelligam. So. Utrum ergo tibi videntur homines id velle, quod ubique agunt? an potius illud, cujus gratia agunt id quod agunt? veluti qui pharmaca a medicis accepta bibunt,

Digitized by Google

utrum tibi id videntur ipsum velle quod faciunt, videlicet pharmacum bibere et asperitatem ejus perferre: an sanitatem potius, cujus gratia bibunt. Pol. Manifestum est, eos fieri sanos velle, cujus gratia potionem sumunt. So. Nonne et qui navigant aut aliud negotium lucri causa obeunt, non id volunt quod faciunt? quis enim navigare, subire pericula, molestias habere velit? sed illud volunt, ut arbitror, cujus gratia navigant; divitias scilicet: harum enim gratia navigant. Pol. Maxime. So. An non in omnibus quoque similiter, quisquis aliquid alicujus agit gratia, non id vult quod agit, sed illud cujus gratia agit? Pol. Ita videtur. So. An est ex omnibus aliquid, quod non aut bonum sit aut malum aut horum medium, neque bonum scilicet neque malum? Pol. Nihil omino. So. Neque bonum quidem dicis sapientiam, sanitatem, divitias, aliaque generis ejusdem? mala vero horum contraria? Pol. Equidem. So. Quæ vero neque bona sunt neque mala, talia quædam dicis, quæ quandoque boni, quandoque mali participia sunt, [466] quandoque neutri: veluti sedere, vadere, currere, navigare: rursus, veluti lapides, ligna, ceteraque similia. nonne talia quædam esse dicis, quæ neque bona appelles neque mala? Pol. Talia certe. So. Utrum igitur media hæc bonorum agunt gratia, quotiens agunt? an bona gratia mediorum? Pol. Media bonorum gratia. So. Ergo sequentes bonum et vadimus, quando vadimus, præstare id existimantes: et vicissim quiescimus, quandocunque quiescimus, ob id ipsum bonum. nonne ita? Pol. Ita prorsus. So. Præterea si quos occidimus, ejusdem gratia occidimus: similiterque expellimus atque rapimus, putantes præstare nobis talia facere. Pol. Procul dubio. So. Quamobrem boni gratia hæc faciunt omnia, quicunque faciunt. Pol. Assentior. So. An non inter nos convenit, non quæ alicujus gratia facimus, velle, sed illud cujus hæc gratia facimus? Pol. Maxime. So. Itaque non jugulare simpliciter omninoque volumus, neque expellere, neque pecunias rapere: verum si conducant hæc, facere volumus: si nocent, nolumus. bona enim volumus, ut ipse ais. quæ vero neque bona neque mala sunt, non proprie volumus; neque mala. Videor tibi, Pole, vera loqui? an non? Quid non respondes? Pol. Vera. So. Quamobrem si in his consentimus, si quis quempiam interfecerit vel urbe ejecerit vel privaverit patrimonio, sive tyrannus ille sit sive orator, putans id melius sibi fore, cum tamen sit pejus, is utique faciet quæ sibi videntur. nonne? Pol. Certe. So. Nunquid etiam quæ vult, si quidem hæc sint mala? Quid non respondes? Pol. Non videtur mihi quæ vult facere. So. Quanam igitur ratione vir talis magnam habet in republica potestatem? si quidem magna potestas bonum quiddam est, ut ipse etiam confiteris. Pol. Nullo pacto. So. Vera ergo dicebam, fieri posse ut sit qui in civitate quæ sibi videntur, efficiat, neque tamen magnam potentiam habeat, neque quæ velit, agat. Pol. Quasi vero tu, o Socrates, non optes licentiam habere faciendi quidquid tibi videatur in civitate, potius quam non habere: neque affectes talis esse, quales nonnullos vides, vel interficientes vel expoliantes vel conjicientes in vincula, quoscunque et quandocunque sibi videtur. So. Justene dicis an injuste? Pol. Quomodocunque [467] id fiat, nonne utrumque optandum? So. Bona verba quæso, o Pole. Pol. Quid ita? So. Quoniam non decet vel vitam minime optabilem exoptare vel miseram, immo potius misereri. Pol. Quid vero? itane se habere eos de quibus loquor, existimas? So. Quid prohibet? Pol. Quicunque igitur perimit quemcunque opinatur juste necandum, infelix tibi miserabilisque videtur? So. Non mihi quidem: neque tamen conditio ejus optanda. Pol. An non paulo ante miserum dicebas esse? So. Dicebam equidem, o amice, sed injuste occidentem; eundemque insuper miserabilem: ejus vero qui juste interficit, conditionem non esse optandam. Pol.

Digitized by Google

An non qui injuste occiditur, miserabilis est atque infelix? So. Minus, o Pole, quam vel interfector, vel is qui juste necatur. Pol. Quid ita, o Socrates? So. Quoniam inferre injuriam maximum est malorum. Pol. Quonam pacto id maximum? nonne pejus est, injuriam pati? So. Minime. Pol. Ipse igitur mallesne pati injuriam, quam inferre? So. Equidem neutrum vellem, at si necesse foret aut facere injuriam aut pati, eligerem potius accipere injuriam quam inferre. Pol. Nec ergo tyrannidem eligeres. So. Non, si tyrannidem similiter atque ego definis. Pol. Ego vero id esse dico tyrannidem, quod et paulo ante, videlicet licentiam in civitate habere quicquid videatur perpetrandi, sive interficere quempiam sive expellere libeat, ceteraque omnia pro libidine posse facere. So. Sed, o beate, attende, quæ dicam, ac si potes, carpe. Si enim ego in foro ac frequenti hominum multitudine, assumpto sub ala pugione apud te gloriarer, me potentiam tyrannidemque mirabilem nuper esse nactum: nam sive aliquis istorum hominum quos cernis, mihi videatur occidendus, subito perimetur; sive alicujus frangendum caput, repente frangetur; sive discindenda vestis, subito discindetur; tantum ego in hac civitate possum: proinde tibi minus id credenti ostenderem pugionem, forte eo conspecto tu sic objiceres: at isto, o Socrates, modo omnes magnam haberent potestatem, siquidem et quaslibet domos incendere et Atheniensium navalia et triremes, cunctaque navigia, ac summatim tam publica quam privata, quivis posset. Verum hæc non est magna potestas, quidquid tibi quocunque videatur, facere. an tibi videtur? Pol. Certe non hoc pacto potentiam approbo. [470] So. Potesne dicere, quam ob causam ejusmodi non approbes potestatem? Pol. Possum equidem. So. Cur ergo? dic jam. Pol. Quoniam necesse est eum, qui ista perpetraverit, pœnam luere. So. Pœnam vero dare, nonne malum? Pol. Omnino. So. Nonne igitur, o vir mirabilis, magnam rursus potentiam judicas, si modo qui agit quæcunque sibi videntur, assequitur ut utiliter agat, atque ita bonum consequitur: idque est magna posse? contra vero, malum id est, parvaque potentia? Verum id quoque consideremus. dicimusne, alias præstare ea facere quæ modo dicebamus, videlicet interficere, expellere, spoliare, alias autem minime? Pol. Sic omnino. So. Hoc jam mihi, ut videtur, tibique convenit. Pol. Convenit. So. Utrum igitur et quo pacto dicis ipse melius esse hæc facere? dic age, quem terminum statuas. Pol. Tu vero, o Socrates, id definias. So. Ego igitur, o Pole, dicam, si a me audire mavis, videlicet quando quis hæc juste facit, melius esse: quando vero injuste, pejus. Pol. Quasi vero arduum sit, o Socrates, te refellere, ac non puer etiam quivis refellere possit. So. Magnam illi puero habebo gratiam, tibi quoque non minorem, si me refellens ab errore ejusmodi liberaveris: te igitur oro, ne tibi molestum sit beneficium hoc in amicum conferre: sed jam refelle. Pol. Atqui, o Socrates, nihil opus est antiquis exemplis ad te confutandum. si quidem hesterna nuperque gesta manifeste declarare possunt, injustos plerosque esse felices. So. Quænam ista? Pol. Archelaum Perdiccæ filium Macedoniæ dominantem vides? So. Etsi non video, saltem audio. Pol. Felixne igitur tibi videtur an infelix? So. Nescio equidem, o Pole. nunquam enim apud ipsum fui. Pol. Quid autem, si ejus consuetudinem habuisses, jam cognosceres: aliunde vero felicitatem ejus non potes cognoscere? So. Non per Jovem. Pol. Constat igitur, o Socrates, similiter te dicturum ignorare, utrum magnus Persarum rex sit felix. So. Et vera quidem dicam. ignoro enim quo pacto ad eruditionem justitiamque se habeat. Pol. Nunquid in hoc tota beatitudo consistit? So. Certe, ut ego dico, o Pole. assero enim honestum bonumque virum et mulierem esse felicem, injustum vero et turpem esse miserum. [471] Pol. Miser ergo secundum sermo-

Digitized by Google

nem tuum est Archelaus? So. Nimirum, o amice, si injustus. Pol. At vero quonam pacto negari id potest? is enim ex ancilla Alceti Perdiccæ fratris natus est: ideoque Macedoniæ regnum quod nunc habet, ad eum minime pertinebat: sed ipso jure Alcetæ servus erat: ac si voluisset justa agere, ipsi Alcetæ servisset; itaque secundum rationem tuam esset felix. Nunc vero quam mirabiliter factus est miser, postquam maximas injurias intulit. Is enim primo hunc ipsum dominum patruumque suum Alcetam accersitum ad se, quasi regnum, quod Perdicas abstulerat, redditurus, convivio vinoque gravatum, ipsumque et filium ejus Alexandrum patruelem æqualemque suum conjectos in plaustrum, nocteque asportatos, trucidavit atque delevit. nec tamen his perpetratis suam agnovit miseriam, nec id fecisse pœnituit: sed paulo post fratrem suum, legitimum Perdiccæ filium, puerum annorum septem, ad quem pertinebat regnum, noluit, ut felix fieret, juste alere, atque ipsi regnum tradere; sed in puteum præcipitem dedit atque suffocavit. Cleopatræ vero ejus matri asseruit, puerum, dum persequeretur anserem, cecidisse in puteum mortemque obiisse. His ergo tam magnis injuriis perpetratis, Macedonum omnium miserrimus est, an potius felicissimus? Num est ullus Atheniensium, ut a te exordiamur, o Socrates, qui malit alius quisquam Macedonum esse quam Archelaus? So. Et ab ipso disputationis exordio, Pole, te tanquam bene instructum ad orandum laudavi, artem vero disserendi dixi te neglexisse. At nunc, hæcne illa ratio est, per quam quivis etiam puer, ut ipse dicebas, me refelleret? atque ego abs te, ut ipse judicas, hac in præsentia ratione convictus sum, qui dixerim injurjantem beatum esse non posse? Unde enim, o bone vir? atqui nihil tibi horum assentior, quæ tu dicis. Pol. Neque enim vis assentiri, cum tamen tibi vera videantur. So. O beate, oratorum more convincere me contendis, quemadmodum in judicio fieri solet, ubi alii alios convincere se opinantur, cum pro sua causa multos ac probabiles adducunt testes, si adversarius aut nullum aut unum aliquem produxerit testem: ejusmodi vero probatio nullius ad veritatem est momenti. [472] Sæpe enim falsa testimonia et a multis et ab his, qui videantur idonei, solent afferri. Atqui in præsentia de his quæ tu dicis, omnes ferme et Athenienses et peregrini tecum sentirent, si velis contra me testes producere; me siquidem afferre falsa tibi attestabuntur: sive Niciam accersas Nicerati filium, fratresque ejus secum, quorum sunt in Dionysio tripodes ordine quodam dispositi; sive Aristocratem Scellii filium, cujus in Pythio munus exstat pulcherrimum; seu totam Periclis domum, seu aliam quamlibet Atheniensium familiam velis in testimonium advocare. At ego unus tibi non assentior. non enim me rationibus cogis, sed falsis testibus contra me productis, ex ipsa veritatis substantia dejicere me moliris. Ego vero nisi te ipsum testem unum adduxero mihi assentientem, nihil existimatione dignum in his quæ tractamus, perfecisse me arbitror. puto etiam nihil te profecturum, nisi ego unus solusque tibi consentiam, tuque, dimissa aliorum testium multitudine, id efficias. Est igitur, ut dixi, unus iste arguendi modus, quemadmodum tu aliique multi putatis. est et alter, quem ego puto. Eos igitur invicem comparantes, utrum et quo pacto inter se discrepent, diligenter consideremus. non enim de rebus parvis instituta nobis est disputatio: sed de his, quas et scire pulcherrimum est et nescire turpissimum. Caput enim et summa eorum quæ perquirimus, est vel cognoscere vel ignorare, quis beatus sit, quis miser. Principio quidem in iis quæ perquirimus, tu fieri posse existimas, ut qui injuriam facit injustusque est, sit beatus: siquidem Archelaum esse quidem injustum confiteris, sed beatum. nunquid ita te opinari existimare debemus? Pol. Omnino. So. Ego vero id fieri non posse dico. unum igitur hoc est de quo ambigimus. Esto igitur. Injustus autem eritne felix, si pœnas injus-

Digitized by Google

tiis dederit? Pol. Minime quidem: immo miserrimus. So. At vero si injustus poenas effugerit, ut ipse ais, beatus erit. Pol. Aio equidem. So. Secundum vero sententiam meam, o Pole, qui injuriatur injustusque est, omnino est ante alios miser? miserior autem, si injuriarum poenas nunquam luat: minus vero miser, si luat, supplicioumque justum apud deos hominesque reportet. [473] Pol. Quam absurda dicere audes, o Socrates! So. Dabo equidem operam, o amice, ut ipse quoque mecum sentias. amicum enim esse te mihi puto. Nunc ergo ea de quibus dissentimus, ejusmodi sunt. attende vero et tu. Dixi equidem in superioribus, injuriam inferre pejus esse quam pati. Pol. Ita dixisti. So. Tu vero contra, pati pejus esse quam facere. Pol. Procul dubio. So. Praeterea eos qui injuriam faciunt, ego miseros appellabam: atque a te redargutus sum. Pol. Ita per Jovem. So. Ut tu, Pole, putas. Pol. Ac forte vera. So. Tu vero injuriantes tunc felices esse dicebas, cum poenas minime dederint. Pol. Et maxime quidem. So. Ego vero istos esse dico miserrimos: eos autem qui puniantur, minus miseros esse. Visne id quoque refellere? Pol. At istud, o Socrates, difficilius insuper quam illud quis redarguet. So. Haud difficile istud, immo impossibile judicare debes, o Pole. quod enim verum est, refelli nunquam potest. Pol. Quid ais? Si quis tyrannidem per injuriam moliri deprehensus fuerit, captusque torqueatur excarnificeturque, eique inurantur oculi, aliisque multis, variis, gravibus poenis afficiatur: videat praeterea liberos et uxorem eadem pati, et tandem in cruce ponatur, aut pice adhibita comburatur: an hic patiens felix erit? vel potius si evaserit, tyrannidemque assecutus arbitratu vivat suo, adeo ut vitae suae status exoptandus felixque a civibus et peregrinis existimetur? Haecne dicis confutari non posse? So. Perterrefacis me nunc rursus, o generose Pole; non autem refellis: paulo vero ante attestabaris. Veruntamen redige mihi parumper in memoriam, an injuste capessere tyrannidem dixeris. Pol. Equidem. So. Neuter eorum felicior unquam erit, neque qui tyrannidem injuste adeptus fuerit, neque qui deprehensus poenas dederit. nempe e duobus miseris neutor altero felicior est dicendus: miserior tamen qui potitus tyrannide supplicium devitaverit. Quid rides, o Pole? Alia rursus haec refelliendi species est, cum quis aliquid dicat deridere, non autem arguere. Pol. At non putas refelli, o Socrates, cum talia dicas, qualia nullus unquam hominum diceret? Quaere ab istorum aliquo. So. O Pole, equidem non tam ex his qui in re publica versantur. Et superiori anno, cum tribus mea praerogativam haberet, ac sorte oporteret me computare suffragia et ad consilium referre, concitavi risum, [474] quia facere id nescivi. Noli ergo jubere, ut ad consilium praesentium referam. Ceterum nisi meliorem arguendi viam habes, quemadmodum modo dicebam: vicissim mihi concede, atque experire qualem ego redargutionem esse arbitror oportere. Ego enim eorum quae dico, unum produceo testem scio, illum ipsum quicum mihi sermo est instituitus: multitudinem autem mitto, et unius sententiam rogare scio, multitudini vero ne verbum quidem facio. Vide igitur, utrum mihi vicissim arguendi locum velis concedere, tuque ad quaesitum respondere. Arbitror equidem et me et te et alios homines existimare, pejus esse facere injuriam quam accipere, ac poenas effugere quam subire. Pol. Ego autem neque me neque alium prorsus ullum: quandoquidem tu solus injuriam perpeti malles, quam inferre. So. Immo vero et tu et ceteri omnes. Pol. Permultum abest. immo nec ego nec tu nec alius quisquam. So. Visne respondere? Pol. Volo equidem. cupio enim, quid tandem dicturus sis, intelligere. So. Responde itaque mihi, ut intelligas, tanquam si a principio interrogarem: Utrum putas, o Pole, deterius esse? facerene injuriam an perpeti? Pol. Perpeti. So. Utrum vero turpius?

Digitized by Google

responde, quæso. Pol. Injuriam facere. So. Nonne et pejus, si turpius? Pol. Minime. So. Intelligo jam. nempe non putas, ut videtur, idem esse pulchrum atque bonum, idemque turpe atque malum. Pol. Non certe. So. Quid autem? pulchra omnia, scilicet corpora, colores, figuras, voces, studia, nunquid ipse ad nihil respiciens, pulchra nominas, an ad aliquid? ut ecce primo quidem corpora pulchra, nonne aut propter utilitatem dicis esse pulchra, atque ad id pulchra cujus usui serviunt: aut propter aliquam voluptatem, videlicet quod delectent aspicientes? An habes præterea quidquam aliud, quod de corporis pulchritudine dici possit? Pol. Nihil aliud. So. Nonne et alia similiter omnia, sive figuras, sive colores, vel propter aliquam voluptatem vel utilitatem aut utraque pulchra appellas? Pol. Ita prorsus. So. Et voces præterea, et quæ ad musicam pertinent, cuncta similiter? Pol. Ita. So. Quin etiam statuta legum et studia non ob aliam causam pulchra sunt, quam quod aut conferunt aut delectant aut utrumque perficiunt. Pol. Ob aliam certe nullam. So. Denique de [475] disciplinarum pulchritudine idem existimamus? Pol. Idem prorsus. et pulchre quidem nunc definis, o Socrates, pulchrum delectatione et bono conferente definiens. So. Nonne turpe contrario, scilicet dolore ac malo, id est, detrimento, definiendum? Pol. Necesse est. So. Quotiens igitur e duobus pulchris alterum pulchrius est, vel altero illorum aut ambobus excedens pulchrius est, scilicet aut delectatione aut utilitate aut ambobus. Pol. Prorsus. So. Rursus quando duorum turpium alterum turpius est, vel dolore vel detrimento excedens est turpius. an non necesse est? Pol. Ita. So. Age itaque, quomodo paulo ante de inferenda accipiendaque injuria dicebatur, an non dicebas pati injuriam esse deterius, facere vero turpius? Pol. Dicebam equidem. So. Si ergo facere turpius est quam pati: aut molestum quidem est, ac molestia superans turpius est, aut detrimento, aut utrisque? nonne id etiam necessarium? Pol. Quidni? So. Primo quidem consideremus, an molestia superet, doleantque magis qui inferunt quam qui patiuntur injuriam. Pol. Nullo pacto istud, o Socrates. So. Quare non excedit dolore. Pol. Non apparet. So. Si non dolore, nec etiam ambobus. Pol. Non videtur. So. Ergo altero. Pol. Altero. So. Malo igitur atque detrimento. Pol. Apparet. So. Quamobrem injuriam facere excedens detrimento deterius erit, quam pati. Pol. Manifestum est. So. Nonne et a multis hominibus et abs te supra concedebatur, turpius esse inferre injuriam quam accipere? Pol. Ita. So. Nunc etiam apparuit esse deterius? Pol. Apparuit. So. Eligeresne tu, o Pole, magis id quod deterius turpeque est, quam id quod minus? Ne pigeat respondere, Pole: nihil enim obfuerit. sed te rationi tanquam medico committas ingenue: atque respondens aut concede quæ dico, aut nega. Pol. Nunquam, o Socrates, istud eligerem. So. Alius vero quisquam hominum id reciperet? Pol. Mihi quidem per hanc rationem non videtur aliquis recepturus. So. Quamobrem vera dicebam, neque me neque te neque alium quenquam recepturum facere injuriam magis quam pati, quippe cum sit deterius. Pol. Apparet. So. Vides ergo, Pole, facta argumentorum comparatione, ea inter se maxime discrepare. Nam tibi quidem alii præter me omnes assentiuntur: mihi vero solus ipse sufficis assentiendo [476] atque testificando; cujus ego solius suffragium sententiamque rogavi, ceteros vero dimitto. Atque id quidem sic habeto. Post hæc autem, quod secundo loco dubitabamus, jam consideremus: Utrum injustiantem pœnas dare maximum sit malorum, ut ipse putabas: an majus non dare pœnas, ut ego putabam. Consideremus autem hoc pacto: Dare pœnas injuriarum atque juste puniri num idem appellas? Pol. Idem. So. An potes negare justa omnia, quatenus justa sunt, esse pulchra? et vide, ut respondeas

Digitized by Google

provide. Pol. Mihi quidem æque ac tibi videtur. So. Id quoque animadverte, An si quis agat quippiam, necesse sit esse aliquid patiens ab ipso agente. Pol. Videtur. So. An ergo hoc et pati oportet, quod agens agit: et tale insuper, quale agit ipsum? ceu si quis pulset, necesse aliquid inde pulsari? Pol. Necesse. So. Atque si vehementer aut velociter pulset, similiter pulsari pulsatum? Pol. Similiter. So. Talis ergo passio inest pulsato, qualem efficit pulsans? Pol. Omnino. So. Et si quid comburat quis, oportet aliquid inde comburi? Pol. Oportet. So. At si vehementer exurat et, ut ita dixerim, dolorose, similiter et uri quod uritur, quemadmodum urit urens? Pol. Prorsus. So. Similiter si quis secat, secatur enim aliquid? Pol. Ita. So. Ac si lata vel profunda aut dolorosa sit sectio, tali necesse est quod secatur sectione secari, quali sector ipse secat? Pol. Videtur. So. Considera vero summatim, an quod modo dicebam, in cunctis confiteare: videlicet quale aliquid agens agit, tale quiddam pati patiens. Pol. Confiteor. So. His ergo concessis responde, num pœnas dare sit pati aliquid aut agere. Pol. Pati. So. Nonne et a quodam agente? Pol. Constat, ab ipso videlicet puniente. So. Qui autem recte punit, nonne juste punit? Pol. Juste. So. Justa faciens, necne? Pol. Justa. So. Ergo qui punitur, dum injustitiæ dat pœnas, justa patitur. Pol. Apparet. So. Justa vero dictum est esse pulchra. Pol. Prorsus. So. Horum igitur alter quidem pulchra facit: alter vero, scilicet punitus, pulchra patitur. Pol. Sic est. So. Quod si pulchra, etiam bona. [477] nam vel jucunda illa sunt, vel utilia. Pol. Necesse est. So. Bona ergo patitur, quisquis juste punitur. Pol. Videtur. So. Id ergo sibi prodest. Pol. Confert. So. An non, ut quo pacto judico explicem, meliorem reportat animum, siquidem juste punitur? Pol. Consentaneum est. So. Ergo qui luit pœnas, a pravitate animæ liberatur. Pol. Certe. So. Itaque maximo liberatur malo. ita vero considera. circa pecunias aliudne hominis malum vides, quam paupertatem? Pol. Hanc ipsam. So. Circa corpus autem malum dices imbecillitatem, morbum, deformitatem, ceteraque ejusmodi? Pol. Equidem. So. Nonne et in anima malum aliquod esse censes? Pol. Quidni? So. Id vero nonne vocas injustitiam, inscitiam, timiditatem, et alia generis ejusdem? Pol. Maxime. So. Cum igitur hæc tria sint, pecunia, corpus, anima; tria horum esse dixisti mala, paupertatem, morbum, injustitiam. Pol. Certe. So. Horum vero malorum quidnam turpissimum? nonne injustitia, et, ut summatim dicam, animæ vitium? Pol. Valde quidem. So. Quod si vitium animi turpissimum est, ergo et pessimum. Pol. Qua ratione hoc ais, o Socrates? So. Hac utique: Semper quod turpissimum est, vel quia dolorem vel quia detrimentum infert maximum, vel quia facit utraque, turpissimum est: quemadmodum per ea, quæ in superioribus concessa sunt, apparet. Pol. Maxime. So. Turpissimum vero esse injustitiam et omne animi vitium, non nobis concedebatur? Pol. Certe. So. Quare aut quia molestissimum est et molestia superans, iccirco horum turpissimum est: aut quia detrimentum affert, aut propter utrumque. Pol. Sic oportet. So. Numquid molestius est injustum esse, intemperatum, ignavum, imperitum, quam paupertate morboque premi? Pol. Non certe, quantum ex his conjicitur. So. Quoniam igitur incredibili quadam mirabilique magnitudine detrimenti atque mali vitium animæ cetera superat mala, iccirco omnium est turpissimum: quandoquidem non dolore excedit, ut ipse ais. Pol. Sic apparet. So. Jam vero quod maximo excedit damno, maximum omnium est malorum. Pol. Ita est. So. Quamobrem injustitia, intemperantia, ceteraque improbitas animæ, malum est omnium maximum. Pol. Videtur. So. Quænam ars a paupertate nos liberat? nonne quæstuaria? Pol. Hæc ipsa. So. Quæ vero

Digitized by Google

a morbo? an non medicina? Pol. Hæc sane. So. At quenam a pravitate et [478] injustitia? Sin minus id tibi succurrit, ita considera: Quonam et ad quos potissimum ducimus morbis corporeis ægrotantes? Pol. Ad medicos, Socrates. So. Quo autem injuriantes atque dissolutos? Pol. Ad judices. So. Ut videlicet puniantur. Pol. Assentior. So. Nonne qui recte puniunt, justitia quadam freti puniunt? Pol. Procul dubio. So. Quæstuaria ergo pellit paupertatem: Medicina vero abigit morbos: Judiciaria denique intemperantiam et injustitiam amovet. Pol. Sic apparet. So. Quid ergo horum est pulcherrimum? Pol. Quorum dicis? So. Quæstuariæ, medicinæ, judiciariæ. Pol. Multo exsuperat judiciaria, Socrates. So. Ergo vel voluptatem affert plurimam vel utilitatem, vel ambo, si modo pulcherrima sit. Pol. Sequitur. So. An ergo curari a medico delectabile est, et inter manus medici oblectantur, dum curantur infirmi? Pol. Non apparet. So. Conducit tamen, nonne? Pol. Confert. So. Quoniam videlicet magno liberantur malo, quapropter utile est tolerare dolorem, ut sanus evadas. Pol. Procul dubio. So. An ergo felicissimus, quantum ad corpus attinet, is foret, qui per medicinam curatus convaluerit: vel potius qui a principio non ægrotaverit? Pol. Certe qui non ægrotarit. So. Nempe non in hoc consistere videtur felicitas, ut liberemur a malis: sed ut ab ipso initio simus incolumes. Pol. Ita est. So. Quid vero si duo male vel corpore vel animo affecti sint, uter horum miserior? num qui curatus liberatur a malo, an qui minime? Pol. Qui non curatur. So. Nonne in judicio puniri, a maximo quodam malo, id est a pravitate, liberatio erat? Pol. Erat certe. So. Quippe cum punitio justa moderetur, justioresque efficiat, tanquam medicina quædam improbitatis. Pol. Ita est. So. Felicissimus ergo qui non habet animi vitium: quandoquidem id maximum apparuit esse malum. Pol. Absque dubio. So. Secundo autem loco qui a malo ejusmodi liberatur. Pol. Apparet. So. Hic vero est qui correptus perterritusque pœnas dederit. Pol. Is ipse. So. Pessime ergo vivit qui injustus est nec ab injustitia solvitur. Pol. Apparet. So. Nonne hic est qui maximis perpetratis injuriis, maximaque injustitia fretus, effecerit ut neque corripiatur [479] neque puniatur neque persolvat pœnas: quemadmodum effecisse dicis Archelaum aliosque tyrannos et oratores atque potentes? Pol. Apparet. So. Ferme enim ejusmodi homines, o vir optime, perinde faciunt, ac si quis morbis gravissimis occupatus, det operam, ne vitiorum quæ in corpore sunt, sub medico pœnas reportet, neque curetur: puerorum more formidans ustionem atque sectionem, tanquam rem molestam. nonne tibi quoque ita videtur? Pol. Mihi quidem. So. Quoniam videlicet quanti sit sanitas corporisque virtus ignorant. Videntur autem per ea quæ modo concessimus, tale quiddam facere, o Pole, illi qui judicium fugiunt: ad dolorem quidem ejus aspicere, ad utilitatem vero cæci esse, atque ignorare quanto miserius est cum animo non sano, sed fracto, injusto, impio, quam cum non sano corpore degere. Itaque dant operam, ne judicium subeant, neve maximo solvantur malo: eaque de causa pecunias cumulant, comparant amicos, eloquentiæ student. At vero si nos, o Pole, vera confessi sumus, sentis quid ex hac discursione sequatur? an vis, singula per consequentiam disponamus? Pol. Ut libet. So. Nonne evenit, maximum esse malum injustitiam atque injuriam? Pol. Videtur. So. Præterea mali hujus solutionem esse constitit pœnas luere? Pol. Apparuit. So. Eas vero effugere, mali perseverantiam. Pol. Certe. So. Igitur inter mala magnitudine secundum obtinet locum injuriam facere: at vero efficere ne injuriarum pœna maxime subeatur, omnium natura maximum est primumque malorum. Pol. Videtur. So. Hoc est igitur, o amice, de quo ambigebamus. tu quidem Archelaum esse dicebas feli-

Digitized by Google

cem, qui eum maximas perpetrarit injurias, nullas pendit pœnas. ego autem contra putabam: videlicet sive Archelaus sive alius quivis hominum injuriarum supplicia non rependat, eum ante alios esse miserrimum: ac semper eum qui intulit, eo qui patiatur injuriam, esse miseriorem; denique illum qui non luat pœnas, illo qui luat. An non hæc erant quæ a me dicebantur? Pol. Hæc ipsa. So. Nonne demonstratum est, vere hæc dicta fuisse? Pol. Apparet. [480] So. Esto, o Pole, si ergo hæc vera sunt, quidnam opus est rhetorica? nempe ex superioribus sequitur, oportere diligentissime custodire nosipsos, primum quidem, ne cui injuriam inferamus, tanquam satis mali ob hoc ipsum habituros. nonne ita? Pol. Ita certe. So. Deinde vero, sive per nos sive per alium quempiam nobis earum inferatur injuria, sponte nostra ad judicem puniturum, tanquam ad medicum properare; ne antiquatus injuriæ morbus sic inficiat animum, ut insanabilem reddat. Quonam alio pacto dicemus, o Pole, si maneant priora illa inter nos concessa? nonne hæc ita illis necessario consonant, aliter vero nequaquam? Pol. Quid enim, o Socrates, dicere possumus? So. Ad defendendam igitur aut excusandam injustitiam nostram, vel parentum vel amicorum aut filiorum aut patriæ injuriantis, nullius, o Pole, utilitatis nobis est rhetorica. nisi quis judicet contra oportere rhetorica uti, ad accusandum videlicet, primo quidem nosipsos, deinde domesticos familiaresque et alios, si quis eorum qui nobis cari sunt, injurias perpetraverit: ne lateant eorum crimina, sed producantur in lucem; unde pœnas illi persolvant sanique evadant. præterea ad compellendum se ipsum et alios, ne expavescant, sed forti animo et quasi conniventibus oculis judici tanquam medico secandos urendosque se tradant, bonum ipsum honestumque sequentes dolore contempto. itaque si verberibus digna commiserint, verberandos sese tradant: si vinculis, vinciendos: si mulcta, mulctandos: si exsilio, expellendos: si nece, necandos. qua quidem in re unusquisque sui ipsius sit eorumque accusator: atque ad hoc oratoria facultate utatur, ut patefactis injuriis a maximo injustitiæ malo solvantur. Itane, o Pole, an aliter dicimus? Pol. Absurda quidem ista, o Socrates, mihi videntur: veruntamen tibi forte superioribus consonant. So. Nonne aut superiora illa dissolvantur oportet, aut hæc sequentia concedantur? Pol. Ita se res habet. So. Contra vero reputando, si alicui malefacere oportet, sive inimico sive alii cuipiam, id dumtaxat cavendum est, ne ipse ab adversario injuriam patiatur: ac si alius injuriam faceri inimicus, omni studio providendum est et verbis et operibus, ne luat pœnas [481] neve trahatur ad judicem: ac si trahatur, contendendum est, ut inimicus evadat nec puniatur: immo sive aurum multum rapuerit, ut non restituat, sed possidens ipse in se atque suos injuste impieque dispertiat: sive morte digna commiserit, ne moriatur unquam, si fieri potest, sed immortalis sit malus: sin autem minus id fieri potest, saltem ut sic affectus plurimum tempus vivat. Ad hæc et hujusmodi mihi videtur, o Pole, conferre rhetorica. illi vero, qui non sit illaturus injuriam, haud magna ejus esse videtur utilitas, si modo in ea est utilitas aliqua. nam in his, quæ superius dicta sunt, nulla prorsus apparebat. Cal. Dic mihi, o Chærephon, serione hæc loquitur Socrates, an jocatur? Chæ. Mihi quidem videtur, o Callicles, mirum in modum loqui serio. haud tamen importunum fuerit ab ipso requirere. Cal. Cupio per deos. dic mihi, o Socrates, utrum existimare debeamus te nunc serio loqui, an joçari. si enim serio loqueris et sunt vera quæ dicis, perversa procul dubio nobis est vita, atque omnia agimus contra quam decet. So. O Callicles, nisi nobis inesset affectus, etsi aliis quidem alius, tamen in plerisque communis; sed aliquis nostrum proprium quendam singularemque præter ceteros haberet affectum: haudquaquam facile foret, quod in se quisque sentiret, allis ex-

Digitized by Google

plicare. Quorsum hæc? nempe animadverto, me atque te nunc idem pati: cumque duo simus, duo quædam amare. Nam ego philosophiam amo: tu vero populum Atheniensem. Sentio itaque, si in concione tibi populus contradixerit, te consuevisse mutare sententiam, atque ea dicere quæ illi placere intelligas, nec ullo modo posse voluntati ejus obsistere. Quamobrem si quis illa, quæ tu gratia populi dicis, admiratus, absurda esse objecerit, respondebis forsitan, modo vera fateri velis, nisi is quem tu amas, [482] populus mutet sententiam, nec unquam te mutaturum. Idem tibi forte contingeret erga privatum quendam, si quem vehementer amares. Arbitrare igitur, talia a me quædam te audire; nec talia me dicere admireris: sed da operam, ut philosophia quam amo, hæc velle desistat. Dicit enim illa, o dulcis amice, semper quæ a me audis. et si familiarium quidam alias mihi loquitur aliter; philosophia tamen semper eadem. dicit autem quæ tu nunc admiraris: modo enim præsens audisti. Aut ergo illam, quod nuper dicebam, redargue, atque ostende, injuriam facere nec dare pœnas non extremum esse malorum: aut, si hoc stare sinis, prædico tibi, o Callicles, per canem Ægyptiorum deum, nunquam te Callicli consensurum, sed in omni vita repugnaturum. Atqui ego, o vir optime, præstare judico, ut lyra mihi discordet et dissonet, chorusque quem ducam, ac multi præterea homines contradicant, quam ut ego unus mihimet dissonem atque repugnem. Cal. O Socrates, videtur hæc tua juvenilis quædam in disputando jactantia, ac revera vulgaris quidam appares concionator: et nunc quidem in his concionaris; cum idem Polo evenerit, quod evenisse Gorgiæ, paulo ante erga te accusabat. nam Gorgiam quodam in loco a te interrogatum, si pergeret ad ipsum aliquis rhetoricam percepturus, sed juris ignarus, an illum doceret, rubore adductum, inquit Polus, affirmavisse illum se esse docturum: idque ob ipsos hominum mores, qui graviter ferrent, si quis talia non concederet. ob hujusmodi deinde concessionem coactum esse Gorgiam sibimet contradicere. et te quidem juste tunc meo judicio irrisit, quod hujusmodi ineptias sequereris. Nunc vero rursus Polo eadem evenerûnt: atque ego Polum in hoc minime probo, quod tibi concesserit, injuriam turpius esse facere quam pati. ob quam concessionem impeditus a te, quæ cogitaverat, explicare non potuit. Tu vero revera, o Socrates, in scrupulos concionalesque difficultates audientes adducis, dum veritatem sequi te profiteris. affers utique in medium quæ natura quidem pulchra non sunt, sed lege. Plerumque vero accidit, ut contraria sint inter se lex atque natura. Si quis igitur erubescat neque audeat quæ [483] sint exprimere, contraria sibimet fateri compellitur, tu vero id astutius animadvertens, insidiaris in verbis. Si quis enim secundum legem loquatur, tu deinceps secundum naturam interrogas. si vero secundum naturam ille, ipse secundum legem: quemadmodum de inferenda vel sustinenda injuria modo feciati. Cum enim Polus secundum legem inferre turpius esse diceret, ipse legem ea persecutus. Natura enim quidquid pejus est, idem et turpius, quale est injuriam pati: lege vero, inferre. non enim viri est injurias pati, sed mancipii cujusdam, cui melius esset mortuum esse quam vivere: quod quidem, contumeliis injuriisque affectum, neque sibi neque suis potest opitulari. Verum, ut ego arbitror, qui leges condunt, imbecilliores sunt plures. Itaque utilitati consulentes suæ leges constituunt. præterea laudes vituperationesque disponunt, metu potentiorum adducti, ne qua in re excedere eos possint. itaque aiunt turpe injustumque esse aliis plus habere; idque definiunt injuriam facere, plus videlicet quam alii ut habeas, quærere. satis enim sibi factum putant, si cum inferiores sint, æquam habeant portionem. Ob hanc igitur rationem lege quidem id injustum turpeque dicitur, quærere ut habeas plus quam ceteri: atque hanc vulgo injuriam nominant.

Digitized by Google

Natura vero ipsa, ut puto, demonstrat, ut præstantior plus habeat quam inferior, et potentior quam debilior. Ostendit vero multis hæc modis, tum in ceteris animantibus, tum in cunctis civitatibus atque gentibus, apud quas justum esse censetur, ut potentior infirmiori dominetur, plusque possideat. Nam quo jure Xerxes adversus Græcos duxit exercitum, vel pater ejus contra Scythas, aut innumerabiles alii, quos referre quis posset? Sed hi, ut arbitror, secundum naturam juris ipsius hæc agunt, ac per Jovem secundum ipsius naturæ legem: non tamen fortasse juxta leges has a nobis conditas, per quas præstantissimæ ac validissimæ indolis adolescentes ab incunabulis tanquam leones capientes, quasi quibusdam magicis carminibus fascinamus, servilemque in modum subjicimus, [484] dicentes æquitatem esse servandam, idque pulchrum justumque esse. At si quis præstantis naturæ vir insurgat, ac literas, fascinationes incantationesque hujusmodi vestras pessundans atque discindens, legesque omnes quæ desciscunt a natura, subvertens, ceteris dominetur, in eo jam naturæ ipsius jus effulget. Videtur autem mihi Pindarus hæc eadem in quodam cantu ostendere, ubi legem ait omnium esse reginam mortalium atque immortalium: eamque jus agere violenter præpotenti manu. Idque conjectare se dicit ex rebus gestis ab Hercule: qui, etsi carmen ipsum haud satis memoriter teneo, memini tamen ipsum dicere, Herculem neque emptos neque donatos Geryonis boves abegisse; utpote naturali ipso jure dictante, et boves et cetera omnia quæ ab hominibus possidentur, illius esse debere qui præstantior sit atque valentior. Veritas igitur ita se habet. idque plane cognoscas, si ad majora te jam, dimissa philosophandi cura, converteris. Nam philosophia quidem, o Socrates, gratiosa res est et venusta, si quis illam moderate in adolescentiaque attingat. sin autem supra modum tempus in ea contriverit, hominum est corruptela. Quamvis enim quis optimo a natura sit ingenio præditus, tamen si diutius per ætatem jam provectam philosophetur, necessario omnium rerum imperitus evadet, quarum omnino clarum, bonum, excellentem virum oportet habere peritiam. nam et legum civilium et verborum, quibus in consuetudine cœtuque hominum tam publice quam privatim uti decet, voluptatum præterea cupiditatumque humanarum et, ut breviter comprehendam, morum prorsus fiunt ignari. Quocirca quotiens ad aliquam rem gerendam vel publicam vel privatam sese conferant, habentur ridiculi: quemadmodum et civiles viri, si in vestras exercitationes disputationesque descendant. evenit enim illud Euripidis, *Qua in re clarus quisque est, ad eam properat, et dici partem illi plurimam impartit, ut ipse se superet.* [485] ubi vero inferior sit, inde fugit illudque vituperat: aliud vero laudat, quadam sui ipsius benevolentia; existimans se ipsum ita laudare. Verum præstare arbitror, amborum participem fieri. philosophiæ quidem, quatenus disciplinæ gratia deceat. Nec turpe quidem est adolescenti philosophari. sed cum grandior natu philosophiæ adhuc incumbit, res est, o Socrates, valde ridicula. Equidem similiter affectus sum erga eos qui philosophiæ dant operam, atque illos qui balbutiunt ac ludunt, quotiens enim aspicio puellum, cui decorum adhuc est loqui ita balbutientem ludentemque, delector; festivumque et liberale mihi videtur, puerilemque decens ætatem. quotiens vero puellum audio verba expeditius exprimentem, molestum quiddam mihi oboritur, auresque offendit meas, atque servile quippiam præ se ferre videtur. Ceterum cum virum quis vel audit balbutientem vel videt ludentem, ridiculum id quidem a viroque alienum ac dignum plagis apparet. Idem igitur erga philosophantes mihi evenit. In adolescente enim philosophiam cernens valde delector, decensque judico, atque ingenuum esse hominem hunc existimo: eum vero, qui non philosophetur, illiberalem, nec unquam præclarum aliquid ac generosum de se ipso præstiturum. Sed quando

Digitized by Google

grandiorem natu philosophantem animadverto, neque dum studia ejusmodi deserentem, verberibus jam hunc virum, o Socrates, indigere censeo. Quippe cum, quemadmodum modo dicebam, huic accidat homini, ut etiamsi ingenuus indolis sit, tamen servilis evadat. fugit enim mediam civitatem forensesque consuetudines, in quibus poeta inquit viros fieri præstantissimos: abscondens sese cum tribus vel quatuor pueris, et in angulis susurrando vitam ducens, nihil unquam liberale aut magnificum prolaturus. Ego autem valde te, o Socrates, amo. Itaque idem mihi evenit erga te, quod et Zetho erga Amphionem apud Euripidem, cujus modo mentionem feci. talia nunc mihi quædam adversus te dicere venit in mentem, qualia adversus fratrem ille dicit. Profecto ea, o Socrates, negligis, quæ meditari deberes, atque adeo generosæ mentis præstantiam specie quadam puerili conformas: nec in judiciis consultationibusque [486] verba recte scires facere, neque conveniens quicquam probabileque eligere, nec aliis prompte consulere. o amice Socrates, ne mihi sis infensus. benevolentia enim erga te mea ad hæc proferenda nunc adducor. Nonne turpe ducis sic te habere, quemadmodum ego arbitror habere te aliosque omnes, qui philosophiam diutius prosequuntur? Nempe si te nunc, aut alium quempiam vestrum quis comprehendens in carcerem traheret, asserens te, quamvis non facias, tamen injuriam facere: certe quid agturus esses omnino ignorares; sed vacillares oscitaresque, defensionis tuæ prorsus ignarus. proinde adductus in judicium, vel ab ignavo sycophantaque accusatore, ultimo supplicio, si modo illi placeret, afficereris. Jam vero quomodo id ad sapientiam spectat, o Socrates, si quis ars ingenuum mentis nacta virum, reddit deteriorem: adeo ut nec ipse sibi opem ferre valeat, nec ex gravissimis periculis se aut alium quenquam servare; sed inimicorum raptorumque exponat injuriis, inglorium in civitate degentem? Jam vero ejusmodi virum, etsi dicta sit agrestius, licet super genam impune pulsare. Quamobrem, o bone vir, mihi credens desine jam in vanis versari argutiis; decora rerum gerendarum exerce officia, atque hoc exerce ex quibus sapere videaris: ista vero arguta, sive deliramenta appellari oportet sive nugas, ex quibus vacuas habitabis domos, aliis relinque: denique imitare non eos, qui hæc exigua captant, sed eos, quibus vita et gloria et alia bona adsunt complurima. So. Si aurea mihi, o Callicles, anima foret, nonne arbitraris me libenter reperturum aliquem ex his lapidibus optimum, per quos probari aurum solet, ad quem lapidem animam admovens mecum, si ab ipso quasi recte educata approbaretur, certo scirem me satis habere, nec probatione ulterius alia indigere? Cal. Quorsum hæc, o Socrates? So. Dicam equidem. nempe arbitror, cum te nactus fuerim, me jam pretiosum hunc lapidem esse nactum. Cal. Quam ob causam? So. Quoniam certo scio, ea quæ tu mecum senseris in his, quæ meus animus opinatur, fore procul dubio vera. Censeo namque, illum qui alicujus sufficienter [487] probaturus sit animam, utrum illa quidem recte instituta sit necne, tria potissimum habere debere, quæ ipse habes omnia, scientiam primo, deinde opinionem, prudentis scilicet atque benevoli, tertio audaciam. Nam multos equidem reperio, qui me propterea recte examine probare non possunt, quod sapientes non sunt, quemadmodum tu esse videris, alii vero sapientes quidem sunt, sed veritatem mihi dicere nolunt, ex eo quod mei curam non habent, ut te habes. Peregrini vero isti, Gorgias et Polus, sapientes quidem sunt, neque diligunt; verum deest eis audacia, verenturque ultra quam oporteat. Quod quidem cuinam dubium esse possit? quippe cum eo usque processerint verecundiæ, ut utrique ob ipsam verecundiam in præsentia multorum hominum ausi fuerint sibi ipsis de rebus maximis contradicere. Hæc autem omnia quæ alii non habent, ipse habes. Principio ea abunde doctus, quod multi confirmarent Athenis-

Digitized by Google

ensee; mihique es benevolus. quod quæ conjectura intelligo, tibi dicam. Novi equidem, o Callicles, quatuor vos in sapientiæ studio socios, te scilicet et Tisandrum Aphidnæum et Andronem Androtionis Nausicydemque Cholargeum. atque audivi aliquando, cum inter vos agitaretur, quousque sapientiæ studendum foret, ejusmodi apud vos vicisse sententiam. Non esse ad exactam philosophiæ diligentiam contendendum, sed cavendum esse, ne ultra quam deceat sapientes facti, clam vos ipsos depravaretis. Cum igitur audio idem te mihi consilium dantem, quod amicissimis tuis dedisti, sufficiens argumentum est veri amoris erga me tui. Proinde quod audaciæ satis habes, nec te pudor impedit, et tu ipse affirmas, et oratio quam paulo ante hic habuisti, tibi perhibet testimonium. Cum hæc igitur ita se habeant, si quid tu mihi in disputando concesseris, satis jam nobis probatum erit; neque oportebit ad examen aliud id referre: alioquin tu mihi nunquam id concessisses, vel sapientiæ defectu vel verecundia adductus vel decipiendi causa. amicus enim mihi es, ut ipse ais. Revera igitur mea tuaque confessio finem jam veritatis habebit. Harum vero consideratio rerum, in quibus me ipse corripuisti, omnium, o Callicles, pulcherrima est, Qualem esse virum deceat; quidque et quousque tam in juventute [488] quam in senectute exercere conveniat. Ego vero si quid in vita mea minus recte ago, certum habeto me non sponte mea, sed inscitia potius aberrare. Quamobrem tu, quemadmodum admonere cœpisti, perge quæso, planeque mihi demonstra quidnam est istud, quod mihi quærendum est, et qua via consequi valeam. Quod si me consentientem tibi nunc habebis, postea vero quæ assensus fuerim, minus præstare deprehendas, socordem omnino ignavumque me putato, neque ulterius in me in ammonendo, quasi omnino perdito, operam perdas. Resume vero mihi ab initio, quemadmodum tu et Pindarus dicebatis: Justum id esse natura, potentiorem per vim auferre ea quæ imbecilliorum sunt, et dominari meliorem deteriori, plusque habere eum qui præstantior sit, quam qui abjectior. Nunquid aliud dicis esse justum? an recte memini? Cal. Hæc et tunc dicebam et nunc dico. So. Utrum vero meliorem vocas eundem atque potentiorem? neque enim tunc plane, quid diceres, intelligere potui. Num validiores appellas potentiores: oportetque validioribus infirmiores obtemperare? quemadmodum tunc videris demonstravisse, quando dicebas, magnas civitates adversus parvas naturali jure insurgere, propterea quod potentiores sunt atque validiores: quasi idem sit potentius validiusque, et melius. An fieri potest, ut aliquis melior quidem sit, inferior tamen atque imbecillior? Similiterque ut potentior sit, deterior tamen? Vel eadem melioris atque potentioris est definitio? Hoc ipsum mihi apertius explica, idemne an aliud sit potentius et melius atque valentius. Cal. Equidem manifeste tibi assero, idem esse. So. Nonne multitudo ipsa natura uno potentior est? quæ quidem leges constituit super unum, quemadmodum nuper ipse dicebas? Cal. Quidni? So. Multitudinis ergo leges, potentiorum sunt. Cal. Omnino. So. Nonne igitur et meliorum? qui enim potentiores sunt ut ipse ais, valde sunt meliores. Cal. Sic certe. So. Nonne horum constitutiones natura sunt rectæ, cum potentiores sint? Cal. Sic affirmo. So. Nonne multitudo statuit, quemadmodum nuper ipse dicebas, justum esse servari inter omnes æqualitatem: atque esse turpius injuriam inferre quam pati? [489] estne ita, an aliter? Ac vide, ne hic tu quoque ob verecundiam capiaris.. Constituit multitudo ista, necne: videlicet justum esse servari æquitatem, non autem, alium alio plus habere; atque turpius esse facere injuriam quam accipere? Nulla te, o Callicles, invidia, quæso, detineat, quominus ad hæc mihi respondeas: ut si mecum senseris, abs te confirmer, tanquam viro ad judicandum abunde sufficiente. Cal. Sic utique statuit

Digitized by Google

multitudo. So. Non ergo lege sola, et turpius est facere injuriam quam pati, et justum est æquitatem servare; sed etiam ipsa natura. Quapropter videris in superioribus non vere dixisse, neve me recte accusavisse, dicens contraria esse legem atque naturam: meque hæc animadvertentem solere in verbis insidiari, atque si quis secundum naturam loquatur, ad legem; si quis vero secundum legem, ad naturam deducere. Cal. Hic vir nunquam desistet in nugis versari. Dic mihi, o Socrates, nonne te pudet, cum tam grandis natu sis, venari nomina: atque si quis verbo excidat, tanquam id tibi lucro veniat, impense captare? Putas me aliud dicere potentiores esse quam meliores? nonne dudum tibi dico, idem esse melius atque potentius? An putas me dicere, si fæx servorum hominumque undique vilissimorum in unum confluat, istos, præterquam fortasse corporis viribus, esse potentiores: et quæ isti statuant, esse jura? So. Agedum, o sapientissime Callicles, itane dicis? Cal. Et maxime quidem. So. At ego, beate vir, jamdudum conjecto, tale aliquid te potentius appellare: atque interrogo, cupiens quid velis aperte cognoscere. non enim tu duos meliores judicas esse quam unum? neque servos tuos te meliores, quia videlicet robustiores sint? Verum rursus a principio dicas, quos tandem ais meliores esse, quando non validiores: et vide, precor, o vir mirifice, ut mitius me doceas, ne a scholis tuis aufugiam. Cal. Ironia loqueris, o Socrates. So. Non per Zethum, o Callicles, quo tu fretus, multa usus adversus me nunc es ironia. Verum dic age, quosnam meliores appellas? Cal. Præstantiores equidem. So. Vides ergo, te nomina dumtaxat dicere, ostendere vero nihil. Non aperis, meliores potentioresque utrum prudentiores, an alios quosdam esse dicas? Cal. Per Jovem hos dico, et maxime quidem. So. Sæpe igitur unus prudens complurimis imprudentibus [490] secundum sermonem tuum potentior est: atque hunc par est dominari, ceteros vero subesse, plusque habere eum his quibus imperat. hoc enim dicere mihi velle videris: neque verba aucupor: si quidem unus sit multis potentior. Cal. At hæc ipsa sunt quæ dico. hoc enim ego arbitror jus esse naturæ, eum videlicet, qui melior prudentiorque sit, imperare atque plus inferioribus possidere. So. Siste parumper. quid tandem putares, si hoc in loco, ut nunc, congregati essemus multi, forentque nobis communia esculenta et poculenta complurima: nos vero omnis essemus generis, partim quidem validi, partim vero imbecilles: unus autem nostrum omnium circa hæc prudentissimus, fortasse medicus: ac foret hic, ut consentaneum est, aliis quidem robustior, aliis vero debilior: nonne hic prudentior, præterea melior, quantum ad hæc pertinet, et potentior erit? Cal. Omnino. So. Utrum vero horum esculentorum propterea plus habere debet quam nos, quia sit melior? an potius ob ejus præstantiam omnia distribuere debet; neque in distribuendo pro se plus retinere: alioquin mulctandus sit: sed aliis plus, aliis minus habere? ac si omnium debilissimus sit, minimum sibi quamvis optimo tribuendum est, o Callicles? nonne ita, o bone vir, est dicendum? Cal. De esculentis et poculentis et medicis atque ejusmodi nugis verba facis: ego vero non de his loquor. So. Utrum igitur prudentiorem esse meliorem dicis, necne? responde. Cal. Equidem. So. At non oportet, et melior plus accipiat? Cal. Non de cibis atque potionibus. So. Intelligo. forte enim de vestibus: atque oportet eum, qui sit in conficiendis vestibus peritissimus, magnam habere tunicam, ac multis pretiosisque ornatum incedere vestibus. Cal. Quas tu vestes mihi narras? So. At forsitan in calceis oportet eum plus accipere, qui in eis prudentior sit et melior: ac forsitan ipse coriarius maximos pluresque habere debet calceos, multosque suis pedibus circumferre. Cal. De quibus calceis nunc deliras? So. Quod si non talia, saltem ejusmodi quædam dicis, ceu

Digitized by Google

virum in colendis agris prudentem honestumque et bonum debere plus reportare seminis, plurimoque in suis agris uti semine. Cal. Quam semper eadem dicis, o Socrates! So. Non solum eadem, o Callicles, sed eisdem quoque de rebus. Cal. Per [491] deos, semper tu cerdones, coriarios, fullones, coquos, medicos habes in ore, quasi de his instituta nobis disputatio fuerit. So. Nonne ergo ipse dices aliquando, quibus in rebus potentior atque prudentior juste possidere plus debeat? vel neque me permittes dicere, neque ipse dices? Cal. At ego id jamdiu dico: primo quidem qui potentiores sint, non enim cerdones dico neque coquos, sed eos qui in administranda re publica sint prudentes: neque prudentes solum, verum etiam fortes, qui ad ea quæ excogitaverunt perficienda aptissimi sint, neque animi mollitie ulla succumbant. So. Advertisne, o Callicles, non de eisdem me a te, atque vicissim te a me accusari? tu quidem me accusas, quasi semper eadem repetentem: ego vero te contra, tanquam de rebus eisdem nunquam eadem afferentem, si quidem alias meliores atque potentiores esse definis validiores, alias autem prudentiores. Nunc præterea aliud quiddam affers. fortiores enim nunc quidam a te potentiores melioresque nominantur. Verum age, tandem explica, quos potissimum et ad quid meliores potentioresque dicas. Cal. Jam dixi, prudentes videlicet in rebus publicis atque fortes. hos enim decet civitatibus imperare: idque justum est, ut plus aliis habeant, dominantes videlicet subjectis. So. Quid vero? sibine ipsis ulla ratione dominari sive parere decet? Cal. Quemadmodum dicis? So. Dico, num sibi quisque debeat imperare: an nihil opus sit, ut sibi quidem imperet, sed aliis duntaxat. Cal. Quomodo sibimet imperare dicis? So. Nihil obscurum dico, sed quemadmodum dicunt multi, temperatum et sui ipsius compotem, voluptatibus videlicet suis cupiditatibusque dominantem. Cal. Quam festivus es, o Socrates! stupidos homines nominas temperatos. So. Quid ais? nemo est, quin norit me id minime dicere. Cal. Immo valde quidem, o Socrates. nam quomodo beatus esse potest qui alicui serviat? Ceterum hoc est natura justum atque pulchrum, quod ego tibi nunc audacter dico, oportere illum qui recte vitam acturus sit, permittere cupiditates suas summopere augeri, nec eas ullo modo cohibere: atque his quam maximis quicquid petunt submiaistrare ob fortitudinem atque prudentiam, [492] et quemlibet earum affectum prorsus explere. Quod quidem quia multi consequi nequeunt, eos vituperant qui id assequuntur, ob verecundiam suam impotentiam abscondentes: feruntque intemperantiam esse turpem, quemadmodum in superioribus ipse dicebam. præterea in servilem habitum deducunt melioris naturæ homines: ipsique cum libidines suas explere nequeant, temperantiam atque justitiam probant propter ignaviam. Verum si his a principio contigisset, ut vel regum essent filii, vel ipsis natura sufficeret ad imperium aut tyrannidem aut potestatem aliquam sibi comparandam, profecto turpius pejusque esset, ut hujusmodi temperantia uterentur: qui, cum liceret ipsis frui bonis nec impedirentur ab ullo, ipsi sibi dominam præfecerint multitudinis legem sermonemque et vituperationem. Quo enim modo non miseri essent? siquidem propter quandam justitiæ temperantiæque honestatem nihil plus amicis tribuerent quam inimicis, etiam dum in civitate sua dominarentur. Ceterum, o Socrates, veritas ipsa quam tu sequi affirmas, ita se habet: luxuria, intemperantia, libertas, modo facultas suppetat, potentia est atque felicitas. cetera vero isthæc speciosa præter naturam adinventa, hominum sunt deliramenta, et nugæ penitus contemnendæ. So. Non ingenerose, o Callicles, audacia usus in disputando procedis. sane aperte nunc ea dicta sunt a te, quæ alii cogitant quidem, dicere tamen nolunt. quamobrem te, ut nullo modo desistas, obsecro, ut revera certiores efficiamur, qua sit ratione vivendum. Dic

Digitized by Google

ergo mihi, cupiditates eis non esse coërcendas, si quis optet esse talis, qualem oportet esse? immo permittendum, illas summopere augeri: atque earum expletionem aliunde comparandam? idque eis esse virtutem? CAL. Aio equidem. So. Si ita esset, non recte dicerentur beati esse, qui nullius indigeant. Alioquin lapides et mortui felicissimi forent. Veruntamen et illa, quam tu dicis, gravis est vita. neque admirarer, si in eo vera dicat Euripides dicens, *Quis novit, utrum vivere quidem mori sit, mori autem vivere?* et nunc forte re vera mortui sumus. audivi jam [493] equidem a sapiente quodam, nos nunc mortuos esse, corpusque nostrum sepulchrum esse nobis: partemque illam animæ, in qua cupiditates sunt, perinde se habere, ac si persuadendo vicissimque dissuadendo sursum deorsumque agitetur. Itaque elegans quidam vir, Siculus fortasse vel Italus, in his confabulatus, hanc animi partem, propter suasionem credulitatemque lubricam alludens nomini, dolium appellavit: dementes vero, profanos atque damnatos. Horum autem hanc animi partem, quæ libidinibus agitatur, tanquam futilem ob incontinentiam inexplebilem, perforatum esse dolium inquit. Quamobrem hic vir, o Callicles, contrarium tibi ostendit: eorum qui apud obscuros sunt inferos, eos esse miserrimos, qui tanquam omnino profani damnati sunt, atque aquam in vas perforatum cum alio etiam perforato vase inferre. Esse autem hoc aliud vas sive cribellum, ut dicebat is qui me docuit, dementium animum, quem ideo perforato vasi assimilavit, quod propter infidam affectionem oblivionemque nequeat infusum aliquid continere. Videbuntur haec alicui quodammodo mira: demonstrant tamen id quod ego volo, si qua ratione valeam persuadere tibi, ut pro inexplebili et incontinenti vitam moderatam præsentibusque semper contentam rebus eligas. Sed utrum per hanc tibi aliquid persuadeo, atque tu mutata sententia beatiores qui temperate vivant, quam qui intemperate, putas? an nihil proficio, atque licet multa simili ratione confabuler, nihilo magis ea sententiam mutaturus? CAL. Hoc, o Socrates, verius subjunxisti. So. Agedum, tibi similitudinem aliquam ex eodem gymnasio adducam. Attende, utrum perinde censeas de utriusque vita, temperati scilicet atque intemperati, ac si viri duo multa haberent vasa, et alter quidem integra atque plena, partim vini, partim mellis, partim lactis, aliaque similiter aliorum: sint vero singuli hi liquores rari quidem et inventu difficiles multisque et gravibus laboribus comparati. Is ergo cui plena sunt vasa, nihil superinfundere omnino curet: sed quantum ad hanc attinet, quietem agat. Alteri vero liquores sint quemadmodum alteri, qui comparari quidem, sed tamen cum difficultate possint: vasa vero perforata atque fracta, ut die nocteque continue illa [494] implere cogatur, aut extremis molestiis agitetur. cum talis igitur sit utriusque vita, alane vitam intemperati beatiorem esse quam temperati? An persuadeo tibi his verbis, ut vitam hominis moderati meliorem esse quam immoderati concedas? vel nondum persuadeo? CAL. Nequaquam, o Socrates. Nam illi cui plena sunt omnia, nulla amplius est voluptas: sed, quemadmodum modo dicebam, quasi lapis vivit, postquam semel impleverit; neque voluptatem sentit amplius neque molestiam. dulcedo autem vitæ in multa continuaque infusione consistit. So. An non necesse est, si multum influat, multum vicissim effluere? lataque effluxui patere foramina? CAL. Prorsus. So. Charadrii avis i. e. voraginis cujusdam tu rursus vitam dicis; non autem mortui aut lapidis. Atque mihi responde, num tale aliquid dicas, velut esurire atque esurientem comedere? CAL. Dico equidem. So. Et sitire sitientemque bibere? CAL. Dico equidem: atque reliquis similiter cupiditatibus affectum esse, explereque eas posse cum voluptate, beatam esse vitam affirmo. So. Euge, virorum optime, perge, ut cœpisti; nec te pudeat. oportet autem, ut videtur, me quoque pudore non detineri.

Digitized by Google

Ac primum mihi dicas, utrum scabiosum, sese fricantem, atque ita se habentem, ut continue id facere queat, beate vivere putandum sit. Cal. Quam ineptus es, o Socrates, ac re vera vulgaris concionator! So. Profecto, o Callicles, Polum quidem et Gorgiam conterrui et erubescere compuli. Tu vero cave ne terrearis, neque pudore impediare. fortis namque es. sed duntaxat responde. Cal. Dico utique fricantem quoque voluptuose vivere. So. Nonne si voluptuose, etiam beate? Cal. Procul dubio. So. Utrum si caput duntaxat fricet, vel amplius aliquid, a te quæro. Vide quid respondeas, Callicles, si quis te deinceps quæ consequuntur interroget. atque his quasi capitibus concessis, cinædorum istorum vita nequaquam gravis, turpis, infelix, dicenda erit. an ipse audebis eos beatos dicere, si ad votum his, quæ cupiunt, potiantur? Cal. An non te pudet, o Socrates, ad ista sermonem deducere? So. Egone, o generose vir, deduco? an ille potius, qui adeo impudenter asserit eos qui oblectantur, quocunque modo oblectentur, esse beatos; [496] neque distinguit quæ voluptatum bonæ sint et quæ malæ? Verum nunc saltem dic, Utrum idem esse asseras voluptatem atque bonum? an esse aliquid voluptarium quod non sit bonum? Cal. Ut mihi procul dubio ratus sit sermo, si aliud esse dixero, idem esse dico. So. Pervertis, o Callicles, illa quæ prius dicta sunt, nec amplius aptus es ad illa quæ perscrutamur investiganda, si quidem aliter quam tibi videtur es responsurus. Cal. Enimvero tu quoque, o Socrates. So. Atqui neque ego recte facio, si id facio, neque tu. Sed, o beate, vide ne hoc sit bonum, Omnino gaudere. alioquin quæ nunc subducta sunt, multa et turpia, atque alia insuper quam plurima evenire videntur, si hoc ita se habeat. Cal. Ut tu quidem putas, o Socrates. So. Tu autem re vera, o Callicles, hæc affirmas? Cal. Affirmo equidem. So. Vis ergo, quasi te serio loquente, disputationem aggrediamur? Cal. Volo certe. So. Age jam, cum hujusmodi sententiæ sis, distincte ad hæc mihi responde. Vocasne aliquid scientiam? Cal. Voco. So. Nonne fortitudinem quandam paulo ante cum scientia esse dicebas? Cal. Dicebam sane. So. Nunquid aliud fortitudinem, quam scientiam, quasi duo hæc sint, dicebas esse? Cal. Maxime. So. Voluptatem vero atque scientiam, idemne an aliud esse? Cal. Aliud, o sapientissime vir, dicebam. So. Num et fortitudinem a voluptate differre? Cal. Quidni? So. Age itaque, ut hæc meminerimus, Callicles quidem Acharneus voluptatem bonumque idem esse dixit: sed scientiam et fortitudinem tum inter se tum a bono differre. Socrates autem Alopecetes ista non concedit, nunquid concedit? Cal. Minime. So. Arbitror autem neque Calliclem talia concessurum, quando ipse recte consideraverit. dic mihi, felices et infelices nonne contrario modo affici putas? Cal. Puto equidem. So. An non si contraria hæc eorumque affectiones invicem sunt, necesse est ea ita se habere, quemadmodum sanitas atque morbus? non enim aliquis sanus simul est atque ægrotat: neque simul cessat sanitas atque morbus. Cal. Quo pacto dicis? So. Assumpto toto, si vis, corpore ita considera. Ægrotantne alicujus oculi eo morbo, qui [496] ophthalmia nominatur? Cal. Esto. So. Nunquid simul sani sunt? Cal. Non. So. Quid vero quando eo morbo quis liberatur, nunquid tunc sanitas oculorum cessat? et tandem morbus simul sanitasque discedunt? Cal. Minime. So. Mirum namque, ut arbitror, absurdumque id foret. Cal. Nimium quidem. So. Sed, ut puto, vicissim capit et amittit utrumque. Cal. Assentior. So. Robur quoque imbecillitatemque similiter. Cal. Certe similiter. So. Velocitatem rursus et tarditatem. Cal. Certe. So. Nonne et bona felicitatemque et horum contraria, mala videlicet atque miseriam, vicissim accipit utraque et vicissim amittit? Cal. Omnino. So. Si qua ergo reperiamus, a quibus aliquis liberatur simul et habet,

Digitized by Google

nimirum hæc non ita se habent, ut alterum quidem eorum bonum sit, alterum vero malum. hæcne confitemur? quid responsurus sis, considera diligenter. Cal. Confiteor procul dubio. So. Age utique, ad illa quæ prius concessimus revertamur. Famescere voluptarium dixisti esse an molestum? de fame ipsa interrogo. Cal. Molestum equidem. ac tamen famescentem comedere, voluptarium. So. Ego quoque intelligo. at vero fames ipsa molesta est, an non? Cal. Molesta. So. Nonne et sitis? Cal. Vehementer. So. Utrum ergo amplius a me quæri vis? an confiteris indigentiam omnem atque cupiditatem doloris esse participem? Cal. Confiteor. ne ultra quæras. So. Esto. Sitientem vero bibere voluptarium esse dicis? Cal. Dico. So. Ex hoc ergo quod ais, sitientem quidem esse, dolorosum est. Cal. Est. So. Bibere vero expletio est indigentiæ atque voluptas. Cal. Ita. So. Nunquid ergo qua ratione bibit, gaudere dicis? Cal. Maxime. So. Quatenus vero sitit, dolere? Cal. Certe. So. Sentis igitur, quid sequatur? videlicet fateri te, dolentem gaudere simul, quando sitientem dicis bibere. An non simul id evenit eodem in loco atque tempore, sive circa animam vis sive circa corpus? nihil enim refert, ut arbitror. Itane est, an aliter? Cal. Ita. So. Veruntamen felicem esse simul et infelicem, impossibile esse dixisti. Cal. Equidem. [497] So. At vero dolentem gaudere posse, confessus es. Cal. Apparet. So. Quapropter gaudere non idem est atque esse felicem, neque dolere idem quod infelicem esse. Ideoque aliud voluptas est quam bonum. Cal. Nescio, quid commenteris, o Socrates. So. Immo scis, sed non vis fateri, Callicles: at perge quæso respondendo: ultro enim deliras: ut quam sapiens sis agnoscas, qui me castigas. Nonne unusquisque nostrum sitire desinit, atque simul gaudere propter potum? Cal. Nescio quid dicas. Gor. Nequaquam ita, o Callicles. immo responde nostri gratia, ut disputatio concludatur. Cal. At vero semper talis est Socrates, o Gorgia. exigua enim et nullius momenti perquirit atque redarguit. Gor. Quid tua refert? non enim hoc tuum officium est, o Callicles: sed permitte, ut arguat arbitratu suo. Cal. Quære igitur, Socrates, de angustis ac vilibus istis: quando id Gorgiæ placet. So. Siccine beatus es, o Callicles, ut magna consecutus mysteria sis prius quam parva. ego vero fas esse non judicabam. Sed jam resumens unde amisisti, responde. An non simul desinit quis sitire atque gaudere? Cal. Concedo. So. Nonne et famescere, aliasque cupiditates habere simul atque voluptates desinit? Cal. Ita est. So. An non ergo et dolores et voluptates simul cessat habere? Cal. Ita. So. Veruntamen a bonis et a malis non simul cessat, ut tu modo fatebaris. nunc vero non confiteris? Cal. Equidem. sed quid tum? So. Nempe non eadem sunt, o amice, bona et voluptaria; neque mala eadem atque molesta. ab his enim quis simul cessat: ab illis vero nequaquam, utpote aliis. quanam igitur ratione voluptaria eadem essent atque bona, vel molesta eadem atque mala? Jam vero, si vis, hoc rursus pacto considera. arbitror enim nec per hunc modum tibi consentiri. attende igitur: Bonos viros nonne bonorum præsentia bonos vocas? quemadmodum pulchros eos, quibus pulchritudo adsit, appellas. Cal. Equidem. So. Quid vero? bonos viros appellas dementes et timidos? non certe paulo ante; immo fortes prudentesque dicebas. nonne hos ipsos nuncupas bonos? Cal. Omnino quidem. So. Quid autem? dementem puerum vidisti aliquando voluptate perfundi? Cal. Vidi. So. Virum autem dementem vidisti aliquando affici voluptate? Cal. Opinor me vidisse. sed quorsum hæc? So. Nihil refert. sed responde. Cal. Vidi. [498] So. Quid vero? sanæ mentis virum dolentem vidisti atque gaudentem? Cal. Certe. So. Utri vero magis gaudent atque dolent: prudentesne an imprudentes? Cal. Haud multum differre arbitror. So. Satis et

Digitized by Google

istud. In bello autem vidistine unquam virum timidum? Cal. Quidni? So. Quid vero? cum recederent hostes, utri videbantur tibi magis gaudere: timidine an fortes? Cal. Utrique mihi magis gaudere: vel saltem prope. So. Nihil refert. gaudent igitur et timidi? Cal. Magnopere. So. Et dementes, ut apparet. Cal. Et isti. So. Cum vero hostes advenant, soline dolent timidi, an etiam fortes? Cal. Utrique. So. Num similiter? Cal. Forte magis timidi. So. Abeuntibus autem nonne magis gaudent? Cal. Forte. So. Nonne igitur dolent atque gaudent imprudentes atque prudentes, timidique et fortes similiter, ut ipse ais: magis tamen timidi quam fortes? Cal. Aio equidem. So. Verumtamen prudentes quidem et fortes boni sunt, timidi vero atque imprudentes mali. Cal. Ita est. So. Quamobrem æque gaudent atque dolent et boni et mali. Cal. Assentior. So. An ergo æque boni malique sunt hi, qui boni sunt et qui mali? an potius boni duntaxat, qui boni sunt, mali vero, qui mali? Cal. Per Jovem, nescio quid involvas. So. An ignoras dixisse te bonos bonorum præsentia esse bonos, malos vero malorum? Bona autem voluptates esse, mala vero dolores? Cal. Equidem. So. Nonne igitur his qui oblectantur assistunt bona, videlicet voluptates? si quidem oblectantur. Cal. Quid prohibet? So. Num præsentibus bonis boni sunt qui delectantur? Cal. Sunt. So. Et dolentibus assunt mala, scilicet ipsi dolores? Cal. Assunt. So. Malorum vero assistentia malos esse dicis qui mali sunt. nonne adhuc dicis? Cal. Equidem. So. Boni ergo sunt qui gaudent, mali vero qui dolent. Cal. Maxime. So. Et qui magis, nimirum magis: quive minus, et hi minus: et qui pariter, æque. Cal. Ita. So. Nunquid ais ita gaudere atque dolere prudentes ut imprudentes rursusque timidos atque fortes? an magis etiam timidos? Cal. Aio. So. Reputa igitur una mecum, quid nobis ex his quæ concessa sunt eveniat. Bis enim atque ter, pulchrum esse ferunt, ea quæ pulchra sunt dicere atque [499] considerare. Bonum quidem esse prudentem fortemque esse diximus, necne? Cal. Diximus. So. Malum vero imprudentem atque timidum? Cal. Prorsus. So. Bonum autem rursus eum, qui gaudeat? Cal. Ita. So. Malum vero eum, qui doleat? Cal. Necesse est. So. Dolere vero atque lætari bonum malumque similiter: forte etiam magis malum? Cal. Certe. So. Similiter ergo quis bonus fit et malus bono? vel potius ipse malus fit bonus? An non hæc et superiora illa sequuntur, si quis voluptaria eadem esse dixerit atque bona? an non necessario hæc sequuntur, o Callicles? Cal. Jamdudum te ausculto, Socrates, tibique concedo, observans, si quis vel joco aliquid tibi dederit, id puerorum more libentius te accipere. Quasi vero existimare debeas, vel me vel alium quenquam non arbitrari alias voluptates esse meliores, alias vero deteriores. So. Hui, hui, o Callicles, quam astutus es! me quasi puerum ludis, quandoque uno modo asserens, quandoque aliter, meque decipiens. Atqui non arbitrabar ab initio ultro deceptum iri abs te, cum sis amicus. nunc autem me nimium fefellisti: atque, ut videtur, quemadmodum vetus habet proverbium, necessario adducor, ut præsenti sorte pro viribus bene utar, et quod tu das accipiam. Est autem, ut videtur, quod nunc affers, ejusmodi, voluptatum alias quidem bonas esse, alias vero malas. nonne? Cal. Procul dubio. So. Bonas vero nonne quæ utiles: malas autem quæ noxias? Cal. Ita certe. So. Utiles autem quæ boni aliquid afferunt: noxias vero quæ mali nonnihil? Cal. Assentior. So. Num igitur tales dicis, velut in corpore quas modo dicebamus, edendi bibendique voluptates? Nunquid ex his illæ quæ valetudinem præstant corpori aut robur aut aliam quandam corporis virtutem, bonæ sunt: quæ vero contrarias, malæ? Cal. Prorsus. So. Et dolores eodem pacto alii boni sunt, alii mali? Cal. Nihil

Digitized by Google

prohibet. So. Bonas quidem voluptates et dolores bonos eligere oportet et prosequi. Cal. Prorsus. So. Contra vero nequaquam. Cal. Manifestum est. So. Nempe bonorum gratia agenda esse omnia ego et Polus consensimus. an meministi? et tibi similiter videtur hic esse finis omnium actionum, ipsum scilicet bonum? ejusque gratia cetera omnia facienda, non autem ipsum gratia reliquorum? An tertius in hanc sententiam nobis accedis? Cal. Equidem. So. Quamobrem bonorum gratia oportet et alia et voluptates sequi: non autem [500] bona gratia voluptatum. Cal. Prorsus. So. An ergo cujusque viri est eligere, quænam ex rebus quæ delectant bonæ sunt, quæve malæ? an potius artificiosi viri opus est utrumque? Cal. Artificiosi. So. Recordemur ergo illorum, quæ ego ad Polum Gorgiamque dicebam. profecto dicebam, si meministi, esse facultates quasdam præparatrices, alias quidem usque ad voluptatem duntaxat, quid melius deteriusve sit ignorantes: alias vero quid bonum malumve sit cognoscentes. Ponebam præterea, earum quæ circa voluptates versantur, coquinariam circa corpus peritiam, sed non artem: earum vero, quæ ad bonum intendunt, medendi artem. Et per Jovem amicabilem precor, o Callicles, noli adversus me jocari, neque quicquid tibi occurrit respondere: neve rursus hæc a me accipere quasi jocante. Vides enim, ea de re nobis esse sermonem, qua nihil magis nosse vir sanæ mentis contendat, quemadmodum videlicet sit vivendum: utrum quemadmodum tu hortaris, illa agendo quæ viri esse dicis officia, versantem in populo atque orantem, rem præterea publicam gubernantem, ceu vos in præsentia gubernatis: an potius vita sit hæc philosophica capessenda, et qua in re hæc vita differt ab illa. Forte vero operæ pretium est, quemadmodum inceperam paulo ante, distinguere: atque deinde, cum nobis de distinctione convenerit, si hæc duplex vita est, considerare quid interit, et qua potius sit vivendum. forte vero nondum quid dicam intelligis. Cal. Nondum certe. So. At ego planius tibi dicam. postquam ego ac tu confessi sumus, esse quidem aliquid bonum, esse quoque aliquid voluptarium; sed aliud voluptarium esse quam bonum, atque utriusque horum studium et præparationem quandam esse ad ea comparanda: alteram videlicet venationem boni, alteram voluptatis: hoc ipsum primo, antequam ulterius procedam, assentiris mihi, necne? Cal. Assentior. So. Age et illa, quæ ad hos dicebam, mihi assentire, si modo visus tibi sum tunc vera loqui. profecto dicebam, non videri mihi coquinariam esse artem, sed peritiam quandam: medicinam vero esse artem; propterea [501] quod medicinæ facultas illius quod curat naturam considerat, et causam eorum quæ agit, potestque horum cujusque reddere rationem. Altera vero voluptatis curatrix facultas ad ipsam voluptatem, circa quam totum ejus versatur studium, omnino absque arte procedit, neque voluptatis ipsius naturam considerans neque causam: temeraria prorsus, ut ita dixerim, neque pensi habens quicquam, sed usu quodam atque experientia, et memoria ejus quod accidere consueverit, solum freta, voluptates studiose parat. Hæc ergo primum considera, num sufficienter tibi dicta videantur, nunquid præterea esse putes tales quasdam circa animam facultates, alias quidem artificiosas, curam videlicet habentes ejus quod sit animæ optimum: alias vero id negligentes, solum vero cogitantes, quemadmodum et de corpore diximus, quo pacto oblectare animum valeant. quæ quidem, utrum melior an deterior sit voluptas, minime cogitant: neque aliud quidquam curant quam ut oblectent, sive melius id sit sive deterius. Mihi quidem, o Callicles, videntur esse tales aliquæ facultates, universumque id ministerium adulationem esse duco, tam circa animam quam circa corpus, et omnino circa aliud quodlibet, cujus voluptatem quis affectat, nulla prorsus melioris deteriorisve adhibita ratione. Tu vero utrum in eandem nobiscum sententiam

Digitized by Google

convenis, an dissentis? Cal. Minime quidem: immo consentio, ut tibi quandoque disputatio concludatur, et huic Gorgiæ gratificer. So. Nunquid hoc circa unam quidem est animam, circa vero duas vel plures non est? Cal. Non ita: sed et circa duas et circa multas. So. Nonne et multis in unum convenientibus gratificari quis potest absque ulla ejus quod est optimum ratione? Cal. Sic arbitror. So. Potesne dicere, quæ studia sint quæ hoc efficiant? Immo, si vis, me quærente, eam quidem quæ talis tibi videtur, concede esse talem: quæ vero non talis, nega. Principio tibicinariam consideremus. an non tibi hæc, o Callicles, videtur esse talis, ut aliud nihil curet quam aures delectare? Cal. Mihi quidem. So. Num et alias omnes ejusmodi, qualis citharistica, quæ in certaminibus utuntur? Cal. Certe. So. Quid? doctrina chori, dithyramborumque poësis, nonne talis tibi quædam esse videtur? an putas Cinesiam Meletis filium curare, ut tale aliquid dicat, unde audientes meliores reddantur, vel potius, [502] unde theatrali turbæ placere possit? Cal. Manifestum quidem hoc est, o Socrates, de Cinesia. So. Pater vero ejus Meles, an ad id quod optimum esset, prospicere videbatur, cum ad citharam caneret? vel ipse profecto ne ad voluptatem quidem? nam molestus audientibus erat. Verum considera, nonne citharœdica facultas omnis, dithyramborumque poësis, oblectandi gratia tibi videtur inventa? Cal. Mihi quidem. So. Quid autem præclara hæc tragœdiæ mirabilisque poësis contendit? Nunquid studium ejus conatusque ad audientium voluptatem solum tendit? vel, si quid voluptarium quidem atque gratum sit, sed tamen malum, id cavebit ne unquam dicat? contra vero, si quid molestum, attamen utile fuerit, id et dicet et canet, sive oblectentur sive non audientes? quonam modo tragœdorum poësis se habere tibi videtur? Cal. Constat, o Socrates, eam ad voluptatem gratiamque spectantium potius declinare. So. Hoc vero tale, o Callicles, paulo ante adulationem esse diximus? Cal. Plane. So. Age utique, si quis auferat ex tota poësi concentum et rhythmum atque mensuram, aliudne quicquam præter sermones quosdam supererit? Cal. Id ipsum. So. Profecto ad turbam populumque hi sermones habentur. Cal. Procul dubio. So. Popularis ergo oratio quædam est poësis. Cal. Apparet. So. Nonne rhetorica quoque popularis est oratio? an non rhetorica in theatris uti poëtæ tibi videntur? Cal. Mihi quidem. So. Nunc ergo nos invenimus rhetoricam quandam ad populum talem, qualis est puerorum simul et mulierum virorumque, et servorum atque liberorum. quam quidem haud valde probamus: quippe cum adulatoriam eam esse confessi sumus. Cal. Sic est profecto. So. Agedum, quid de ea dicemus rhetorica, quæ ad Atheniensem populum aliarumque civitatum populos liberorum virorum utuntur? qualis hæc rhetorica est? Utrum tibi videntur oratores ad id semper, quod optimum sit, verba dirigere, id duntaxat conjectantes, qua ratione cives quam optimi per eorum orationes evadant? an potius hi quoque gratiam auditorum aucupantur, boni duntaxat proprii gratia, bonum publicum negligentes? et quasi pueris utentes populis, intenti duntaxat ad gratiam: nihil vero curantes, utrum ob hoc meliores aut deteriores [503] evadant. Cal. Haud simplex id est, quod interrogas. Sunt enim qui in orando utilitatem civium consulunt: sunt et alii tales, quales ipse narras. So. Satis est. Si enim et hoc est duplex, alterum quidem ejus membrum adulatio erit, turpisque concionatio: alterum vero pulchrum, studere videlicet, ut animi civium quam optimi fiant, semper pro audientium utilitate certando, sive placeant sive displiceant quæ dicuntur. Verum tu certe oratoriam ejusmodi vidisti nunquam. quod si inter oratores talem quempiam habes, cur non mihi quoque hunc ostendisti? Cal. Per Jovem ex oratoribus qui nunc sunt, talem habeo nullum. So. Quid autem? inter

Digitized by Google

veteres potesne aliquem assignare, per quem Athenienses facti aliquando sint meliores, postquam ille orare cœperit, cum deteriores antea fuerint? Ego enim, quis sit talis, ignoro. CAL. Quid vero? Themistoclem non audis virum bonum fuisse, et Cimonem et Miltiadem, atque Periclem hunc nuper vita functum, quem ipse quoque orantem audisti? So. Si quidem est, o Callicles, vera virtus, quam in superioribus ipse dicebas, cupiditates videlicet suas aliorumque explere. At si id non est, sed quemadmodum postea in disputando fateri compulsi sumus, cupiditates illas quæ meliorem efficiunt virum, oportet implere: alias vero minime: atque hujus rei ars quædam exstat, potesne dicere eorum aliquem exstitisse talem? CAL. Non habeo equidem quo pacto dicam. So. At vero si rite quæsiveris, invenies. Videamus jam sic plane considerantes, num aliquis horum talis exstiterit. Dic age: Bonus vir, atque ad id quod optimum sit verba faciens, non temere dicet, sed ad aliquid certe respiciet? quemadmodum et alii omnes artifices, quorum ad suum quisque opus aspicit, nec casu eligit, quod ad suum opus conferat, sed quemadmodum ad propositum sibi exemplar opus speciem aliquam consequatur. Veluti, si intueri placet pictores et architectos et fabros navium aliosque omnes artifices: quivis eorum in ordinem quendam singula ubique disponit, cogitque alia aliis convenire atque congruere, donec [504] totum constituatur quodam ordine exornatum. Id ergo omnes agunt artifices, atque hi, quos in superioribus dicebamus, pædotribæ et medici similiter faciunt circa corpus. ornant enim ipsum atque componunt. Confitemur id ita se habere, necne? CAL. Sit ita. So. Domus igitur ornatum et ordinem assecuta, bona erit: si minus, mala. CAL. Assentior. So. Et navigium eodem pacto. CAL. Eodem. So. Atqui et corpora nostra similiter. CAL. Similiter. So. Quid vero animus, si ordinis fuerit expers, num bonus erit? an potius, si ordinis ornamentique compos? CAL. Necessarium est ex superioribus hoc quoque fateri. So. Quod ergo nomen est ei, quod in corpore ex ordine ornatuque efficitur? CAL. Sanitatem et vires fortasse dicis. So. Dico equidem. Quod vero nomen ei, quod in animo ex ordine fit atque ornatu? Conare invenire atque exprimere hujus, quemadmodum et illius. CAL. Cur non ipse dicis, o Socrates? So. At si tibi placet, ego dicam: tu vero, si tibi vera loqui videbor, concedito: sin minus, reprobato, nec ullo modo permittito. Mihi quidem videtur ordinationi corporis nomen esse sanum: ex quo in ipso fit sanitas aliaque corporis virtus. Itane est, an aliter? CAL. Ita. So. Animi vero ordinationi atque ornatui legitimum lexque esse nomen: unde legitimi fiunt homines atque decori. Hæc vero sunt justitia atque temperantia. Assentiris, necne? CAL. Esto. So. An non igitur ad hæc artificiosus ille rhetor et bonus respiciens, verba sua hominum animis adhibebit: actionesque omnes, et quidquid vel concedet aliquando vel negabit, ad id semper intendet, ut civium animis justitia quidem insit, injustitia vero absit: rursus adsit temperantia, intemperantia vero ejiciatur: ceteræque virtutes habeantur, pravitas expellatur? Concedis, necne? CAL. Concedo equidem. So. Quidnam confert, o Callicles, corpori ægrotanti maleque affecto cibos multos suavissimosque præbere aut potum aut aliud quicquam, quod non sit profuturum, hoc est, plus vel minus vel contrarium, quam justa dictat ratio. Sunt hæc, vel non? [505] CAL. Sint. So. Non enim prodesse arbitror homini, cum afflicto corpore vivere. Sic enim necesse est vivere male. nonne ita? CAL. Ita. So. Nonne cupiditates explere, veluti esurientem comedere quantum vult, vel sitientem bibere quatenus placet, sanum quidem hominem medici plerumque permittunt: ægrotantem vero nunquam, ut ita dixerim, cupiditates suas implere permittunt? Concedis hoc et ipse? CAL. Concedo. So. Circa vero animum, o amice, an non eadem ratio? quatenus enim pra-

Digitized by Google

vus sit et demens atque intemperans injustusque et impius, coërcendus nihilum est a cupiditatibus, neque permittendus alia facere, quam illa ex quibus evadat melior. Consentis, necne? Cal. Consentio. So. Ita enim ipsi animo expedit. Cal. Prorsus. So. Nonne coërcere est ab his quæ cupit, continere? Cal. Est. So. Continentia igitur melior est animo quam incontinentia, quemadmodum tu modo putabas. Cal. Nescio quid dicas, o Socrates, itaque alium quemvis interroga. So. Hic vir non sustinet, ut sibi afferatur utilitas, atque eam de qua nunc sermo habetur, continentiam consequatur. Cal. Nulla omnino mihi cura est verborum tuorum, o Socrates. atque hactenus Gorgiæ gratia tibi respondi. So. En. quid ergo agemus? nunquid sermonem medium abrumpemus? Cal. Ipse videris. So. At nefas esse aiunt, mancas dimittere fabulas: immo caput imponendum esse, ne absque capite oberrent. Responde ergo ad reliqua, ut sermo hic noster caput accipiat. Cal. Quam violentus es, o Socrates! Profecto, si mihi credis, hanc disputationem jam dimittes, vel cum alio disputabis. So. Quisnam alter vult? ne imperfectum relinquamus sermonem. Cal. An non ipse potes sermonem percurrere, vel enarrando vel tibimet respondendo? So. Ne mihi Epicharmi illud accidat, Quæ prius narrabant duo, nunc unus ad illa sufficio. Verumtamen videtur sic omnino necessarium esse. Si tamen id faciemus, puto equidem oportere nos omnes certatim ad id contendere, ut quid in his quæ dicimus, verum, quidve falsum sit, cognoscatur. commune enim est hoc omnibus bonum, ut hic unicuique constet. Prosequor igitur ego ipse sermonem, quo pacto se habere videtur. [506] Quod si cui vestrum forte mecum ipse, quæ vera non sint, videbor concedere, vestrum erit objicere atque redarguere. neque enim ego tanquam sciens dico illa, quæ dico; sed vobiscum communiter indagans. Quapropter si quid recte dicere videbitur qui mihi contradixerit, ego primus assentiar. Hæc tamen ea mente dico, si modo vos sermonem perficiendum esse putatis. sin minus, omittamus jam, atque abeamus. Gor. At vero nondum mihi videtur, o Socrates, abeundum, immo disputationem a te esse perficiendam. Puto autem ceteris idem quoque videri: et ipse percupio reliqua ex te ipso audire. So. Atqui, o Gorgia, libenter adhuc cum hoc Callicle disputarem, donec Amphionis dictum pro Zethi dicto sibi redderem. Sed quando tu, o Callicles, disputationem una mecum non vis perficere, saltem ausculta atque reprehende, si quid minus recte dicere tibi videor. quod si me conviceris, haud infestus tibi ero, quemadmodum ipse mihi, sed pro maximo beneficio id adscribam. Cal. Dic tu ipse, bone vir, et perfice. So. Audi me igitur disputationem ab initio repetentem. An idem est voluptas atque bonum? Certe non idem, ut ego et Callicles confessi sumus. An voluptatem boni gratia, vel bonum gratia voluptatis sequi debemus? Voluptatem certe gratia boni. Est autem voluptas, qua præsente gaudemus: bonum vero, quo præsente boni sumus. Prorsus. Boni vero sumus et nos et quæcunque alia bona sunt, ob virtutem quandam, quæ adsit. sic enim, o Callicles, necessarium esse mihi videtur. At virtus cujusque, sive instrumenti sive corporis sive animæ, non temere utique adest: sed ordine rectitudineque et arte, quæ horum cuique tradita sit. nunquid hæc ita se habent? Mihi quidem sic se habere videntur. Quamobrem ordine ordinatum ornatumque esse, est cujusque virtus. Nempe sic ego faterer. Itaque ornatus quidam proprius unicuique insitus quodlibet efficit bonum. Mihi quidem sic apparet. Quapropter anima quæ proprium habet ornatum, melior est illa, quæ ornatu est expers. Necesse est. Jam vero quæ habet ornatum, ornata est atque modesta. Quidni? Talis vero est et temperans. [507] Necesse est omnino. Quæ vero temperans, est et bona. Equidem, o amice Callicles, quo pacto aliter dicam, non invenio. tu vero si quid habes aliud, doce.

Digitized by Google

Cal. Dic tu, o bone vir. So. Dico igitur, si temperatus animus bonus est, consequi, ut qui contra atque temperatus affectus est, sit malus. Est vero talis intemperatus animus et incontinens. Sic est omnino. Temperatus autem agit decentia erga Deos atque homines. non enim temperatus esset, nisi decorum servaret. Necesse est sic esse. Proinde decentia circa homines agens juste agit: et agens similiter erga Deos, agit pie. cum vero, qui justa pieque agit, necesse est esse justum atque pium. Sic veritas habet. Preterea fortem hunc esse necesse est. non enim temperati viri est vel persequi vel fugere aliter quam decet. immo oportet et res singulas et homines ipsos et voluptates atque molestias tum fugere tum persequi tum etiam tolerare ubi sit opus. Quamobrem omnino necessarium est, o Callicles, temperatum virum, cum, ut diximus, justus et fortis sit et pius, esse perfecte bonum: bonum vero bene honesteque agere quicquid agat: eum autem qui bene agit, felicem esse atque beatum: improbum vero ac male agentem esse miserum. Talis autem est, qui aliter se habet quam temperatus: videlicet qui intemperatus est, quem ipse laudabas. Ego igitur hæc ita pono dicoque esse vera. si autem vera sunt, quicunque optat beatus fore, temperantiam sequi exercereque debet: intemperantiam vero fugere, quantum cujusque nostrum pedes valent: atque ita sese comparare, ut non indigeat castigatione atque pœna: si vero indigeat vel ipse vel alius quivis familiarium, sive privatus sive civitas, adhibita pœna coërcendus est, si modo futurus sit beatus. Hoc mihi videtur esse signum, ad quod prospicientes dirigere vitam debemus, omnia tam publica quam privata ad hoc referentes, ut justitia et temperantia illi assit, qui futurus sit felix: non autem cupiditatibus omnia permittenda sunt; quas explere conari inexplebile malum est, latronisque more vitam agere. Neque enim cuiquam hominum is qui ejusmodi est, amicus esse potest neque Deo: quippe cum societas huic cum aliis nulla esse possit: cui vero non sit societas, amicitia animi hoc nunquam erit. Tradunt vero sapientes, cœlum et terram Deosque et homines societate [508] quadam et amicitia, modestoque ornatu et temperantia et justitia contineri: atque id universum propterea mundum ornatumque, o amice, nominant, non immunditiam neque intemperantiam. tu vero mihi videris, quamvis sapiens, hæc animadvertisse nunquam. profecto te latuit, geometricam æqualitatem in Diis atque hominibus valere quam plurimum. At vero tu excessum exercendum putas: Geometriam namque contemnis. Age itaque, vel refellendus est sermo ille noster, quasi non justitiæ temperantiæque possessione beati fiant quicunque beati, pravitatis vero miseri: vel si verus est, considerandum est, quid sequatur. nempe prima illa, o Callicles, sequantur omnia, in quibus a me quæsebas, an serio loquerer: ubi dicebam accusandum esse et se ipsum et filium et amicum, si quid injuste fuerit perpetratum, atque ad id utendum esse rhetorica. Et quæ tu Polum verecundia adductum putabas concessisse, vera utique erant: videlicet injuriam facere, quanto turpius est quam pati, tanto esse deterius: atque enim, qui rectus futurus sit orator, oportere justum esse et quæ justa sunt scire. quod quidem rursus Gorgiam ob verecundiam concessisse Polus ait. Cum vero hæc ita se habeant, consideremus, quæ sunt illa in quibus me ipse vituperas: Num recte dicatur, necne, me videlicet non posse vel mihi vel amicis atque domesticis opem ferre. neque ex maximis periculis liberare; at esse me in potestate libidinemque cujusque, quemadmodum abjectissimi quique solent, sive pulsare velit quis, ut tu jactabundus dicebas, super genam, sive pecunias rapere, sive urbe expellere, sive ultimo supplicio afficere. Ita vero affectum esse turpissimum omnium esse dicebas. Mea vero sententia jam sæpius dicta, atque rursus nihilo prohibente dicenda, contra se habet: videlicet non esse turpissimum, o Callicles, injuste genam percuti, vel

Digitized by Google

corpus marsupiumve cædi: sed percutere injuste atque cædere mihi meisque turpius atque deterius, item furari et in servitutem adducere muroeque suffodere, atque summatim quamlibet injuriam facere, esse ei qui facit deterius simul et turpius, quam accipere. Hæc superius a nobis concessa, ut ego assero, continentur atque vinciuntur, [509] etsi dictu rusticius est, ferreis adamantinisque rationibus, quibus, ut ita sentiam, adducor. quas nisi tu aut aliquis te robustior dissolvat, fieri non potest, ut aliter dicendo quam ut nunc ipse dico, recte dicatur. Nam mihi quidem semper idem permanet sermo: me videlicet hæc nescire quo pacto se habeant: attamen nullum eorum quicum hactenus locutus sum, quemadmodum modo vobiscum, potuisse unquam aliter dicendo non ridiculum apparere. Quamobrem hæc iterum pono ita se habere. quod si ita se habeant, atque injuria maximum ei, qui eam facit, est malorum: cumque hoc sit maximum, illud insuper majus est judicandum, videlicet ipsum qui fecerit, nunquam dare posse: quod tandem auxilium erit illud, quod quisquis cum sibimet afferre non possit, re vera sit contemnendus? nonne hoc quidem maximum a nobis amoveat detrimentum? Profecto necesse est hoc esse turpissimum, non posse auxilium ejusmodi præstare sibi ipsi amicisque ac propinquis. secundum vero auxilium adversus malum secundum: tertium contra tertium: ceteraque similiter, prout cujusque mali magnitudo se habet: ita ut pulchrum est opem afferre posse, et turpe non posse. Nunquid aliter quam sic se res habet, o Callicles? Certe non aliter. Cum igitur hæc duo sint, facere injuriam ac pati: majus utique malum esse dicimus inferre, minus autem pati. Quodnam igitur auxilium sibi comparans aliquis, utrumque potissimum consequetur, ut neque inferat injuriam neque accipiat? utrum potentiam an voluntatem? Sic autem dico: utrum si nolit pati, injuriam non patietur? an si potentiam sibi comparaverit, ita duntaxat non patietur? Constat certe, si potentiam. Quid autem in inferendo? utrum si quis injuriari nolit, satis erit remedii? (neque enim injuriam inferet) an ad hoc insuper potentia quædam et ars est comparanda, quam nisi quis didicerit atque exercuerit, injuriam faciet? Cur non mihi ad id saltem respondes, o Callicles? utrum ego atque Polus tibi videmur recte superioribus coacti rationibus fuisse, necne? quando confessi sumus, neminem volentem injuriam facere, sed invitos hanc inferre quicunque inferant. CAL. Esto tibi id ita, o Socrates, ut [510] disputationem hanc concludas. So. Ad hoc itaque potentia quædam et ars comparanda videtur, ne cui faciamus injuriam? Omnino quidem. Quænam igitur ars est ad facultatem comparandam, per quam vel nullam quis vel minimam injuriam patiatur? Considera utrum tibi idem videatur, quod et mihi. Mihi quidem ita videtur, vel oportere principatum in re publica obtinere, vel usurpare tyrannidem, vel cum præsenti gubernatione habere commercium. CAL. Vides, o Socrates, quam paratus sim, si quid recte dixeris, comprobare. profecto id mihi recte nimium abs te dictum fuisse videtur. So. Considera præterea hoc, si recte dicere tibi videor. Amicus mihi videtur quisque esse cuique maxime, quemadmodum antiqui sapientesque tradunt, ut maxime similis est. nonne et tibi? CAL. Mihi quidem. So. Nonne ubi tyrannus ferus rudisque dominatur, si quis ea in urbe multo melior sit, tyrannus hunc formidat, atque huic nunquam tota mente amicus esse poterit? CAL. Sic accidit. So. Neque si multo sit deterior, contemnet enim eum tyrannus, neque unquam tanquam erga amicum afficietur. CAL. Vera narras. So. Solus ergo amicus huic esse poterit apud eum existimatione dignus, qui cum moribus similis sit eademque laudet atque vituperet, subesse velit domino et parere. hic nimirum magnam in ea civitate habebit potentiam, hunc injuria impune nullus afficiet. nonne ita se res habet? CAL. Ita. So. Si quis ergo in hac urbe ex ipsa

Digitized by Google

juventuto cogitet, qua potissimum ratione magnam comparare potentiam valeat, adeo ut nullus injuriam sibi queat inferre: hæc ipsa, ut videtur, illi via est, statim ab adolescentia se ipsum assuefacere, ut iisdem gaudeat atque doleat, quibus et dominus: atque ita se comparare, ut illi sit quam maxime similis. nonne ita? CAL. Ita. So. Hic ergo, ut præsens sermo significat, assequetur, ut injuria inferri sibi non possit magnamque habeat in civitate potentiam. CAL. Prorsus. So. Nunquid etiam assequetur, ut injuriam inferat nemini? an potius multum abest? siquidem injusto principi similis erit magnæque auctoritatis apud eum. Verum puto, ejusmodi vitæ statum huic ad id accommodatissimum esse, ut quam maxime facere injurias possit pœnasque injuriarum penitus devitare. nonne ita? CAL. Apparet. [511] So. An non hic malo occupabitur maximo, cum flagitiosus sit animumque infectum habeat ob imitationem domini similemque potentiam? CAL. Nescio quomodo sermonem, o Socrates, sursum deorsumque vertas. An nescis, eum qui sic imitatur, posse eum qui non imitatur, occidere, modo velit patrimonioque exspoliare? So. Scio equidem, o bone Callicles, nisi surdus sim: cum non solum abs te, verum etiam a Polo nuper et a ceteris ferme omnibus in civitate idem frequenter audiverim. At ipse me audi. profecto interficiet, modo velit: sed malus honestum atque bonum. CAL. At hoc ipsum graviter est ferendum. So. Non certe viro mentem habenti, ut et tuus sermo significat. An putas in hoc ipso multum ab homine laborandum, ut quam diutissime vivat, easque artes meditetur, quæ nos servare semper a periculis possint? qualis rhetorica est, ad quam tu me capessendam exhortaris, in judiciis nos sæpe servantem. CAL. Per Jovem tibi recte consulo. So. Quid vero, vir optime? nandi peritia præclara tibi videtur? CAL. Non per Jovem. So. Attamen servat hæc homines ab interitu, quotiens illuc inciderint, ubi ejusmodi sit opus scientia. Quod si hæc tibi videtur exigua, ego majorem hac adducam, gubernatoriam scilicet, quæ non solum vitam, verum etiam corpora et pecunias ab extremis servat periculis, non secus quam rhetorica. Atque hæc tamen humilis est atque modesta, non jactabunda neque ampullosa, quasi mirabile aliquid consecuta. sed cum eadem efficiat quæ rhetorica, si ab Ægina hucusque nos servet, duos duntaxat exigit nummos. si vero ex Ægypto vel Ponto salva reduxerit quæ modo dicebam, nos et filios uxoresque et divitias, duas drachmas expostulat. Atque ipse hac arte præditus, quive hæc perfecerit, descendens in litoreque secus mare navemque deambulans, nequaquam se effert neque inflatur. animadvertit enim, ut arbitror, incertum esse utrum profuit vel obfuit illis quos servavit, ne fluctibus mergerentur: intelligens, se nihilo vel corpore vel animo meliores reduxisse illos, [512] quam acciperet ab initio navem ingredientes. Cogitat ergo, si quis magnis insanabilibusque morbis corporis pressus in mari non pereat, hunc ideo miserum esse, quia non periit, nec ullam ab ipso suscepisse utilitatem. si quis autem in animo, qui corpore pretiosior est, multos insanabilesque habet morbos: nunquid huic vivendum est? eique utilitatem afferret, sive ex mari sive ex judicio sive aliunde quis ipsum servet? Sed profecto novit, flagitioso homini ut vivat non expedire. necesse est enim ut male vivat. Quamobrem nulla exstat lex, per quam gubernator, quamvis non servet, gloriari possit atque in honore haberi. neque, o vir mirifice, ipse machinarum faber, qui nedum gubernatore, sed etiam exercitus duce vel quovis alio non minus interdum servare potest, quippe cum civitatibus interdum totis salutem præstet, adeone causidicum huic possis æquiparare? Atqui, si vellet hic, o Callicles, quemadmodum vos facitis, rem suam extollere, nimirum vos verbis obrueret, exhortans omnes ut fabri machinarum efficiantur: quasi nullius momenti sint cetera. non enim sibi deesset materia. Ve-

Digitized by Google

runtamen hanc ipse artemque ejus nihilominus contemneres, ac velut per contumeliam machinarium vocitares, nec ejus filio tradere filiam tuam velles, neque etiam tu filiam ejus acciperes. Quamvis ex quibus rationibus facultatem tuam laudas, quonam pacto vel machinarium vel alios, quos paulo ante commemoravi, juste poteris aspernari? Dicturum esse te arbitror, meliorem te esse, atque ex melioribus ortum. Ipsum vero quod melius dicitur, si non est id quod ego dico, sed hoc ipsum virtus est, servare se ipsum qualiscunque sit, atque sua: certe ridicula tibi vituperatio est adversus machinarium vel medicum aliasve artes, quotcunque salutis gratia sunt inventæ. Ceterum, o beate, vide ne aliud sit generosum atque bonum, quam servare atque servari. Neque enim vivere hic quantumcunque tempus, optandum est viro, qui vere sit vir: neque vita hæc amanda est, sed hanc Deo curam relinquere debemus: mulieribusque fide adhibita, dicentibus neminem vitare posse fatum, id in primis considerare, qua ratione in hoc ipso tempore, quo vita fungitur, quam optime vivat. Nunquid civibus, quibuscum vivit, persimilem [513] se præstando? et nunquid oporteat te nunc simillimum evadere Atheniensium populo, si amicus huic sis futurus magnæque auctoritatis in populo? Considera igitur, utrum id tibi mihique expediat, necne: neve id nobis, o beate vir, eveniat, quod Thessalicis mulieribus deducentibus lunam evenire tradunt, cum amicissimis optio nobis sit hujus potentiæ. Si autem ipse putas, quempiam hominum artem quandam ejusmodi traditurum, per quam in civitate hac potens efficiaris, quamvis gubernationi publicæ sis dissimilis, sive melior sive deterior, haudquaquam recte, ut mihi videtur, o Callicles, cogitas. Non enim imitatorem, verum ipsa natura persimilem esse iis oportet, si magnum aliquid assecuturus sis ad benevolentiam Atheniensis populi comparandam, ac per Jovem insuper Pyrilampi. Quisquis te his efficiet similem, is faciet, quemadmodum cupis, ut civilis sis atque rhetoricus. Nempe omnes iis verbis, quæ suis moribus consentanea sunt, delectantur, diversisque turbantur. Nisi tu forte, o lepidum caput, aliud afferas. Dicemusne aliquid ad hæc, o Callicles? Cal. Nescio quomodo bene dicere mihi videris, o Socrates. evenit mihi tamen, quod multis accidere aliis consuevit: nam haud magnam tibi habeo fidem. So. Amor populi, o Callicles, tuo insitus animo, resistit mihi. verum si sæpius meliusque hæc eadem consideraverimus, tibi forte probabilia videbuntur. Recordare igitur, duas a nobis narratas esse præparationes, tam ad corpus, quod ad animum pertinentes: quarum altera quidem tendat ad voluptatem, altera vero ad id quod melius est, non gratificans, sed repugnans. Nonne hæc in superioribus definivimus? Cal. Prorsus. So. Et quæ declinat ad voluptatem, servilis, neque quicquam aliud est quam adulatio. nonne ita? Cal. Esto quidem, si tibi placet. So. Altera vero studet, ut quam optimum sit, quod curamus, sive anima sive corpus. Cal. Omnino. So. Igitur sic rei publicæ civiumque capessenda nobis est cura, ut cives ipsos bonos efficiamus. alioquin, quemadmodum superius invenimus, nihil prodest beneficium aliud conferre, nisi [514] honesta et bona sit mens eorum, qui accepturi sunt vel pecunias multas vel imperium vel aliam quamlibet potestatem. Ponimus sic esse, necne? Cal. Prorsus, si tibi placet. So. Si ergo nos invicem, o Callicles, cohortaremur, publice civilia pertractantes, ad murorum vel navalium vel templorum ingentia ædificia: utrum oporteret considerare nos ipsos atque dispicere, primum quidem an ejus artis scientiam habeamus necne, et a quo didicerimus? et oporteret id fieri, necne? Cal. Prorsus. So. Secundum vero, si quando privatim pro nobis vel pro amicis aliquod construximus ædificium, et nunquid ejusmodi machina pulchra sit vel turpis. Quod si invenerimus magistros nobis bonos præstantesque fuisse, multaque ædificia atque præclara, tum una cum

Digitized by Google

magistris, tum a nobis ipsis ædificata, tunc demum rationi consentaneum esset ad publica nos conferre. At vero si neque magistrum nostrum possimus ostendere, ædificia quoque aut nulla aut non bene constructa, stultum certe foret opera aggredi publica nosque ad ipsa invicem cohortari. Fatemur recte hæc dici, necne? CAL. Prorsus. So. Nonne similiter et in ceteris omnibus: atque si civilia pertractantes invicem cohortaremur, quasi idonei simus medici, considerare invicem ego te tuque me hunc in modum debemus: Age per deos, ipse vero Socrates, quonam pacto affectum ad sanitatem corpus habet, vel quisnam alius Socratis opera evasit a morbo, sive liber sive servus? Ego quoque de te eadem ratione considerare deberem: atque nisi inveniremus aliquem per nos factum fuisse sanum vel peregrinorum vel civium, sive virum sive mulierem, per Jovem, o Callicles, valde ridiculum foret, in tantum amentiæ processisse, ut prinsquam privatim multa tentaverimus multaque perfecerimus et abunde artem exercuerimus, figulariam, ut dici solet, in ipso vase discere aggrediamur, et ipsi ad rem publicam accedentes et ad eam alios provocantes. Nonne id tentare stulti hominis esse putares? CAL. Nimirum. So. At vero, [515] o virorum optime, cum tu nuper administrare rem publicam cœperis, ac me insuper exhorteris, quodve id non faciam, reprehendas, nonne ita invicem considerare debemus? Agedum, Callicles quemnam suorum civium reddidit meliorem? estne quispiam, qui cum antea improbus et injustus et incontinens atque imprudens esset, tandem vere Callicli opera honestus bonusque evaserit, sive peregrinus sive civis, sive servus seu liber? Dic mihi, si quis id abs te exigat, quidnam respondebis, o Callicles? quem adduces aliquando factum tua consuetudine meliorem? an respondere te piget, si aliquod ejusmodi est opus tuum factum prius a te privatim, quam ad rem publicam te conferres? CAL. Contentiosus es, o Socrates. So. At non contentionis causa id requiro, sed re vera cupiditate discendi quemadmodum administranda nobis publica censeas: an alia habenda sit cura rem publicam adeuntibus, quam ut optimi cives efficiantur: an non supius jam confessi sumus, id esse civili homini faciendum? Num confessi sumus? Responde, quæso. Profecto confessi sumus, ut ego pro te respondeam. Si igitur ad id in sua civitate vir bonus incumbere debet, nunc in memoriam revocans mihi dicas velim, nunquid illi, quos in superioribus commemorasti, adhuc tibi viri boni fuisse videantur, Pericles, Cimon, Miltiades, Themistocles. CAL. Mihi quidem. So. Nonne, si viri fuere boni, unusquisque illorum cives ex deterioribus reddidit meliores? nonne ita? CAL. Ita. So. Si ita est, ergo quando Pericles primo orare cœpit ad populum, deteriores erant Athenienses quam cum postremam ad eos habuit orationem. CAL. Forsitan. So. Non licet, o vir optime, dicere forsitan. nam ex his quæ concessimus, necessario sequitur: si modo bonus erat ille civis. CAL. Quid tum? So. Nihil. verum ad hæc id mihi dicas: nunquid dicantur Athenienses Periclis opera meliores esse facti, aut omnino contra ab illo corrupti. sane Periclem audio Athenienses fecisse pigros, timidos, loquaces, avaros: primumque mercenaria stipendia induxisse. CAL. Ab his qui fractas habent aures hæc audis, o Socrates. So. At hæc non amplius audio, sed apertissime scio ego quidem atque tu: videlicet Periclem ab initio magno in pretio fuisse habitum, neque turpem sententiam adversus eum ullam tulisse Athenienses, dum pravi erant: postquam vero honesti et boni ab ipso facti sunt, [516] in extremo ejus vitæ furti ipsum condemnavisse; parumque abfuisse quin ultimo supplicio quasi malum virum afficerent. CAL. Quid ergo? malusne propterea Pericles vir exstitit? So. Talis quidem asinorum curator et equorum atque boum malus videtur, si cum eos acceperit neque calcitrosos neque cornu petentes neque mordaces, effecerit ut

Digitized by Google

hæc ob feritatem habeant vitia. an non tibi videtur ille cujuslibet animalis malus esse curator, qui cum acceperit mansuetum, magis ferum reddiderit quam accepit? Videtur tibi, necne? Cal. Concedo equidem, ut tibi gratum faciam. So. In hoc præterea gratificare mihi, respondens, utrum homo unum sit animalium, necne. Cal. Quid rogas? So. Nonne hominum curam Pericles habebat? Cal. Habebat. So. Quid ergo? an non oportebat ipsos, quemadmodum modo consensimus, justiores ex injustioribus ab illo fuisse factos? si quidem ille qui curabat eos, in rebus civilibus peritus erat. Cal. Prorsus. So. Nonne justi mansueti sunt, ut ait Homerus? tu vero quid ais? nonne similiter? Cal. Aio. So. Verumtamen feros magis ipsos reddidit quam acceperat: idque adversus se ipsum; quod quidem minime voluisset. Cal. Visne tibi assentiar? So. Si videor tibi vera loqui. Cal. Sint ista. So. Proinde si magis feros, ergo injustiores atque deteriores. Cal. Esto. So. Quamobrem non bonus ad rempublicam administrandam civis Pericles erat, ut ratio hæc ostendit. Cal. Non, ut ipse ais. So. Per Jovem, neque ut tu inquis, per ea quæ confiteris. Rursus autem mihi de Cimone dicas. nonne relegaverunt eum illi quos ipse curaverat, ut vocem ejus decennio non audirent? Præterea adversus Themistoclem idem fecerunt, atque exsilio insuper damnavere. Miltiadem vero, qui in Marathone pugnavit, in carceris barathrum detrudere decreverunt: ac nisi obstitisset magistratus, procul dubio incidisset. At vero si boni, ut tu ais, hi fuissent viri, talia nunquam perpessi fuissent. Etenim aurigæ boni non ab initio quidem non excidunt: postquam vero equos curaverint, ipsique meliores facti fuerint aurigæ, tunc excidunt. profecto non est ita ut in aurigaria vel in alio quovis opere. An tibi videtur? Cal. Minime. So. Vera igitur erant quæ a nobis in superioribus dicebantur, nullum [517] videlicet in hac civitate nos virum scire exstitisse, qui in re publica bonus civis esset habendus. tu vero confessus es, nullum ex his qui nunc sunt, esse talem: ex his autem qui præcesserunt, exstitisse nonnullos, atque inter eos quidem hos viros præ ceteris elegisti. hi vero non aliter se habere hac in re, quam qui nunc sunt, apparuerunt. Quapropter si hi oratores fuerunt, neque vera rhetorica usi sunt (alioquin nunquam cecidissent), neque adulatoria. Cal. Multum tamen abest, ô Socrates, ut quisquam eorum qui nunc sunt talia gesserit, qualia istorum quivis gessit. So. O beate, nec ego, quantum ad civitatis administrationem pertinet, istos vitupero: immo vero hac in re mihi videntur diligentiores quam hi nostri fuisse, aptioresque ad illa conficienda, quæ civitas cupiebat, verum in eo. quod castigare civium cupiditates oporteat, neque illis obsecundare, sed et persuadendo et cogendo ad hoc ipsum perducere unde meliores futuri sint cives, nihil, ut ita loquar, inter hos atque illos interest: quod quidem solum est boni civis officium. Attamen tibi confiteor, illos his aptiores fuisse ad naves, navalia, mœnia aliaque ejusmodi multa rei publicæ comparanda. In rem ergo ridiculam ego ac tu disputando revolvimur. siquidem in omni hac disputatione in idem assidue circumferimur, quid dicamus invicem ignorantes. Ego enim te sæpius concessisse arbitror atque cognovisse, geminam hanc esse facultatem circa corpus et circa animam curatricem. et alteram quidem ministram, per quam quæ corpus cupiat, comparentur: veluti si famescat, cibi; si sitiat, potus; si frigeat, vestes, stramenta, calcei ceteraque quæ ad usum corporis exiguntur. Et profecto dedita opera easdem per imagines tibi loquor, ut facilius intelligas, horum esse paratorem, vel cauponem vel mercatorem, aut opificem alicujus istorum, videlicet pistorem aut coquum aut textorem aut calceorum sutorem infectoremque coriorum: nec mirum est, eum qui talis sit, videri corporis curatorem, tam sibi quam aliis ignorantibus, esse præterea artem quandam gymnasticam atque

Digitized by Google

medicinam, in quibus curatio corporis re vera consistit: quam decet hujusmodi artibus imperare, earumque operibus uti, propterea quod scientiam habeat boni atque mali, quantum ad corporis pertinet alimenta atque valetudinem: [518] quod quidem ab his aliis omnibus ignoratur. quam ob causam dicendum est, has quidem serviles ministrasque et illiberales esse circa corporis cultum: gymnasticam vero et medicinam his merito dominari. Hæc igitur eadem esse etiam circa animum, videris mihi interdum cognoscere: mihique concedis tanquam quid dicam intelligens. Verum paulo post adducis in medium, viros præclaros et bonos in hac civitate quondam fuisse: atque me quæreate, quinam isti fuerint, videris mihi simillimos proferre homines circa rem publicam, ac si me percontante, quinam fuerint aut sint boni circa gymnasticam corporum curatores, responderes mihi, et valde quidem serio, Thearion pistor et Mithæcus, qui de Siculorum arte coquinaria scripsit, et Sarambus caupo: quasi hi mirabiles corporum cultores exstiterint: quorum hic suaves panes, ille epulas, ille vinum præparabat. Fortasse igitur indigne ferres, si tibi dicerem: nihil, o bone vir, de gymnastica intelligis, quippe cum ministros mihi in medium afferas cupiditatumque assertores, quid honestum bonumve sit in his, nequaquam dijudicantes, sed utcunque contingit, implentes corpora hominum eaque saginantes. qui et laudantur ab ipsis, cum tamen ob nimiam implectionem carnes illis veteres dissipaverint. posteaque adventante morbo, qui ita nutriti sunt, eos quidem, qui postea consuluerunt, ob ignorantiam accusant: eos vero, qui ad libidinem nutrivere, nequaquam. cum, inquam, repletio talis tanquam immoderata tandem infert morbum, tunc præsentes consultores criminantur et improbant, atque injuria insuper, si queant, afficiunt: priores vero illos, qui causam morbi dedere, laudibus efferunt. Et tu nunc, o Callicles, simillimum quiddam facis, laudans homines, qui hos nutrivere atque his rebus quarum cupido incesserat, impleverunt: quos aiunt magnam effecisse civitatem: quod autem tumens et intus male sana jam sit ob antiquos illos non sentiunt. [519] absque enim temperantia et justitia portibus, navalibus, mœnibus, tributis, vectigalibus et hujusmodi nugis civitatem hanc impleverunt. Quando igitur morbus erumpit, tunc illi qui in præsentia gubernant rem publicam improbantur: Themistocles vero ipse et Cimon et Pericles, qui malorum causa fuere, laudantur. tu vero forsitan, nisi caveas, capieris, et amicus meus Alcibiades, quando præter illa quæ acquisita erant, vetera quoque erunt amissa: quamvis malorum causa vos non sitis, sed una cum ceteris causa. Atqui ego rem stultam et nunc cerno et de antiquis illis audio. sentio enim, quando civitas aliquem ex his qui in re publica versantur, injustitiæ damnare aggreditur, graviter eos ferre atque se afflictare, quasi iniqua patiantur qui beneficia in rem publicam multa contulerint. Nempe aiunt, injuste se ab illa damnari. quod omnino falsum est. Nunquam enim rei publicæ gubernator injuste damnatur ab ea, cui præest, civitate. Videtur autem idem evenire his qui in re publica versantur, atque sophistis. Sophistæ enim, quamvis in ceteris sapientes, in hoc tamen uno absurde se gerunt, quod cum se docere virtutes affirment, sæpe tamen discipulos velut ingratos accusant atque injustos, qui bona ab eis reportarint, mercedem tamen nullam aut gratiam referant. quo quidem sermone nihil a ratione est alienius, quod videlicet viri boni justique facti, et ab injustitia præceptoris opera remoti atque justitia præditi, injurias ea ipsa injustitia quam non habent præceptoribus inferant. an non videtur tibi, o amice, id absurdum? Re vera concionari me, o Callicles, coëgisti, respondere nolens. CAL. Tu vero per te ipsum dicere non potes, nisi quis tibi respondeat? SO. Videor equidem: et nunc frequentes jam extendo sermones, dum ipse mihi non vis respondere. Sed, o bone vir, per Jovem amicabilem, mihi dicas, an non præter rati-

Digitized by Google

onem tibi videtur, ut is qui dicat se bonum aliquem reddidisse, de eodem conquaeratur, quasi qui bonus ab ipso factus est, sit et malus? Cal. Mihi quidem videtur. So. Nonne audis illos qui decere virtutem profitentur, talia conqueri? Cal. Equidem. sed quidnam de hominibus nullius pretii potes dicere? [520] So. Quid vero de illis diceres, qui rei publicae praeesse se aiunt, atque ut illa quam optima sit diligenter excogitare; rursusque ipsam accusant, prout accidit, tanquam pessimam? putasne hos ab illis differre? Idem profecto est, o vir beate, sophista ac rhetor, vel propinquum aliquid atque simile, quemadmodum ad Polum ego dicebam. Tu autem propter ignorantiam praeclarum quiddam putas esse rhetoricam, sophisticam vero contemnis. sed re vera pulchrior est sophistica quam rhetorica: quo et pulchrior est conditrix legum quam judiciaria, et gymnastica quam medicina. Solis autem concionatoribus et sophistis minime arbitror concedendum, ut de eo quod ipsi docent, quasi sibi sit malum, conquerantur. alioquin in eadem ipsa accusatione se ipsos pariter criminentur, quasi nihil iis profecerint, quibus utilitatem attulisse se dicunt. nonne ita se res habet? Cal. Ita prorsus. So. Et contulisse beneficium absque mercede, ut consentaneum est, solis istis conveniebat, si quidem vera dicerent. nam alia quidem beneficia cum quis acceperit, veluti per gymnasii magistrum celer factus, forte utique gratiam non referret, nisi caveretur, ut mercedem solveret, quamprimum celer satis evaserit. non enim tarditate, ut arbitror, homines, sed injustitia injuriam faciunt. Nonne? Cal. Ita. So. Si quis igitur hoc ipsum auferat, scilicet injustitiam, discrimen jam injuriae devitaverit. verum per id solum in tuto collocari beneficium potest, si quis eos, quibus confert, bonos re vera possit efficere. Nonne? Cal. Consentio. So. Propterea, ut videtur, in aliis contractibus turpe non est sibi cavere, veluti pro aedificiis ceterisque artificiis. Cal. Apparet. So. Pro hac autem facultate, scilicet ut bonus quis fiat, optimeque familiam suam gubernet atque rem publicam, turpe existimatur nihil prius velle docere, quam de pecunia caveatur. Nonne? Cal. Certe. So. Constat enim hanc esse causam, quia solum hoc ex aliis beneficiis eum qui acceperit facit referendae gratiae cupidum. quapropter praeclarum videtur esse argumentum, si is, qui officium ejusmodi praestiterit, vicissim ipse recipiat: contra vero nequaquam. Num haec ita se habent? [521] Cal. Ita. So. Ad utram igitur me cohortaris civitatis curam? age, mihi definias, ad eamne, per quam Atheniensibus repugnem, contendamque ut quam optimi fiant, tanquam medicus: an ad eam, per quam tanquam minister voluptatis illorum gratia studeam? Et mihi vera dic, o Callicles. decet enim te, quemadmodum incepisti, audacter prosequi, mihi libere exprimendo quae sentis. Et nunc ergo bene generoseque responde. Cal. Ad ministerium profecto te exhortor. So. Ad adulationem ergo me, o vir generosissime, provocas. Cal. Si mavis, o Socrates, Mysiiom vocari, vocaberis utique, nisi mihi credideris. So. Ne objicias mihi nunc, quod jam saepius objecisti, videlicet interficiet te, o Socrates, quicunque voluerit: ne ego iterum ita respondeam, At malus bonum. neque iterum dicas: auferet tibi, o Socrates, quilibet, si quid habes: ne ego quoque respondeam, At vero qui auferet, nesciet illis tanquam sibi utilibus uti, sed quemadmodum injuste a me abstulerit, sic ipse utetur injuste. quod si injuste, ergo et turpiter: denique si turpiter, male. Cal. Videris mihi, o Socrates, opinari, nihil ejusmodi te passurum; perinde ac si procul hinc habites: neque deduci posse in judicium putas ab ignavissimo quoque nulliusque pretii homine. So. Amens certe forem, o Callicles, nisi putarem in hac civitate unumquemque quodlibet ejusmodi pati posse. Hoc tamen certo scio, si in judicium venero, periclitaturum ob ea quae tu affers, improbum fore qui me accusaverit. nullus enim bonus ho-

Digitized by Google

minem accusat insontem. Profecto nihil mirum foret, si morte damnarer. Vis tibi dicam, quam ob causam hæc exspectem? Cal. Volo equidem. So. Arbitror equidem, me una cum paucis Atheniensibus, ne dicam solum, civilem disciplinam re vera tractare, neque solum ex omnibus qui nunc sunt, civilia exercere, utpote qui igitur non ad gratiam verba facio, quæ et frequentissime facio, sed ad id potius, quod optimum sit, quam quod dulcissimum: neque ea, ad quæ quasi præclara quædam tu nunc monendo exhortaris, recipio me facturum: nimirum quid potissimum in judicio dicam, non habeo. Et nunc quidem recurrit mihi rursus in mentem quod ad Polum dixeram. ita enim de me judicaretur, quemadmodum inter pueros de medico, quem accusaverit coquus. Considera enim, qua se ratione defenderet medicus, die sibi apud pueros dicta, si quis eum his verbis accuset: Vir iste, o pueri, multa vobis intulit mala. nam et vos et minores etiam vestros secando urendoque contorquet, et attenuans suffocansque [522] affligat, præterea amarissimos præbet potus, et ad famem sitimque vos urget. ego vero contra multa et varia suaviaque vobis paro. Si hæc, inquam, coquus deferat accusator, quidnam censes hoc circumventum malo medicum responsurum? An forte vera fatebitur, dicens: Hæc equidem, o pueri, sanitatis vestræ gratia feci? At vero quam vehementer putas judices ejusmodi reclamaturos esse? Cal. Vehementer fortasse putandum est. So. Nonne igitur putas in maxima eum ambignitate inopiaque suæ defensionis tunc detineri? Cal. Prorsus. So. Idem mihi scio, si in judicium traherer, eveniret. neque enim voluptates ullas a me ad eorum libidinem inventas commemorare possem, quas ipsi beneficii utilitatisque loco existimant. ego vero nequaquam. nec ministros quidem earum probo, neque eos ob id, quibus præbentur, feliciores existimo. Præterea si quis me dicat vel corrumpere juventutem in ambiguitatem inopiamque deducendo; vel improbare seniores mordacibus quibusdam verbis vel privatim vel publice: non dabitur mihi veri dicendi facultas, Me videlicet juste hæc omnia dicere, eorumque ipsorum duntaxat utilitati consulere: neque aliud quicquam afferre facile potero. quamobrem forsitan nihil est, quod adversus me non decerneretur. Cal. Videtur ergo tibi, o Socrates, bene se habere, qui in civitate talis sit, ut sibi ipsi nequeat præsidio fore? So. Modo hoc sit in ipso, o Callicles, quod tu sæpius consensisti, ut sibimet id auxilii præstare possit, quo neque adversus homines neque adversus deos injuste aliquid fecerit aut dixerit. hoc enim auxilii genus præstare sibi, sæpius jam consensimus optimum esse. Si quis igitur me convincat, ejusmodi auxilium mihi vel aliis afferre non posse, procul dubio erubescerem, sive inter multos sive inter paucos sive solus a solo fuerim redargutus. Itaque si propter hanc impotentiam morerer, graviter ferrem. sin autem ob adulatorias rhetoricæ defectum ultimo supplicio afficerer, certo scio, te inspecturum me mortem perfacile perferentem. nam mori quidem nullus formidat, nisi omnino rationis expers atque ignavus: injuste autem se gerere formidat. Multis enim peccatis refertam animam ad inferos descendere, extremum omnium est malorum. Proinde si vis, id ita se habere, rationem reddere volo. Cal. Immo vero, cum cetera perfeceris, hoc etiam perfice. [523] So. Audi igitur, ut aiunt, pulcherrimum sermonem, quem te arbitror fabulam putaturum: ego vero non fabulam, sed sermonem. nam tanquam vera quæ dicturus sum, tibi narrabo. Profecto, quemadmodum ait Homerus, Juppiter, Neptunus et Pluto regnum, quod acceperunt a patre, inter se diviserunt. Exstabat autem lex de hominibus sub Saturno, et semper et nunc etiam exstat apud deos, ut quicunque homines juste pieque vitam egissent, cum e vita migrarent, ad beatorum insulas profecti in omni felicitate viverent, a malis longe sejuncti: qui vero injuste impieque vixissent, in punitionis justique supplicii carcerem, quod appellant Tar-

Digitized by Google

tarum, irent. Horum vero judices sub Saturno atque etiam sub ipso Jove regnante nuper incipiente viventes erant atque viventium, atque eadem die, qua mortem quis obiturus fuerat, judicabant: quapropter injuste judicabant. Igitur Plutus atque beatarum curatores insularum Jovem adeuntes retulerunt, indignos ad eos utrinque homines devenire. Ad quos sic inquit Juppiter, At ego remedium adhibebo. nunc enim propterea judicatur inique, quod vestiti atque circumdati singuli judicantur, quoniam ante obitum judicantur. itaque multi, pravas habentes animas, circumdati sunt corporis forma et genere atque divitiis. præterea quando judicium imminet, confluit multitudo testium asserentium eos juste vixisse. quo fit, ut judices ob hæc obstupescant. Accedit quod et ipsi vestiti atque circumdati judicant, oculos et aures et totum corpus quasi animæ velamen habentes. Hæc enim omnia illis obstacula sunt, videlicet tam sui quidam quam eorum qui judicantur, amictus. Principio providendum est, inquit, ne homines mortem suam præsentiant. nunc enim prævident. Et mandatum est Prometheo, ne eos præsentire permittat. Deinde nudi his omnibus sunt judicandi. sunt enim judicandi post obitum. Judicem quoque ipsum oportet esse nudum, mortuum videlicet: et ipso duntaxat animo animum ipsum inspicientem statim post insperatum cujusque obitum, animum inquam, a suis omnibus desertum, omnemque ornatum exteriorem relinquentem in terra, ut judicium juste procedat. Ego igitur, utpote qui ante vos hæc præviderem, constitui jam meos filios judices, duos quidem ex Asia, Minoëm videlicet et Rhadamanthum, [524] unum vero ex Europa, Æacum. Hi ergo postquam mortui fuerint, judicabunt in prato quodam, ibique in trivio, ex quo geminæ portant viæ, altera quidem ad Tartarum, altera vero ad insulas beatorum. Et Asiaticos quidem Rhadamanthus, eos vero, qui ab Europa venient, Æacus judicabit. Minoi vero id munus injungam, ut ipse dijudicet, si quid aliis ambiguum fuerit, ut justissime procedat judicium recteque fiat transmissio animorum. Hæc sunt, o Callicles, quæ audivi veraque esse credo: atque ex his sermonibus adductus ita mecum reputo. Mors quidem est, ut mihi videtur, nihil aliud quam rerum duarum, animæ scilicet atque corporis, invicem dissolutio. Cum vero duo hæc disjuncta sunt invicem, non multum abest, quin utrumque ipsorum habitum servet eundem, quem vivente homine possidebat. Principio corpus tam naturam suam quam culturam passionesque præfert. Veluti si magnum erat alicui corpus vel natura vel alimonia vel utrisque, dum vivebat, mortuo etiam homine erit magnum: item si crassum fuerat, erit et crassum: ceteraque similiter. præterea si comandi studiosus homo fuerat, servabit comam. Rursus si quis erat verbero, multaque plagarum vestigia corpori habebat impressa vel a verberibus vel a vulneribus, dum viveret: hujus quoque mortui corpus eadem retinere videmus. Et si qua in parte fractum erat aut distortum, eo quoque mortuo eadem hæc apparent: atque ut summatim dicam, qualecunque viventis erat corpus, talia ipsius mortui omnia vel plurima ad tempus apparent. Idem quoque mihi videtur, o Callicles, circa animam: cuncta enim apparent in anima, cum corpus exuerit, tam quæ ex natura quam quæ ex affectibus inerant, quæ ob rei cujusque studium homo contraxit in animam. Cum igitur ad judicem pervenerunt, Asiatici quidem ad Rhadamanthum; Rhadamanthus eos sistens uniuscujusque animam intuetur, cujus tamen anima illa fuerit non attendens. Sed plerunque magni Persarum regis aut alterius regis sive potentis obvium animum contemplatus, nihil in eo inspicit sanum: sed a perjuriis atque injustitia, quasi quibusdam verberibus cicatricibusque, infectum, [525] qualia cujusque actio contraxit impressitque, animum: omniaque obtorta mendaciis atque vanitate, nihilque recti habentem, quia sine veritate fuerat educatus: præterea ob peccandi

Digitized by Google

minem accusat insontem. Profecto nihil mirum foret, si morte damnarer. Vis tibi dicam, quam ob causam hæc exspectem? Cal. Volo equidem. So. Arbitror equidem, me una cum paucis Atheniensibus, ne dicam solum, civilem disciplinam re vera tractare, neque solum ex omnibus qui nunc sunt, civilia exercere, utpote qui igitur non ad gratiam verba facio, quæ et frequentissime facio, sed ad id potius, quod optimum sit, quam quod dulcissimum: neque ea, ad quæ quasi præclara quædam tu nunc monendo exhortaris, recipio me facturum: nimirum quid potissimum in judicio dicam, non habeo. Et nunc quidem recurrit mihi rursus in mentem quod ad Polum dixeram, ita enim de me judicaretur, quemadmodum inter pueros de medico, quem accusaverit coquus. Considera enim, qua se ratione defenderet medicus, die sibi apud pueros dicta, si quis eum his verbis accuset: Vir iste, o pueri, multa vobis intulit mala. nam et vos et minores etiam vestros secando urendoque contorquet, et attenuans suffocansque [522] afflictat, præterea amarissimos præbet potus, et ad famem sitimque vos urget. ego vero contra multa et varia suaviaque vobis paro. Si hæc, inquam, coquus deferat accusator, quidnam censes hoc circumventum malo medicum responsurum? An forte vera fatebitur, dicens: Hæc equidem, o pueri, sanitatis vestræ gratia feci? At vero quam vehementer putas judices ejusmodi reclamaturos esse? Cal. Vehementer fortasse putandum est. So. Nonne igitur putas in maxima eum ambiguitate inopiaque suæ defensionis tunc detineri? Cal. Prorsus. So. Idem mihi scio, si in judicium traherer, eveniret. neque enim voluptates ullas a me ad eorum libidinem inventas commemorare possem, quas ipsi beneficii utilitatisque loco existimant. ego vero nequaquam. nec ministros quidem earum probo, neque eos ob id, quibus præbentur, feliciores existimo. Præterea si quis me dicat vel corrumpere juventutem in ambiguitatem inopiamque deducendo; vel improbare seniores mordacibus quibusdam verbis vel privatim vel publice: non dabitur mihi veri dicendi facultas, Me videlicet juste hæc omnia dicere, eorumque ipsorum duntaxat utilitati consulere: neque aliud quicquam afferre facile potero. quamobrem forsitan nihil est, quod adversus me non decerneretur. Cal. Videtur ergo tibi, o Socrates, bene se habere, qui in civitate talis sit, ut sibi ipsi nequeat præsidio fore? So. Modo hoc sit in ipso, o Callicles, quod tu sæpius consensisti, ut sibimet id auxilii præstare possit, quo neque adversus homines neque adversus deos injuste aliquid fecerit aut dixerit. hoc enim auxilii genus præstare sibi, sæpius jam consensimus optimum esse. Si quis igitur me convincat, ejusmodi auxilium mihi vel aliis afferre non posse, procul dubio erubescerem, sive inter multos sive inter paucos sive solus a solo fuerim redargutus. Itaque si propter hanc impotentiam morerer, graviter ferrem. sin autem ob adulatoriæ rhetoricæ defectum ultimo supplicio afficerer, certo scio, te inspecturum me mortem perfacile perferentem. nam mori quidem nullus formidat, nisi omnino rationis expers atque ignavus: injuste autem se gerere formidat. Multis enim peccatis refertam animam ad inferos descendere, extremum omnium est malorum. Proinde si vis, id ita se habere, rationem reddere volo. Cal. Immo vero, cum cetera perfeceris, hoc etiam perfice. [523] So. Audi igitur, ut aiunt, pulcherrimum sermonem, quem te arbitror fabulam putaturum: ego vero non fabulam, sed sermonem. nam tanquam vera quæ dicturus sum, tibi narrabo. Profecto, quemadmodum ait Homerus, Juppiter, Neptunus et Pluto regnum, quod acceperunt a patre, inter se diviserunt. Exstabat autem lex de hominibus sub Saturno, et semper et nunc etiam exstat apud deos, ut quicunque homines juste pieque vitam egissent, cum e vita migrarent, ad beatorum insulas profecti in omni felicitate viverent, a malis longe sejuncti: qui vero injuste impieque vixissent, in punitionis justique supplicii carcerem, quod appellant Tar-

Digitized by Google

tarum, irent. Horum vero judices sub Saturno atque etiam sub ipso Jove regnante nuper incipiente viventes erant atque viventium, atque eadem die, qua mortem quis obiturus fuerat, judicabant: quapropter injuste judicabant. Igitur Plute atque beatarum curatores insularum Jovem adeuntes retulerunt, indignos ad eos utrinque homines devenire. Ad quos sic inquit Juppiter, At ego remedium adhibebo. nunc enim propterea judicatur inique, quod vestiti atque circumdati singuli judicantur, quoniam ante obitum judicantur. itaque multi, pravas habentes animas, circumdati sunt corporis forma et genere atque divitiis. præterea quando judicium imminet, confluit multitudo testium asserentium eos juste vixisse. quo fit, ut judices ob hæc obstupescant. Accedit quod et ipsi vestiti atque circumdati judicant, oculos et aures et totum corpus quasi animæ velamen habentes. Hæc enim omnia illis obstacula sunt, videlicet tam sui quidam quam eorum qui judicantur, amictus. Principio providendum est, inquit, ne homines mortem suam præsentiant. nunc enim prævident. Et mandatum est Prometheo, ne eos præsentire permittat. Deinde nudi his omnibus sunt judicandi. sunt enim judicandi post obitum. Judicem quoque ipsum oportet esse nudum, mortuum videlicet: et ipso duntaxat animo animum ipsum inspicientem statim post insperatum cujusque obitum, animum inquam, a suis omnibus desertum, omnemque ornatum exteriorem reliquentem in terra, ut judicium juste procedat. Ego igitur, utpote qui ante vos hæc præviderem, constitui jam meos filios judices, duos quidem ex Asia, Minoëm videlicet et Rhadamanthum, [524] unum vero ex Europa, Æacum. Hi ergo postquam mortui fuerint, judicabunt in prato quodam, ibique in trivio, ex quo geminæ portant viæ, altera quidem ad Tartarum, altera vero ad insulas beatorum. Et Asiaticos quidem Rhadamanthus, eos vero, qui ab Europa venient, Æacus judicabit. Minoi vero id munus injungam, ut ipse dijudicet, si quid aliis ambiguum fuerit, ut justissime procedat judicium recteque fiat transmissio animorum. Hæc sunt, o Callicles, quæ audivi veraque esse credo: atque ex his sermonibus adductus ita mecum reputo. Mors quidem est, ut mihi videtur, nihil aliud quam rerum duarum, animæ scilicet atque corporis, invicem dissolutio. Cum vero duo hæc disjuncta sunt invicem, non multum abest, quin utrumque ipsorum habitum servet eundem, quem vivente homine possidebat. Principio corpus tam naturam suam quam culturam passionesque præfert. Veluti si magnum erat alicui corpus vel natura vel alimonia vel utrisque, dum vivebat, mortuo etiam homine erit magnum: item si crassum fuerat, erit et crassum: ceteraque similiter. præterea si comandi studiosus homo fuerat, servabit comam. Rursus si quis erat verbero, multaque plagarum vestigia corpori habebat impressa vel a verberibus vel a vulneribus, dum viveret: hujus quoque mortui corpus eadem retinere videmus. Et si qua in parte fractum erat aut distortum, eo quoque mortuo eadem hæc apparent: atque ut summatim dicam, qualecunque viventis erat corpus, talia ipsius mortui omnia vel plurima ad tempus apparent. Idem quoque mihi videtur, o Callicles, circa animam: cuncta enim apparent in anima, cum corpus exuerit, tam quæ ex natura quam quæ ex affectibus inerant, quæ ob rei cujusque studium homo contraxit in animam. Cum igitur ad judicem pervenerunt, Asiatici quidem ad Rhadamanthum; Rhadamanthus eos sistens uniuscujusque animam intuetur, cujus tamen anima illa fuerit non attendens. Sed plerunque magni Persarum regis aut alterius regis sive potentis obvium animum contemplatus, nihil in eo inspicit sanum: sed a perjuriis atque injustitia, quasi quibusdam verberibus cicatricibusque, infectum, [525] qualia cujusque actio contraxit impressitque, animum: omniaque obtorta mendaciis atque vanitate, nihilque recti habentem, quia sine veritate fuerat educatus: præterea ob peccandi

Digitized by Google

licentiam et petulantiam mollemque lasciviam et in actionibus singulis intemperantiam incompositum penitus atque turpem. Animum igitur contemplatus sic affectum, statim ignominiose extra custodiam illuc transmittit, ubi meritas subire pœnas oportet. Convenit autem, omnem qui ab aliquo recte punitur, vel ipsum fieri meliorem utilitatemque percipere, vel ceteris exempla dare, ut alii pœnas ejus conspicientes meliores ob timorem efficiantur. Qui vero apud deos et homines ita dant pœnas, ut utilitatem inde aliquam referant, hi sunt, qui peccata sanabilia commiserunt; quibus dolor cruciatusque prodest et apud homines et apud inferos. non enim aliter quis potest ab injustitia liberari. Qui autem extrema injustitia detinentur, ac propter ejusmodi delicta sunt insanabiles, ex his exempla sumuntur: ipsique nullam amplius utilitatem inde reportant, utpote qui sanari non possint: sed prosunt duntaxat aliis per exemplum, qui eos intuentur propter flagitia maximis acerbissimisque et terribilissimis pœnis omni tempore cruciatos, tanquam exemplum monimentumque et spectaculum apud inferos in carcere præbentes injustis omnibus, qui ad ea loca descendunt. Quorum unum dico fore Archelaum, si vera narrat Polus, et alium quicunque tyrannus talis exstiterit. Arbitror autem in eorum numero qui solum exempla tradunt, plurimos esse tyrannos, reges, potentes, civitatum gubernatores, quippe cum hi ob ipsam peccandi licentiam gravissima profanissimaque peccata committunt. Attestatur autem nobis Homerus, qui reges et potentes inducit apud inferos omni tempore cruciatos, ceu Tantalum, Sisyphum et Tityum. Thersitem vero, et si quis alius privatim fuit malus, nullus unquam velut insanabilem magnis fecit pœnis torqueri: quippe cum licentiam, ut arbitror, non habuerit. quamobrem felicior erat illis, quibus licentia sceleris perpetrandi dabatur. Profecto, o Callicles, ex his qui potentiam licentiamque habent, sunt qui nimium [526] pravi fuerunt. Nihil tamen prohibet, inter hos etiam bonos quosdam esse viros: et certe qui talis fuerit, mirifice est colendus. Nempe arduum est, o Callicles, ingentique laude dignum, ut quis in magna peccandi licentia constitutus justam transigat vitam: paucique tales reperiuntur. Fuere tamen et hic et alibi, atque, ut arbitror, erunt nonnulli præclari bonique viri, hac videlicet virtute præditi, per quam ea quorum sibi concessa est auctoritas, juste tractarent. Unus autem Græcorum omnium probatissimus Aristides Lysimachi filius exstitit. Plerique autem, o vir optime, potentum improbi sunt. Quamobrem, ut dicebam, quando Rhadamanthus aliquem ejusmodi deprehendit, nihil aliud circa ipsum novit, neque quisnam sit, neque ex quibus ortus, sed utrum sit malus: cumque id compererit, dimittit in Tartarum, obsignans, utrum sanabilis vel insanabilis videatur. ille vero illuc transmissus meritas subit pœnas. Interdum vero alium intuitus animum vel privati vel alicujus alterius, qui pie atque integre vixerit, quod quidem philosophis potissimum contingere arbitror, rem suam agentibus neque multis se negotiis implicantibus, applaudit huic, et transmittit ad insulas beatorum. Hæc eadem Æacus efficit. uterque vero ipsorum virgam tenet, dum judicat. Minos autem considerans sedet solus, aureum habens sceptrum, quemadmodum de hoc apud Homerum inquit Ulixes, videlicet illum vidisse sceptrum aureum tenentem jusque mortuis dantem. Ego igitur, o Callicles, ab hujusmodi sermonibus flector, et jam considero qua ratione judici sanissimum animum ostendere possim. Quamobrem omnes populi spernens honores, veritatemque considerans, conabor re vera quam maxime potero bonus vivere atque mori. Cohortor autem et ceteros omnes, quantum possum. Te quoque ad hujusmodi vitam revoco atque certamen: quod equidem assero præ aliis certaminibus in hac vita esse homini subeundum. Quapropter et te objurgo, qui non poteris tibi ipsi opem ferre, quando de te judicabitur, instabitque sententia

Digitized by Google

quam modo dicebam: sed cum perveneris ad judicem Ægînæ filium, illeque te apprehensum ducet, [527] oscitabis vacillabisque illic non minus, quam ego hic apud judices vestros, ibi forsitan percutiet te aliquis turpiter super genam, et contumelia injuriaque prorsus afficiet. Hæc forsitan anilis quædam fabula tibi videtur, et quæ dicta sunt contemnis. sed profecto nihil mirabile foret hæc spernere, si quo pacto perquirentes meliora his et veriora invenire possemus. Nunc vero vides, cum tres viri sitis, omnium qui nunc sunt Græcorum sapientissimi, tu scilicet et Polus et Gorgias, non posse vos tamen ostendere alia esse ratione vivendum, quam ea quæ illuc quoque conducere videatur. Immo vero in tot sermonibus, cum ceteri redarguti fuerint, solus hic remanet firmus: scilicet cavendum esse injuriam facere magis quam pati: idque viro præ ceteris omnibus meditandum, non ut bonus quidem videatur, sed ut re vera sit bonus publice atque privatim: si quis autem malus quodam modo fuerit, esse puniendum: idque secundo loco bonum esse, post id quod est esse justum, videlicet fieri castigatione bonum pœnasque injustitiæ luere: omnem præterea adulationem circa se ipsum et alios, sive paucos sive multos, fugiendam esse: Rhetorica denique omnique alio actionis genere pro justitia duntaxat utendum. Quas ob res mihi credens, sequere me illuc, quo cum perveneris, et vivens et mortuus beatus eris, quemadmodum tuus quoque sermo significat. Atque permitte, ut aliquis te contemnat ut stultum, injuriisque si libet afficiat; et per Jovem ne cures, si ignominiose percutiaris. nihil enim grave patieris, si re vera honestus bonusque sis virtutemque exerceas. Postquam vero sic una exercitati fuerimus, tunc, si tibi operæ pretium esse videbitur, ad publica jam nos negotia conferemus, aut ad quodcunque nobis deliberantibus tunc videbitur, quando melius quam nunc deliberare poterimus. Turpe enim est, cum tales simus, quales nunc esse videmur, jactare se verbis quasi aliquid simus: quibus nunquam de rebus eisdem, et quidem maximis, videntur eadem: in tantum processimus ruditatis. Hanc igitur rationem, quæ nunc nobis innotuit, tanquam ducem sequamur, ostendentem nobis hunc optimum esse vivendi modum, ut justitiam ceteraque virtutes per totam vitam exerceamus. Huic igitur obtemperemus, aliosque ad hanc adhortemur: non autem pareamus illi, qua tu confisus ad eandem me exhortaris. nullius enim est, Callicles, pretii.

Digitized by Google

THEÆTETUS.

EUCLIDES, TERPSION, SOCRATES, THEODORUS, THEÆTETUS.

[142] NUPER, o Terpsion, an pridem rure venisti? TER. Jam pridem. ac te in foro quæsivi, et miratus sum, quod te reperire nequaquam potuerim. EU. Non eram in urbe. TER. At ubi? EU. Cum in portum descendissem, offendi Theætetum, qui Corintho e castris Athenas ferebatur. TER. Vivusne an mortuus? EU. Semivivus: vulneribus enim quibusdam afflictus est, et quod deterius, morbo etiam diuturno in castris est confectus. TER. Num dysenteria? EU. Hac ipsa. TER. O qualem virum refers in discrimine positum! EU. Præclarum admodum atque optimum, o Terpsion: nam paulo ante nonnullos audivi, qui eum circa rem militarem miris laudibus extollebant. Nec mirum id videri debet: immo longe magis mirandum esset, si contra se haberet. TER. Cur non divertit Megaram? EU. Properabat domum. ego enim et consului et obsecravi: ille noluit. Quin etiam comitatus ipsum, cum ab eo discederem, recordatus sum Socratis, atque admiratus, quam divine et sæpe alias et de hoc maxime vaticinatus fuerit. Nam paucis diebus ante quam e vita decederet, obviam factus Theæteto adhuc adolescentulo, cum eo disseruit, ejusque indolem et probavit et admiratus est. Deinde mihi Athenas profecto rationes disputationis illius, auditu maxime dignas, singulas enarravit, atque insuper addidit præstantem omnino virum futurum, si adoleverit. Ac vera nimium prædixisse videtur. TER. Certe: sed quinam sermones? num referre potes? EU. Non verbis, per Jovem, sed literis. etenim [143] reversus domum statim commentariis eos perstrinxi: deinde per otium reminiscendo latius scripsi: et quotiens Athenas proficiscerer, si quid excidisset, Socratem interrogabam, atque huc rediens emendabam. quo factum est, ut universa pæne disputatio illa conscripta sit. TER. Vera loqueris. audivi enim hæc a te pridem: et ista nosse cupiens, te quæsiturus huc sæpe accessi. Quid ergo nunc obstat, quo minus percurramus? Enimvero quiete mihi opus est: nam ex agro veniens defessus sum. EU. Ego quoque erineum usque Theætetum comitatus sum: quamobrem libenter admodum requiescerem. Eamus ergo. nobis enim sedentibus puer aliquis perleget. TER. Probe. EU. Hic, o Terpsion, liber est, non ita compositus, quasi Socrates mihi referat, ut re vera retulit, sed quasi cum illis præsens disputet, quibuscum disputasse mihi narravit. Hos autem geometram Theodorum et Theætetum fuisse dicebat. Ne igitur molestum esset, si *inquam* et *inquit*, *consensit* et *negavit* sæpius interponeretur, his vitatis Socratem ipsum una cum illis disputantem induxi. TER. Scite, Euclides. EU. Heus tu, accipe librum, ac lege. So. Si Cyrenei, o

Digitized by Google

Theodore, præ ceteris curæ mihi essent, quæ ad eos spectant abs te potissimum exquirerem, si qui illic juvenes geometriæ aut alteri philosophiæ studio ardenter incumberent. Nunc autem magis nostros quam illos amo, potiusque intelligere cupio, quinam e nostris juvenibus in viros probos evasuri merito videantur. Hæc ipse pro viribus semper exploro, et ab aliis, ad quos juvenes confluere video, sæpe percontor. Te autem non pauci sectantur; et merito. nam et aliorum gratia et geometriæ maxime concursu dignus esse videris. Si quem igitur nactus es memoratu dignum, libenter audirem. Theo. Atqui, o Socrates, et me referre et te auscultare decet, qualem e vestris civibus adolescentem invenerim. qui si formosus esset, laudare illum vererer, ne cui forsan illius amore captus videri possem. Nunc autem ne mihi succenseas neque turbes: non enim est pulcher. Similis tibi est, simo naso et prominentibus oculis: quamvis minus ille quam tu in his modum excedat: libere tecum [144] loquor: scito in primis, me nullum adhuc adolescentulum reperisse (licet cum multis versatus fuerim) tam mirabili naturæ felicitate donatum. Difficile admodum est, reperire hominem ingeniosum simul, et præ ceteris mansuetum atque virilem. equidem nec fuisse unquam existimo nec esse video, qui ita natura sint instituti. Ceterum acuti, ut iste, sagacesque et memoriosi et dociles ut plurimum in iracundiam impetusque præcipites sunt: proruunt enim atque raptantur, quemadmodum sine retinaculis naves, et furiosi potius quam fortes existunt. Graves autem sæpe, cum ad disciplinas se conferunt, segnes, torpentes, obliviosi sunt. Iste vero ita leniter, libere, suaviter, expedite, maxima cum mansuetudine ad disciplinas quæstionesque graditur, ut nec lubricus quietusque olei fluxus mollior et suavior videatur, et ut mirum sit tantum ingenium tam mature ista peragere. So. Optima nuntias. sed cujus nostrorum civium filius est? Theo. Nomen quidem ejus audivi, sed e memoria excidit. est autem medius ille eorum, qui contra nos veniunt. paulo ante in platea, quæ extra mœnia est, is et socii sui quidam uncti luserunt. nunc peracto ludo huc adventare videntur. adverte utrum agnoscas necne. So. Agnosco equidem. Suniensis Euphronii filius est, viri, o amice, procul dubio talis, qualem tu filium figurasti, probatissimi ante omnes, qui patrimonium amplum reliquit. sed nomen pueri non audivi. Theo. Theætetus, o Socrates, nomen est. patrimonium autem ejus tutores dissipasse videntur: veruntamen liberalitate mirifice pollet. So. Generosum hominem narras. jube huc illum accedere et nobiscum sedere. Theo. Fiat. O Theætete, accede huc ad Socratem. So. Veni, obsecro, Theætete, ut meipsum animadvertam, qualem vultum præferam. inquit enim Theodorus, vultu me tibi similem esse. Quod si utriusque nostrum lyram similiter temperatam assereret, utrum confestim id crederemus? an, musicusne esset, prius inquireremus? The. Inquireremus. So. Et si talem reperiremus, crederemus utique: sin autem musicæ expertem, minime? The. Ita est. So. Nunc ergo, si curæ nobis est nostrorum vultuum similitudo, videndum, utrum [145] pictor sit qui dicit, necne. The. Sic videtur. So. Nunquid pictor Theodorus? The. Non adverti. So. Geometricus autem? The. Maxime quidem, o Socrates. So. An et astronomus, dialecticus, musicus, et reliquarum disciplinarum peritus? The. Mihi quidem videtur. So. Dum ergo in aliqua corporis parte consimiles esse nos prædicat, laudans quodammodo vel vituperans, non multum illi fidei adhibendum. The. Non, ut apparet. So. Si quem vero ab animi virtute sapientiaque laudaret, nonne conveniret hæc audienti, laudatum ipsum considerare, laudato autem sese ostendere? The. Omnino, o Socrates. So. Vide, o amice Theætete, tua interest ostendere, mea considerare. Scito, cum Theodorus multos mihi tam peregrinos quam cives laudarit, nullum majoribus ac te laudibus

Digitized by Google

extulisse. THE. Bene esset, o Socrates: sed vide, ne jocans dixerit. So. Non est mos iste Theodori. Verum ne renuas quæ concessa sunt, objiciens quod hic jocis agat; ne testari cogaris. Non facile est, ejus sententiam refutare, sed audacter in concessis persiste. THE. Agendum est, si tibi videtur. So. Dic, age, discis aliqua a Theodoro geometrica? THE. Equidem. So. Quæ vero ad astronomiam, harmoniamque et dialecticam spectant, discis? THE. Annitor equidem. So. Ego quoque, o puer, et ab hoc et ab aliis, quos aliquid ex his intelligere arbitror: et quoad alia, in his moderate me habeo: exiguum vero quiddam dubito, quod tecum et cum istis investigandum. Quare mihi respondeas, oro. An non discere est sapientiorem in eo fieri, quod quisque discit? THE. Id ipsum. So. Sapientia vero sapientes sunt quilibet sapientes? THE. Certe. So. Nunquid hoc in aliquo a scientia differt? THE. Quidnam? So. Sapientia videlicet. in quibus scientes, in iisdem et sapientes sunt? THE. Quid prohibet? So. Idem igitur sapientia et scientia est? THE. Idem. So. Hoc illud est, quod dubito neque concludere mecum ipse valeo, quid scientia sit. habemus, quid ad [146] ista dicamus? quid esse asseritis? quis nostrum prior ostendet? Quisquis vero aberraverit, asinus sedeat, ut circulo ludentes pueri ferunt. qui verax extiterit, dominabitur nobis et jubebit quicquid responderi voluerit. Quid siletis? Neque enim mihi, o Theodore, ob verborum studium rusticitate ulla uti est animus: cupio enim vos in disputationem inducere, amicosque et collocutores invicem fieri? THEO. Minime hoc, o Socrates, rusticum esset. quin ex his pueris aliquem respondere tibi jubeas. nam hæc disputandi ratio insueta mihi est; et assuescere nunc ætas prohibet. hos autem magis ista decent, et longe magis proficient. re vera juventus in omnibus proficit. quare, ut cœpisti, ne dimittas Theætetum, sed eum interroga. So. Audis, o Theætete, quæ dicit Theodorus? cui tu, ut opinor, libenter obedies. neque enim fas est, ut hujusmodi in rebus sapienti viro juvenis minus pareat. Ingenue ergo responde, quid esse scientiam opineris. THE. Parendum est, o Socrates, quando quidem vos imperatis. si qua enim in re aberraverо, corrigetis. So. Faciemus procul dubio, si quo modo poterimus. THE. Videntur mihi scientiæ esse, quæ quis a Theodoro discere potest, geometria et reliqua, quæ in superioribus enumerasti: præterea cerdonum aliorumque opificum artes et omnes et singulæ nihil aliud quam scientiæ sunt. So. Generose ac magnifice, o amice, de uno rogatus, multa variaque pro simplici dedisti. THE. Qua ratione id ais, o Socrates? So. Forte nihil dico. quod tamen puto, aperiam. Quotiens artem cerdonicam dicis, nihil aliud ais quam conficiendorum calceorum scientiam? THE. Nihil aliud. So. Quid porro, cum tectonicam, id est fabrilem artem? num aliud quam ligneorum operum scientiam? THE. Nil certe. So. In utrisque igitur id declaras, cujus utraque scientia est? THE. Profecto. So. Quæstio vero nostra non hæc erat, quorum esset scientia, et quot sint. non enim numerandi gratia quærebamus, sed noscendi, quid ipsa scientia sit. an nihil dico? THE. Immo recte. [147] So. Adverte et hoc. Si quis nos de aliquo horum vilium vulgariumque percontetur, veluti de luto, quid sit, eique respondeamus, lutum eorum qui ollas, lutum eorum qui furnulos laternasve, lutum eorum qui lateres fingunt, nonne ridiculi videamur? THE. Forte. So. Primo quidem falso judicaremus, existimantes eum, qui interrogat, intelligere nos, quotiens respondemus lutum eorum qui simulacra puerorum fingunt, vel aliorum hujusmodi: deinde putas, aliquem cogniturum cujus potissimum nomen aliquid sit, nisi quid sit illud agnoverit? THE. Nullo pacto. So. Ergo neque scientiam calceorum noscet, qui scientiam minime novit. THE. Non certe. So. Cerdonicam quoque ignorabit, quisquis

Digitized by Google

ignorat scientiam; et aliam quamvis artem. THE. Sic est. So. Absurda itaque responsio est, si quis, interrogatus quid scientia sit, artis alicujus nomen respondeat. cujus enim scientia est, cum non de hoc rogetur, iste respondet. THE. Videtur. So. Præterea, cum liceat simpliciter ac breviter respondere, per immensum circumvagatur. quemadmodum in quæstione de luto, leve quiddam et simplex inferri potest, quod terra humori commixta lutum est. cujus autem sit lutum, prætermittendum. THE. Facile nunc, o Socrates, ita videtur. videris enim petere, quod nuper mihi et Socrati huic, tibi in nomine simili, disputantibus in mentem venit. So. Quid istud, o Theætete? THE. Theodorus hic de viribus scripsit magnitudinis tripedalis et quinquepedalis, quæ longitudine non sunt pedali magnitudini commensuratæ. eodemque modo discurrens et eliciens singula usque ad magnitudinem septem et decem pedum, in ea tandem constitit. Nobis igitur tale id in mentem venit: postquam infinitæ vires secundum multitudinem emerserunt, conandum eas in unum comprehendere, quo omnes denominemus. So. Num inventum tale quiddam est? THE. Mihi quidem videtur. considera tu quoque. So. Dic. THE. Numerum omnem bifariam divisimus. Unum, qui possit æquales æqualiter fieri, quem in figura tetragono comparavimus, quadrangularem et æquilaterum appellantes. So. Probe. THE. Alterum qui medius hujus, ut tria et quinque [148] et omnis numerus, qui nequit æquales æqualiter fieri, sed vel plus per minus, vel minor pluries fit, majusque et minus ipsum latus semper continet, figuræ altera parte longiori comparavimus, et numerum altera parte longiorem vocavimus. So. Egregie. quid tum postea? THE. Omnes lineas, quæ æquilaterum et planum numerum quadrant, longitudinem definivimus; quæ autem altera parte longiorem, vires, tanquam longitudine illis nequaquam commensurabiles: planis autem, quæ possunt. et circa solida aliud quiddam hujusmodi. So. Optime omnium, o pueri. Quare Theodorus haudquaquam falsi testimonii reus fore videtur. THE. Enimvero, o Socrates, quod de scientia quæris, non ita, ut de longitudine et potentia, respondere valeo, quamquam hujusmodi quiddam perquirere mihi videris. quo fit, ut mendax Theodorus vicissim appareat. So. Quid vero? si te a currendi velocitate laudasset, addens nullum ex pueris promptiorem cursu vidisse; deinde currendo et ab adulto et celerrimo quodam vincaris: num putares minus eum te vere laudasse? THE. Nequaquam. So. Scientiam vero, ut paulo ante dicebam, leve quiddam inventu, an grave potius supremumque ducis? THE. Per Jovem, supremum aliquid arbitror. So. Confide viribus tuis; testimoniumque Theodori ne parvipendas. annitere omni ratione studioque cum de aliis, tum etiam de ipsa scientia, rationem, quid sit, assignare. THE. Annitendi causa, o Socrates, hæc agemus. So. Age, jam bono animo esto: egregie namque modo exposuisti. Conare, imitans responsionem illam de viribus, quemadmodum eas multas una specie comprehendebas, ita et scientias multas una ratione complecti. THE. Scito, o Socrates, me id sæpenumero considerare tentasse, dum has tuas quæstiones circumferri audirem. Verum neque mihi ipse persuadere possum, idoneum ad ista me esse satisve habere, neque alium audire, ut tu præcipis disputantem: neque tamen ab inquisitione desistere. So. Vexaris, o amice Theætete, quasi prope jam parturiens ex eo quod non vacuus, sed gravidus es. THE. Ignoro, o Socrates: quid autem passus sum, exprimo. So. O ridicule, [149] audistin esse me filium obstetricis generosæ admodum acrisque et torvæ, Phænaretæ? THE. Audivi equidem. So. Num quod et in eadem arte versor audisti? THE. Nequaquam. So. Scito ita esse: nec me tamen coram aliis accuses. Latuit enim hactenus omnes, quod hac arte præditus sim: et tanquam nescii, hoc de me non prædicant; sed quod absurdus sum, et homines in

Digitized by Google

ambiguitatem induco. hoc audisti? THE. Id prorsus. So. Vis tibi causam hujus assignem? THE. Quidni velim? So. Quales sint obstetrices, cogita, ac facile quod volo percipies. Scis enim, quod nulla ex illis, quamdiu concipit paritque, parturientibus opitulatur, sed cum jam ad fœtum ineptæ sunt. THE. Prorsus. So. Causam hujus Dianam ferunt, quæ cum sterilis sit, partuum tutelam suscepit. steriles obstetrices fieri vetuit, quoniam humana natura imbecillior est ad artes earum rerum, quas nunquam experta est: his autem, quæ senectute concipere prohibentur, id imperavit, similitudinem suam honorans. THE. Verisimile id quidem. So. An non id quoque probabile ac necessarium est, quæ prægnantes sint et quæ non, acutius ab obstetricibus quam ab aliis animadverti? THE. Omnino. So. Quin etiam medelis et incantationibus obstetrices excitare mollireve partus vexationes valent, et ægre parturientibus opitulari, fœtusque educere; et si intempestivum fore videatur, obtundere atque retrudere. THE. Vera narras. So. Nunquid et hoc de illis audisti, quod tanquam pronubæ in conficiendis conjugiis aptissimæ sunt, quippe quæ optime callent, quam cui jugare ad generosæ prolis procreationem oporteat? THE. Haud satis id novi. So. Scias, non minus in hoc gloriari, quam in umbilici ipsius circumcisione. putas ejusdem an alterius artis officium cultum collectionemque terrenorum fructuum; et rursus dignoscere, quod in solum quam plantam quodve semen jacere deceat? THE. Ejusdem. So. In feminis autem, o amice, alterius facultatis hoc, alterius illud existimas? THE. Haud sane conveniens est. [150] So. Non certe. sed propter injustam et absurdam maris et feminæ conjunctionem, cui lenocinium nomen est, fugiunt conducendi matrimonii artificium, quasi obstetrices castæ sint, vereanturque, ne, pro laudabili studio, lenocinii notentur infamia: siquidem legitimis obstetricibus solis convenit recte mares feminasque jugare. THE. Constat. So. Atque id est obstetricum officium opera mea quodammodo levius. Neque enim accidit mulieribus, ut aliquando simulacra, aliquando res veras pariant. Hoc haud facile cognitu. quod si contingeret, maximum præclarissimumque obstetricum munus esset verum a falso discernere. Tu vero quid sentis? THE. Idem profecto. So. Arti vero meæ adest quicquid ad illarum obstetriciam diligentiam attinet. verum in hoc præstat, quod maribus, non feminis parturientibus succurrit, quodve animarum fœtus, non corporum speculatur. Potissimum autem arti meæ hoc inest, posse videlicet diligenter examinare, utrum simulacrum quoddam falsumque an fecundum ac verum juvenis cogitatio pariat. Quin etiam quod obstetricibus, idem et mihi accidit. sterilis sum et sapientia vacuus: et quod mihi objecerunt multi, interrogare me singulos, respondere nunquam, propterea quia nihil habeam, quod sapienter respondere possim, vere nimium objectant. hujus profecto hæc est causa: parturientibus succurrere Deus me cogit, generare prohibuit. Quocirca non sum admodum sapiens, neque exstat aliquod meæ mentis inventum ex me natum. Qui vero mecum versantur, principio quidem rudes apparent: sed mea deinde consuetudine hi, quibus Deus ipse favet, mirum in modum proficiunt, ut sibi ipsis aliisque videntur. hoc tamen constat, quod nihil unquam a me discunt: immo ipsi in seipsis egregia multa possidentes, inveniunt. obstetricii sane muneris Deus et ego causa. quod hinc maxime conjectare licet. Nam multi quondam hoc ignorantes, seque ipsos causam existimantes, me quidem spreverunt, forte ab aliis persuasi: unde citius quam deceret, a me discesserunt. Quibus abeuntibus ob pravam consuetudinem eorum quæ residua erant abortum fecere: atque insuper quæ ego obstetricia ope ex animæ illorum visceribus jam erueram, male nutrientes, penitus perdiderunt, quippe cum falsa atque simulacra veris nimium anteponerent. demum tam sibi quam aliis ignorantes evasisse merito visi

Digitized by Google

sunt. Quorum e numero unus Lysimachi filius exstitit Aristides, [151] aliique permulti. Cum vero ad me revertuntur, consuetudine mea iterum indigentes eamque mirifice affectantes, nonnullis statim dæmonium meum congredi prohibet; quibusdam contra permittit, qui denuo valde proficiunt. patiuntur nempe familiares mei idem quod parturientes feminæ. vexantur enim et difficultate diu noctuque multo magis quam illæ replentur. quem quidem stimulum tam excitare quam sedare artificium meum valet. et horum res ita se habent. quandoque vero, o Theætete, qui fecundi non sunt, advertens quia opera mea non indigent, eos libenter cum aliis in matrimonium copulo, et, ut cum Deo dicam, acute præsagio, quibus potissimum conjuncti proficiant. quorum multos Prodico tradidi, multos etiam aliis sophistis divinisque hominibus. Hæc, o optime, omnia hanc ob causam altius repetii. angi enim te conceptu quodam gravidum suspicabar, quod et ipse putas. Committe ergo te mihi tanquam obstetricis filio, et obstetriciæ facultatis longe perito; et quæ perquiro, annitere pro viribus respondere. et si quid ex iis, quæ dixeris, discutienti mihi simulacrum potius quam verum apparens refutavero atque abjecero, ne succenseas oro, quemadmodum primo partu puerperæ circa natos efficiunt. multi jam, o mirifice adolescens, adversus me sic affecti sunt, ut vel morsibus invadere vellent, si quando deliramentum aliquod illis abigerem, non putantes id a me benevolentia fieri, cum eos lateret, quod nullus Deus malevolus est hominibus. nec ego tale aliquid malevolentia facio. mihi plane nefas esse videtur admittere falsum ac verum refellere. Rursus igitur a principio, Theætete, quid scientia sit, ut potes, exponere tenta. ut autem non potes, nunquam dixeris. si enim Deus voluerit adjuveritque, valebis. Thr. Cum tu ita, o Socrates, jubeas, turpe esset, si quis suam sententiam non proferret. Videtur mihi quod quispiam scit, id sentire quod scit: et, ut nunc apparet, nihil aliud scientia est quam sensus. So. Quam generose respondisti, o puer! sic enim, quod quisque sentit, exprimendum est. Sed id communiter consideremus, utrum fœtus hic solidus an vanus existat. Sensum ais scientiam esse? Thr. Aio. So. Videris utique definitionem scientiæ haud abjectam intulisse, sed quam [152] Protagoras, modo quidem alio, eadem tamen intentione, induxit. inquit enim rerum omnium mensuram hominem esse: existentium quidem, ut sunt; non existentium vero, ut non sunt. legisti unquam? Thr. Legi equidem sæpenumero. So. Nonne sic ait: Qualia singula mihi videntur, talia mihi esse: qualia vero tibi, tibi quoque talia: homines autem utrique sumus? Thr. Sic certe ait. So. Atqui probabile est, sapientem virum nequaquam nugari. prosequamur igitur. An non sæpe flante vento eodem, alter nostrum riget, alter minime? et unus quidem vix, alius vehementer? Thr. Procul dubio. So. Utrum dicemus tunc ventum ipsum in seipso frigidum aut non frigidum? aut Protagoræ credemus, quod rigenti sit frigidus, non rigenti minime? Thr. Videtur. So. Nunquid ita utrique apparet? Thr. Ita. So. Apparere autem sentire est? Thr. Est. So. Phantasia itaque et sensus idem in calidis ceterisque hujusmodi. qualia namque sentit quisque, talia cuique videntur esse. Thr. Videtur. So. Sensus igitur existentis rei semper est et verus, quippe cum scientia sit. Thr. Apparet. So. Nonne, per Gratiarum numina, egregie sapiens Protagoras erat? et hoc nobis ænigmatum turba significavit; discipulis autem in adytis veritatem explicuit. Thr. Quo pacto id, o Socrates, inquis? So. Dicam, nec contemnenda quidem: quod nihil in seipso unum certum est; neque recte ipsum ex se hoc quiddam aut quale quid denominare potes. etenim si magnum appellas, rursus parvum etiam apparet: et si grave, leve iterum. eademque de ceteris ratio, quasi nihil sit unum aut aliquid aut quale. sed ex latione motuque et alterna commix-

Digitized by Google

tione fiunt omnia, quæ esse dicimus, non recte denominantes. Nihil enim est unquam, semper autem fit. Et in hoc omnes per ordinem sapientes, excepto Parmenide, consenserunt, Protagoras, Heraclitus, Empedocles; et poetarum in utroque poomate summi, in comœdia Epicharmus, Homerus in tragœdia. nam cum Oceanum diceret deorum generationem et matrem Tethim, omnia ex fluxu motuque genita prædicavit. an non id proferre videtur? Thr. Mihi vero. So. Quis ergo adversus tantum [153] exercitum ejusque ducem Homerum pugnare audeat, quin ridiculus habeatur? Thr. Arduum est, o Socrates. So. Arduum absque dubio, Theætete; præsertim cum ista huic sermoni argumento esse possint, quæ videri esse atque esse motus præbet; non esse autem et interire, quies. Ignis enim calorque, qui alia gignit et regit, ipse ex latione frictioneque efficitur. hic autem motus est. an non hæc ignis origo? Thr. Hæc certe. So. Quin etiam animalium genus ex eisdem nascitur. Thr. Quidni? So. Quid corporum habitus? an non otio et torpore corrumpitur, exercitatione autem motuque plurimum conservatur? Thr. Ita. So. Animæ quoque habitus disciplina et meditatione, quæ motiones sunt, doctrinas consequitur, servatur atque perficitur? otio autem, id est negligentia et pigritia, nihil penitus discit, et si quid didicerit, obliviscitur? Thr. Et maxime quidem. So. Bonum itaque tam in anima quam in corpore motus est, quies vero contrarium. Thr. Videtur. So. Præterea in iis, quæ serenitates tranquillitatesque vocantur, hoc assero, quod quietes putrefaciunt atque perdunt; alia vero conservant. Et his suffragium Colophonium adjiciam, ipsam scilicet catenam auream, quam quidem nihil aliud præter solem Homerus intelligit: quia quousque solis circuitus perseverat, omnia tam deorum quam hominum sunt atque servantur. sin autem hoc quasi ligatum staret, confestim omnia dissolverentur, eveniretque quod dicitur, sursum infra deorsum superiora transferri. Thr. Mihi quoque, o Socrates, eadem quæ dicis sentire videtur. So. Accipe et hoc, o optime, circa oculos primum quidem colorem, quem dicimus album, non esse ipsum aliud quicquam extra tuos oculos neque in oculis: neque illi tu locum certum attribuas. Jam enim esset in ordine maneretque, nec in generatione ulterius esset. Thr. At quomodo? So. Sequamur sermonem superiorem, nihil secundum seipsum unum quiddam ponentes. atque ita nobis niger albusque et quivis alius color ex applicatione oculorum ad motionem convenientem genitus apparet: et id, quod coloris nomine appellamus, neque applicans ipsum neque [154] applicitum erit, sed medium quiddam cuiquam proprium effectum. An tu assereres, qualis tibi quilibet color apparet, talem canibus et singulis animalibus apparere? Thr. Non, per Jovem. So. Quid autem? alteri homini et tibi num simile unumquodque asserendumque videtur? an potius nec tibi ipsi idem, eo quod nunquam tibi ipse similis perseveres? Thr. Hoc potius quam illud opinor. So. Si id quo mensuramus vel quod attingimus, magnum vel album vel calidum esset, nunquam in aliud incurrens aliud ficret, ipsum nihil mutatum? Quod si mensuratum aut perceptum quodvis horum esset, nunquam alio accedente vel patiente, ipsum nihil patiens aliud fieret? Nam in præsentia, amice, mira quædam et deridenda facile dicere cogimur, ut ipse quoque Protagoras et quisquis alius ejusdem sententiæ est confiteretur. Thr. Quo pacto et qualia dicis? So. Breve exemplum accipe, intelligesque quod volo. Si sex talis quatuor admoveas, sex priores plures esse quam quatuor dicimus, ac dimidio superare, unde sesquialtera proportio nominatur, sin duodecim, pauciores dimidiosque. nec aliter dici potest. an tu aliter? Thr. Equidem nullo modo. So. Quid ergo? si te Protagoras aut alius quivis interrogaret, Potestne aliquid, o Theætete, majus aut plus aliter fieri quam adauctum? quid, inquam, potissimum

Digitized by Google

responderes? Thr. Si quod mihi videtur, o Socrates, ad hanc quæstionem protulero, non posse asseverabo. sin autem ad superiorem positionem respexero, ne mihi forte repugnem, posse dicam. So. Bene atque divine, per Junonem, o amice. Ergo si posse responderis, Euripidis illud eveniet. nobis enim lingua non redarguta, mens tamen redarguta jam erit. Thr. Sic certe. So. Si ego ac tu facundi sapientesque essemus, postquam omnia mentis sensa discussa fuissent, deinceps facundiam subtilitatemque tentantes sophisticis captiunculis invicem certaremus, verba verbis more conflictantium conferentes. Nunc autem, utpote rudes, volumus ista primum secundum seipsa invicem contemplari, quænam sint quæ cogitamus, et utrum consonent nobis an dissonent. Thr. Maxime quidem id velim. So. Nec minus ego. Sed eum ita affecti simus, tranquille prorsus, utpote otiosi, iterum speculemur, [155] nihil succensentes invicem, sed re vera nos ipsos examinantes, qualia sint hæc in nobis visa phantasmataque. quibus primum consideratis dicemus, ut arbitror, nihil unquam majus minusve fieri vel mole vel numero, quamdiu æquale sibiipsi permanet. nonne ita? Thr. Ita prorsus. So. Deinde cui nec additur neque subtrahitur aliquid, hoc neque crescere unquam neque decrescere, semper autem æquale consistere. Thr. Valde quidem. So. Tertio vero dicemus, quod ante non erat et postea est, nisi fiat et factum sit, esse non posse. Thr. Sic profecto videtur. So. Hæc utique tria concessa pugnant inter se nobis in animo, quando de talis illis loquimur; vel quando fatemur, me senem, dum tantus maneo, nulla in parte auctus minutusve, eodem in anno te juvene majorem nunc esse, postea vero minorem, cum mole quidem mea ablata non sit, sed tua duntaxat adaucta. Sum namque postea, quod ante non eram, nil tamen factus. absque enim fieri factum esse impossibile. nil autem molis amittens, nunquam minus effectus sum. Et alia hujus generis infinita in multis accidunt, si hæc admiserimus. Dic age, o Theætete. videris enim mihi harum rerum non imperitus. Thr. Per deos, o Socrates, magnopere quid ista sint admiror; interdumque ipsa inspiciens tenebris offundor. So. Theodorus, o amice, non male de tuo ingenio conjectasse videtur. maxime enim philosophis hæc affectio est, quæ admiratio dicitur. neque enim aliud præter hoc est philosophiæ principium: et qui Irim Thaumantis, id est admirationis, filiam esse tradidit, non absurde originem ejus explicuit. Sed num percipis, quam ob causam hæc talia sunt, ex quibus Protagoram loqui asseveravimus; an non? Thr. Nondum mihi videor. So. Gratiam itaque mihi habebis, si tibi viri, immo virorum præstantissimorum, intelligentiæ veritatem abditam reseravero? Thr. Quidni habeam, et ingentem equidem? So. Contemplare jam, et simul diligenter cave, ne quis profanus hæc audiat. profani vero sunt, qui nihil aliud esse putant quam quod pugno tenere possunt. actiones vero generationesque et invisibile universum in essentiæ parte nequaquam accipiunt. Thr. Duros nimium et protervos homines, o Socrates, [156] memoras. So. Sunt isti quidem, o puer, a Musis admodum alieni. nec desunt alii quidam elegantiores, quorum tibi mysteria narraturus sum. Principium autem deinceps erit, ex quo ea, quæ modo diximus, manant. Id autem est ipsorum principium, quod universum motus est, et aliud præter motum nihil. Motus vero species duæ, et multitudine quidem utraque infinita: potentia autem altera in agendo, altera in patiendo versatur. ex harum congressu compulsuque mutuo effectus eveniunt numero infiniti, specie gemini: sensibile videlicet ac sensus, qui semper cum sensibili conficitur atque congreditur. Sensuum hæc nomina sunt, visus, auditus, olfactus, gustus tactusque frigidorum et calidorum. quos sequuntur voluptates, dolores, cupiditates atque timores, aliique affectus, innumeri quidem sine nomine, nominati quoque permulti.

Digitized by Google

Genus autem sensibile sensui cuilibet est cognatum : omnigenis visionibus colores omnigeni : auribus itidem voces : ceterisque sensibus alia sensibilia cognata similiter adsunt. Quid igitur, o Theætete, sermo hic ad superiora? advertisne? THE. Haud equidem multum, o Socrates. So. Aspice, utrum ejusmodi sermo sic ad exitum perducatur. Illud enim sibi vult : omnia hæc videlicet, ut diximus, agitari, horumque motibus velocitatem tarditatemve inesse. Quatenus tarditas inest, in eodem, et ad proxima commoveri, atque ita progenerare. quæ vero ita gignuntur, velociora evadunt. feruntur enim, et in latione illorum motionis natura consistit. Cum igitur et oculus et aliquid illi commensuratum cohærent, albedinem gignunt sensumque cognatum : quæ nunquam nata fuissent, dum illorum alterutrum ad aliud adventasset : tunc sane in medio motis, visione quidem ab oculis, albedine autem ab eo quod colorem concreat, oculus visione repletur, videtque et factus est non visus, sed videns oculus. quod vero colorem concreat, albedine repletum est, factumque est non albedo, sed album ; sive lignum seu lapis sive quidvis aliud, quod forte sit colore hujusmodi coloratum : eodemque pacto de aliis, ut de calido et duro ceterisque omnibus judicandum, nihil ex his suapte [157] natura unum aliquid esse, quemadmodum in superioribus disputavimus, sed in alterno congressu omnia fieri et omnigena propter motum. quoniam tam agens quam patiens unum aliquid esse per se, haud firmiter, ut aiunt, intelligere possumus. Neque enim agens est aliquid prius quam patienti congrediatur : neque patiens prius quam agenti. tunc cohærens alicui vel agens vel patiens emicat. Ex iis omnibus sequitur, quod ab initio quoque diximus, nihil esse unum secundum seipsum, sed alicui semper fieri : ipsum autem esse undique excipiendum, licet nos in superioribus consuetudine quadam atque inscitia illo, scilicet ipso esse, uti sæpius coacti fuerimus. Verumtamen, ut sapientum sermo dictat, nullo modo prædicandum est aliquid vel alicujus, vel mei, aut hoc, aut illud, aut aliquid aliud nomen, quod existentiam significet : sed secundum naturam enuntiare oportet, quod agantur, quod fiant, quod corrumpantur, quod mutentur. nam si quis aliquid sermone consistere asseveraverit, facile redargui poterit. Oportet autem et sigillatim sic loqui, atque de cunctis in unum collectis : in qua collectione hominem ponunt et lapidem et unumquodque animal ac speciem. Hæcne, o Theætete, jucunda tibi esse videntur? eaque tanquam tibi placeant degustabis? THE. Ignoro, o Socrates : et de te etiam ambigo, utrum ista tanquam tuæ menti consona referas, an me potius tentes. So. Non recordaris, amice, me nihil horum scire, nihilque talium ut meum mihi vendicare? sum enim sterilis. te autem obstetricis ritu agito atque exerceo, atque hujus gratia te incanto, et tibi singulorum sapientum gustandas epulas offero, donec sententiam tuam in lucem educam. cum demum educta fuerit, tunc primum examinabo, sitne vana sterilisque, an fecunda et solida. Audacter igitur et constanter, bene atque viriliter opinionem tuam in his, quæ te rogavero, jam prome. THE. Roga igitur. So. Dic, num tibi placeat, nihil esse, sed fieri semper bonum ac pulchrum et quodcunque paulo ante dinumeravimus. THE. Dum te audio disserentem, mirum in modum probabilia et admittenda videntur. So. Ne prætermittamus ergo quæ restant. Reliquum est enim, ut de somniis morbisque cum aliis tum insania maxime dicam, et de eo quod perverso modo videre vel audire vel aliter oblique sentire dicitur. Nosti enim, in his omnibus sermonem, quem supra retulimus, sine ulla controversia confutari, cum sensus in ipsis prorsus [158] decipiantur. tantumque abest, ut omnia, quæ apparent cuique, ea sint, ut contra nihil eorum, quæ apparent, existat. THE. Vera narras, o Socrates. So. Quo delinceps, o puer, ille confugiet, qui sensum scientiam affirmavit, quæve cuique apparent, eidem et talia esse, qualia visa

Digitized by Google

sunt? Ther. Pudet me loqui ulterius, Socrates. nihil enim habeo, quod in medium afferam. quod namque posueram, deterrendo penitus subvertisti. Re vera negare nunquam possem, quod furentes somniantesque falsa nimium opinentur, cum illorum nonnulli deos esse se putant, alii avium instar volare se credant. So. Cernis quænam ex iis circa res veras, ac somnia maxime ambigultas sequatur? Ther. Quænam? So. Ea, quam sæpe te audisse existimo, quotiens quæritur, qua potissimum conjectura ostendi possit, utrum dormiamus omnes, et quæ cogitamus singula somniemus; an vigilemus, et re vera invicem disseramus. Ther. Profecto dubium est, o Socrates, qua id conjectura quis discernere valeat. cuncta siquidem vicissim eadem sequi posse videntur. Nam quæ modo disserebamus, nihil prohibet, ut somniantes colloqui videamur: et quando in somno somnia referre nos arbitramur, mirum in modum hæc illis similia sunt. So. Vides jam, quam facile in controversiam veniatur: quandoquidem utrum insomnia an res veræ sint, quæ videntur, nimium ambigatur. præterea cum æquum tempus sit, quod somno datur et quod vigiliæ, in utroque contendit animus præsentes opiniones, ut veras, asserere. quamobrem par tempus hæc vera dicimus, par et illa: et in utrisque similiter affirmamus. Ther. Omnino. So. Eadem quoque de morbis furoribusque ratio est: nisi quod tempus impar. Ther. Recte admodum. So. Nunquid longitudine brevitateve temporis verum determinatur? Ther. At istud plurimum ridiculum esset. So. An alio argumento ostendere potes, quæ ex istis opinionibus veræ sunt? Ther. Non, ut mihi videor. So. A me igitur audi quæ forsitan responderent, qui apparentia semper vera esse opinanti volunt. sic enim te, ut opinor, interrogarent: O Theætete, quod alterum est omnino, num aliquando eandem potentiam habebit quam et alterum? ne id accipiamus, quod partim idem, partim alterum est, sed quod penitus alterum? Ther. Nihil idem habere potest vel quoad potentiam [159] vel quoad aliud quodlibet, quando omnino est alterum. So. Nonne dissimile quoque id, quod hujus modi est, considerare debemus? Ther. Mihi quidem videtur. So. Si quid ergo alicui simile vel dissimile fit, aut sibi ipsi aut alteri, quatenus simile fit, idem; quatenus dissimile, alterum effici confitebimur. Ther. Necessario sequitur. So. An non supra concessimus, multa atque innumera agentia esse, similiter et patientia? Ther. Concessimus. So. Quin etiam quod aliud est ab alio, cum alio et alio mixtum non eadem, sed alia generabit? Ther. Sic prorsus. So. Dicemus utique me ac te et alia secundum eandem rationem: Socratem scilicet bene valentem et Socratem ægrotantem; utrum simile hoc illi an dissimile esse dicemus? Ther. Nunquid ægrotantem Socratem, totum hoc inquis, illi toti, Socrati scilicet bene valenti? So. Recte nimium accepisti. hoc ipsum dicebam. Ther. Dissimile plane et alterum. So. Nunquid sic, ut dissimile? Ther. Necesse est. So. Dormientem quoque et vigilantem, et quæcunque supra narravimus, similiter asseres? Ther. Equidem. So. Quodlibet eorum quæ natura efficere quicquam possunt, quando accipiet sanum Socratem, ut altero me utetur: quando debilem, ut altero? Ther. Quidni? So. Ex altera in utroque gignemus, ego quidem patiens, illud autem efficiens? Ther. Nil prohibet. So. Quotiens vinum sanus bibo, suave ac dulce mihi videtur. Ther. Certe. So. Ex his porro quæ concessa sunt, agens et patiens dulcedinem sensumque progenuerunt, et utraque mota: et sensus quidem circa patiens existens, sentire linguam effecit: dulcedo autem penes vinum circa illud permota, dulce vinum sanæ linguæ tam esse quam apparere fecit. Ther. Sic prorsus superiora concessa sunt. So. Cum vero me ægrotantem accipit, principio quidem non eundem re vera apprehendit; dissimili namque advenit. Ther. Ita est. So. Deinde alia quædam Socrates sic affectus et vini potio gignunt: circa

Digitized by Google

linguam, saporis amari sensum; circa vinum, factam et permotam amaritudinem: et hoc quidem non amaritudinem, sed amarum; me vero non sensum, sed potius sentientem. Thr. Omnino. So. Et ego nihil unquam aliud fiam sic sentiens. alius enim alterius est sensus, et alienum aliudque sentientem efficit: neque illud me [160] efficiens, aliquando congrediens alteri, idem generans, tale existet. ab allo enim aliud generans, alienum alteratumque fiet. Thr. Vera hæc sunt. So. Nec ego mihi ipsi talis, nec illud sibi ipsi tale efficietur. Thr. Non certe. So. Necessarium autem alicujus me fieri, quando sentiens fio. sentiens enim nihil sentire impossibile. et illud quoque necesse alicui fieri, quotiens dulce aut amarum aut aliquid hujusmodi redditur. dulce namque nulli dulce fieri nequit. Thr. Sic est omnino. So. Restat igitur, ut opinor, sive simus, nos invicem esse; sive fiamus, invicem fieri: quandoquidem nostram essentiam necessitas ipsa connectit. connectit, inquam, neque cum alio quopiam neque nobiscum ipsis: invicem ergo vinciri sequitur. Quapropter sive quis esse aliquid dixerit sive fieri, ita accipiendum est, alicui esse fierive, vel alicujus, vel ad aliquid. ipsum autem in seipso quicquam esse vel fieri, neque ipse quisquam profiteri debet, nec alteri asseveranti concedere, quemadmodum ratio superior admonet. Thr. Sic est prorsus, o Socrates. So. Nonne quando quidem me efficiens mihi est, non alteri, ego quoque ipsum sentio, non alius? Thr. Quidni? So. Verus itaque mihi sensus meus: meæ namque essentiæ semper existit: et ego secundum Protagoram judex tam eorum, quæ sunt, ut mihi sunt, quam eorum, quæ non sunt, ut non sunt. Thr. Ita videtur. So. Quid jam obstat, quo minus sciens existam, quemadmodum et sentiens? quippe cum nec decipiar nec aberrem cogitatione circa ea, quæ vel sunt vel fiunt? Thr. Nil prorsus. So. Egregie igitur ipse dicebas, scientiam nihil aliud esse quam sensum. in idem sane ista concurrunt, secundum Homerum quidem et Heraclitum et omne id genus, fluminis instar universa decurrere: secundum vero Protagoram sapientissimum, hominem rerum omnium esse mensuram: et postremo secundum Theætetum, concessis superioribus, scientiam esse sensum. Nunquid, o Theætete, opinionem hanc dicemus esse, quasi tuam prolem nuper abs te quidem genitam, a me autem in lucem obstetricia quadam opera jam eductam? quid ais? Thr. Ita necesse est, o Socrates. So. Hanc, ut videtur, qualiscunque sit, vix tandem genimus. post partum vero, ut mos est, quinta die ab ejus natali solennia celebrantes circulo cursim circumferre debemus, caventes ne nos fallat, si forte educatione digna non sit, [161] sed inanis et falsa. num censes natum tuum omnino alendum, nec ullo modo abjiciendum? an forte si reprobatum videris primogenitum tuum, non moleste feres e medio tolli? Theo. Theætetus, o Socrates, æque feret. neque enim morosus est. verum dic, per deos, an non ita se res habet. So. Disputationis avidus es atque vir bonus, o Theodore, qui me existimas arcam quandam esse sermonum, facileque inde promentem ista non ita sese habere dicturum. quod autem accidit, non advertis, quod nullus unquam sermo a me manat, sed ab eo semper, qui mecum disputat. equidem scio nihil, præter exiguum quiddam, hoc est a sapiente aliquo accipere commode rationem, et nunc quidem hoc ex isto conabor, non ex meipso dicere. Thr. Rectius ipse, o Socrates, loqueris. quare sic efficias, oro. So. Scis, o Theodore, quod ex dictis amici tui Protagoræ in primis admiror? Thr. Quidnam? So. Cetera quidem satis mihi placuerunt, dum probaret, quod cuique videtur, id illi existere. principium tamen sermonis admiratus sum, quod in exordio libri, quem de veritate inscribit, non inquit rerum omnium mensuram esse suem vel prodigiosum canem vel aliud quicquam mirabile ex his, quæ sentiunt: ut magnifice admodum et majori fastu contemptuque profari cœ-

Digitized by Google

pisset, ostendens quod nos eum tanquam deum propter sapientiam admiremur, ipse autem nihilo plus sapiat quam rana gyrina, nedum plus quam hominum aliquis. alterne dicemus, Theodore? Si cuique verum est, quod quisque per sensum opinatur, neque alterius effectum alter melius judicat, neque opinionem alterius discernere quis aptius quam alius potest, verane sit an falsa, sed, ut sæpe jam repetivimus, quisque sua solum opinatur, et ea quidem recta omnia atque vera: cur, o amice, Protagoras ipse adeo sapiens exstitit, ut aliorum præceptor, mercede etiam ampla exhibita, dignus admodum habitus sit; nos autem rudiores ejusque discipuli judicandi? cum tamen quisque sapientiæ propriæ mensura sit: in his quomodo non vulgariter nugetur Protagoras? Studium quoque meum obstetriciæ facultatis persimile quam ridiculum erit: immo et omne disserendi officium inane. nam conatus isti discutiendi refellendique vicissim phantasias et opiniones, cum rectæ sint omnes, [162] nihil erunt aliud quam manifesta deliramenta, si verus est Protagoræ liber neque clam jocatur. Theo. O Socrates, amicus cum sim, quemadmodum ipse modo dicebas, nunquam paterer concedente me Protagoram confutari: neque tibi rursus præter meam sententiam repugnare vellem. Age igitur omnia iterum cum Theæteto. etenim apte nimium diligenterque obsecutus tibi fuisse hactenus visus est. So. Si Lacedæmonem profectus, Theodore, ad palæstram alios quosdam inertes nudato corpore exerceri videres, an non operæ pretium duceres, speciem tuam nudis membris palam cum illis conferre? Theo. Verum quid putas? si me permitterent, quemadmodum vos in præsentia permissuros spero, ut ego quidem solum spectem, neque in gymnasium rapiar vir dura jam cute, illi autem libentius cum juniori molliorique luctentur. So. Atque si tibi id, o Theodore, jocundum est, neque mihi etiam est molestum, ut trito proverbio fertur. Aggrediamur itaque rursus sapientem Theætetum. Dic obsecro. Theætete, primum quæ modo percurrimus, nonne tu quoque miraberis, si subito nihilominus appareas sapiens quam quilibet hominum vel deorum? nunquid Protagoream illam mensuram quoad deos minus quam quoad homines inductam fuisse censes? The. Non, per Jovem; quodve rogas magnopere miror. dum enim supra exponebamus, qua ratione quod cuique videtur, id cuique verum est, scite admodum dici videbatur: nunc autem contraria confestim opinio subiit. So. Juvenis adhuc es, o amice, immo etiam puer, et iccirco concione facile persuaderis. Ad hæc enim Protagoras et quivis alius ejus sectator dicet, O generosi pueri atque viri, ad concionem animum adhibete, convenite, deosque in medium inducite, de quibus ego, utrum sint an non sint, neque loquendum neque scribendum censui: et quæ multi audientes admitterent, hæc dicite, quod grave esset, nisi quilibet vir cuilibet bruto sapientia longe præstaret. demonstrationem vero necessitatemque nullam afferte, sed verisimili tantum ratione utimini. qua si vellet Theodorus aut quivis alius geometra in disputationibus geometricis uti, nullius prorsus æstimaretur. Considerate igitur, tu simul atque Theodorus, utrum sermones tantis de rebus ratione [163] probabili confirmatos suscipiatis. The. Injuste et tu, o Socrates, et nos loqueremur. Sed jam alio pacto considerandum, ut tu Theodorusque consentitis. Theo. Alio certe. So. Sic utique cogitemus, sitne idem scientia et sensus, an aliud. ad hoc enim omnis superior sermo vergebat, et hujus gratia permulta atque miranda tetigimus. The. Sic est omnino. So. Confitebimur, quæcunque videndo vel audiendo sentimus, eadem et scire? ut puta barbarorum vocem, antequam didicerimus, dicemus non audire quando loquuntur? an audire scireque simul? et literarum prorsus ignari cum illarum contextum aspicimus, num videre nos eas negabimus? an et scire, si modo viderimus, asseremus? The. Idipsum, o Socrates, quod in his cernimus et

Digitized by Google

audimus, scire insuper affirmabimus: harum quidem figuram coloremque inspicere et scire similiter; illorum autem acutam vocem et gravem audire pariter atque scire: quæ vero grammatici et interpretes de his tradunt, neque sentire videndo et audiendo, neque etiam scire. So. Optime, o Theætete; neque in his repugnandum tibi, ut magis inde proficias: verum aspice et aliud, quod ad hæc accidit, qua ratione repelli vitarique possit. THE. Quid istuc? So. Hoc sane. si quis percontetur, fierine possit, ut quod quis quandoque scivit et adhuc memoria tenet fixumque conservat, idipsum tamen nesciat. In longam profecto sermonem trahe, quærere cupiens, utrum aliquis quod didicit, memoria retinens haud noscat. THE. Qui istud fieri posset, o Socrates? monstrum quod dicis esset. So. Num ipse quoque delirem, adverte, obsecro. videre nonne sentire dicis, visionemque sensum? THE. Aio. So. Qui aliquid videt, nonne idem scit quod et videt, ut præsens sermo proponit? THE. Certe. So. Memoriam aliquid vocas? THE. Voco equidem. So. Alicujusne an nullius? THE. Alicujus certe. So. An non earum rerum, quas didicit sensitque? THE. Harum profecto. So. Quod quis vidit, quandoque meminit? THE. Meminit. So. Nunquid, cum claudit oculos, etiam reminiscitur, an cum aliquid hujusmodi facit, protinus obliviscitur? THE. Absurdum hoc dictu, o Socrates, esset. [164] Cogitur tamen id fateri, quisquis sermonem superiorem servare velit: aliter autem minime. So. Ego quoque, per Jovem, suspicor, neque dum satis intelligo. THE. Dic oro, quo pacto? So. Hoc sane: Qui videt, idem scit quod et videt, ut confessi sumus: nam visionem, sensum scientiamque idem esse convenimus. THE. Convenimus. So. Qui vero vidit atque ideo scit, meminit quod vidit vel clausis oculis; neque tunc aliquid videt. THE. Sic accidit. So. Non videre autem nescire est, siquidem videre scire erat. THE. Verum. So. Contingit itaque, quod quis quandoque scivit, etiam dum meminit, id nescire, si non videt. quod quidem si fieret, monstrum quoddam fore prædiximus. THE. Vera loqueris. So. Nonnihil igitur impossibile videtur accidere, si quis scientiam ac sensum idem esse posuerit. THE. Sic apparet. So. Aliud ergo utrumque fatendum. THE. Videtur. So. Quamobrem quid scientia sit, a principio iterum perquirendum. ceterum quidnam agimus, o Theætete? THE. Qua de re percontaris? So. Videmur utique mihi ignavi galli instar, antequam vicerimus, exultantes tergiversantesque a disputatione cantare. THE. Qui istuc? So. Contradictorie videmur adversus nominum concessiones confessi, et circa tale quiddam versati verba rimari, in ipsisque consistere: et cum nos non certatores, sed philosophos esse profitearmur, idem tamen, quod aores illi viri, clam facimus. THE. Nondum quid velis intelligo. So. Equidem quod in his sentio, explanare conabor. Quæsivimus, nunquid qui aliquid didicit ac meminit, nesciat: ostendentesque eum qui vidit clausis etiam oculis recordari, nec videre tamen, nescium simul et memorem demonstravimus; quod nimirum impossibile. Atque ita Protagorea fabula prorsus evanuit, ac tua simul, quæ sensum scientiamque idem esse canebat. THE. Constat. So. Nequaquam ita, ut arbitror, o amice, si pater alterius fabulæ superesset, sed vehementissime propugnaret. nunc autem orphanam ipsam insequimur exspoliamusque: neque tutores, quos reliquit Protagoras, e quorum numero unus est Theodorus iste, succurrere volunt. Verum nos justitiæ gratia illi suffragari aggrediemur. THEO. Non ego quidem, o Socrates, immo Callias, Hipponici filius, rerum Protagoræ [165] tutor. nos profecto a nudis sermonibus ad geometriam repente defleximus. gratiam tibi tamen habebimus, si illi opem tuleris. So. Scite loqueris, o Theodore. adverte igitur, qua via succurram. si quis minus vim verborum animadvertit, qua plerumque affirmare quicquam et negare solemus,

Digitized by Google

absurdiora etiam superioribus confiteri cogetur dicam tibi quemadmodum, an Theæteto? Theo. Utrisque communiter. respondeat autem junior. nam redarguta minus vituperabitur. So. Duram autem quæstionem dico hujusmodi: Num fieri potest, ut qui aliquid novit, quod nescit ignoret? Theo. Quid respondebimus, Theætete? The. Fieri non potest, arbitror. So. Non utique, si videre, scire esse posueris. ad quid enim uteris inevitabili quæstione, puteo, ut fertur, inclusus, si quis te vir intrepidus interrogaverit, manu alterum tibi tegens oculum, utrum tecto oculo vestem videas? The. Non hoc dicam, sed altero. So. An non idem simul et vides et non vides? The. Ita quodammodo. So. Haud equidem, dicet ille, jubeo vel quæsivi quo pacto, sed utrum quod scis idem et nescias. in præsentia vero quod non vides, videre videris: et supra confessus es, videre quidem scire esse, non videre autem nescire. collige quid ex his adversus te concludatur. The. Contraria plane eorum, quæ proposueram. So. Plura forsitan, o mirifice puer, tibi talia contigissent, si quis a te quæsisset, utrum scire liceat et acute et obtuse; et cominus quandoque scire, eminus vero nequaquam; et vehementer idem atque remisse; ceteraque permulta, quæ quidem insidiando vir clypeatus et mercede conductus in sermonibus quæreret, quando idem scientiam sensumque ponebas, te in auditum, olfactum ac ceteros sensus ordine injecisset, studioseque et sedulo minium redarguisset: atque te comprehendens non prius te dimisisset, quam tu ejus exquisitam sapientiam admiratus ab eo vinctus esses: ubi captus atque ligatus tanta te ipse pecunia redemisses, quanta tu et ille statuissetis. Quam igitur rationem pro tutandis opinionibus suis Protagoras assignabit? Hoc tu forsitan quæreres. Nunquid aliud tentandum est? The. Et maxime quidem. So. Hæc utique omnia, quæ nos opem illi ferentes dicimus, et simul ille, [166] ut arbitror, admittet, despiciens nos penitus, atque objectans: Bonus iste Socrates, cum interrogasset puerum, utrum quis possit quod meminit, idem simul et ignorare, et ille perterritus negavisset ex eo quod nam ipsam præ timore prospicere non potuerat: ridiculum me in disputatione monstravit. Res autem, o ignavissime Socrates, ita se habet. Quotiens ex meis aliquid per quæstionem consideras, si interrogatus respondeat eadem, quæ ego etiam responderem, refellaturque, me quoque redargutum existimato: sin aliena, ipsum solummodo qui respondit. Principio putasne aliquem concessurum tibi, memoriam adesse cuipiam, quando non amplius patitur, earum rerum quas passus fuerit, et ipsam talem passionem esse, qualis fuerat dum pateretur? Pessultum abest. an formidaturum censes admittere, quod possit aliquis idem nosse simul et ignorare? quod si forsitan minus audeat, daturum speres, eundem esse dissimilem factum alicui, priusquam fiat dissimilis existenti? magis autem istum esse aliquem, sed non istos, et eos quidem infinitos effectos, si quidem dissimilitudo fiat: si modo assumptiones verborum vitare invicem oportuerit. Ceterum, o bone, generosius ea, quæ dico, aggredere, neque si potes refelle, quod non proprii cuique nostrum sensus fiant: vel etiam si proprii sint, nihilo magis quod apparet, illi soli fiat: vel si esse oporteat, nominare liceat, cui apparet. Sues autem et prodigiosos canes dum narras, non ipse solum bestiam imitaris, sed idem quoque in meis scriptis efficere aliis persuades. neque recte facis. Equidem veritatem habere te aiebam, quemadmodum scripsi. mensuram enim unumquemque nostrum eorum, quæ sunt et quæ non sunt, esse: sed magnopere hoc ipso alium ab alio discrepare, quod huic alia sunt apparentque, illi alia. Sapientiam vero et sapientem virum nullo modo existere nego: immo hunc ipsum sapientem voco, qui illius conditionem, cui mala videntur suntque, permutans bona apparere et esse illi facit. Sermonem autem meum ne verbis duntaxat persequere: verum sic planius

Digitized by Google

iterum quod dico, perdisce, et in memoriam dictum superius revoca, quod ægrotanti amara videntur quæ gustat, et sunt, bene valenti contraria sunt atque videntur. Sapientiorem utique horum neutrum ex hoc oportet asserere: neque [167] enim id fieri potest: neque prædicandum, ægrotantem insipientem esse, quia ista putet; sanum contra sapientem, quia diversa. permutandum vero in alterum habitum. alter enim habitus melior. Similiter in disciplina ab altero habitu in meliorem permutandum. Sed medicus quidem medelis transmutat: sophista sermonibus. Nemo enim efficit, ut qui falso opinatur, vere deinde existimet: quippe cum ea, quæ non sunt, opinari nemo valeat, nec alia præter illa quæ patitur. hæc autem semper vera sunt. Facere tamen quis potest, ut qui depravati animi habitu cognata sibi opinatur, sana deinde mente diversa quædam existimet: quæ plerique ob imperitiam phantasmata vera nominant. ego autem meliora aliis alia dico, veriora nequaquam. Sapientes præterea, o amice Socrates, nullo pacto ranas nuncupo: immo secundum corpora medicos; secundum plantas agricolas. aio equidem hos viros plantis suis pro depravatis sensibus, quotiens tale aliquid ægrotat, bonos integrosque et veros sensus inferre: sapientes quoque et bonos rhetores civitatibus bona pro malis videri justa efficere: quoniam quæcunque civitati cuilibet justa honestaque videntur, hæc et sunt illi talia, quamdiu sic putat: sed sapiens pro malis his singulis bona et judicari et esse efficit. Eadem ratione sophista eos, qui erudiuntur, sic erudire potens sapiens est, dignusque ampla mercede apud auditores habetur. Atque ita alii sapientiores aliis sunt, neque ullus tamen falsa putat: et tibi hoc ipsum, velis, nolis, cum rerum mensura sis, admittendum. hic enim sermo in his servatur. Cui si quo modo a principio iterum repugnare potes, repugna, in contrarium ratione reducens. quod si interrogando vis, interrogando perage. neque enim hoc fugiendum; sed omnium maxime his, qui sanæ mentis sunt, sequendum. Sic tamen id effice, ne interrogando sis injurius. Absurdum est profecto, eum virum, qui virtutem meditari se præcipue profitetur, in sermonibus semper injurium esse. Afficere autem injuria in his est, quando quis non seorsim quidem ut certans exercetur, seorsim vero disputans: et in illo quidem scilicet certamine jocatur, fallitque pro viribus; in hoc autem, disputatione videlicet, serio agit, et corrigit disputantem, eas illi duntaxat fallacias indicans, quas ipse [168] ex seipso præteritisque disputationibus propulsavit. Si ita feceris, seipsos, qui tecum versabuntur, non te, perturbationis defectusque sui causas esse confitebuntur: teque protinus sectabuntur et diligent: seipsos contra odio habebunt, et a seipsis ad philosophiam confugient; ut alii quodammodo effecti, habitum pristinum deponant. sin autem contraria feceris, quemadmodum alii quoque permulti, contraria etiam tibi contingent, et familiares pro philosophis studii hujus osores, cum adoleverint, reddes. Si igitur mihi parueris, quod et supra dictum est, haud hostiliter contentioseque, sed propitia mitique sententia nobiscum sedens, considerabis, quomodo dicimus moveri omnia, quodque cuique videtur, hoc esse privatim et publice: et ex his inquires, utrum idem an aliud scientia sit et sensus: neque, ut modo cœpisti, ex verborum nominumque consuetudine disseres, quæ multi quocunque libet trahentes, varios dubitationum injiciunt scrupulos. Hæc, o Theodore, in defensionem amici tui tentavi pro viribus: parva quidem a parvis. si enim ipse viveret, fortius magnificentiusque pro seipso pugnaret. THEO. Jocaris, o Socrates. nam fortiter pro illo certasti. SO. Recte loqueris, o amice. sed mihi dicas, advertisti nuper cum Protagoras nos increparet, quod cum puero disputantes ex puerili formidine adversus ejus scripta certemus? cumque ipse nos ad sermonis urbanitatem exhortaretur? tunc sane honestans inprimis ipsam omnium mensuram, serio in eis dictis versari

Digitized by Google

nos jussit? Theo. Quidni, o Socrates, animadverterim? So. Quid ergo? jubes nos illi parere? Theo. Summopere. So. Cernis istos omnes, excepto te, pueros esse? quare si illi credimus, me simul ac te oportet interrogando vicissim et respondendo serio sermonem ejus examinare; ne iterum nos incuset, quod ludentes cum pueris sermonem suum exagitemus. Theo. Quid prohibet, quin Theætetus melius quam barbati viri multi, perscrutantem te sequatur? So. Non tamen te, o Theodore, melius. ne censeas oportere me amico tuo defuncto omnem opem afferre, te vero [169] nullam. Verum sequere me, obsecro, paulisper, quoad hoc duntaxat inveniamus, utrum te deceat in figuris geometricis esse mensuram, aut omnes æque ac tu in astronomia ceterisque facultatibus, in quibus tu merito præstare videris, periti sint. Theo. Arduum est, o Socrates, ut qui tibi assidet, roganti non respondeat. delirabam profecto paulo ante, cum dicerem te concessurum mihi, ne ad pugnam accingerer, et Lacedæmoniorum more me minime compulsurum. nunc autem ad Scirrhonem potius declinare videris. nam Lacedæmonii exui vel abire jubent. tu autem Antæum imitari videris. congredientem namque non prius dimittis, quam nudatum tecum certare coëgeris. So. Congruam, o Theodore, morbi mei similitudinem reperisti. robustior tamen illis ego sum. innumeri jam Hercules et Thesei, fortes in dicendo, mecum congressi sunt: ego tamen nihilo magis desisto: adeo me exercitationis hujus vehemens amor invasit. Neque tu igitur mihi invideas, quo minus mecum exercitatus te simul ac me juves. Theo. Haud ultra repugno; ducas qua lubet. omnem hanc quasi fatalem necessitatem, quam tu circa hæc infers, convincto ferenda est. neque tamen ultra ea, quæ proposuisti, me tibi committam. So. Sat istud erit. sed id mihi observa, ne clam in puerilem loquendi ritum delabamur, et ob eam causam nos aliquis iterum carpat. Theo. Conabor sane pro viribus. So. Hoc in primis, quod etiam supra tetigimus, resumamus, utrum recte necne sermonem illius improbaverimus, quod unumquemque ad sapientiam sibimet sufficere posuerit. nobis porro concessit Protagoras, in eo quod melius vel deterius inter se plerosque differre, quos sapientes duceret. an non? Theo. Concessit. So. Si enim ipse præsens concessisset, non autem nos in ejus favorem admisissemus, haud iterum oporteret repetendo eadem confirmare. nunc autem forte quis putet, non satis idoneos esse nos illius rerum comprobatores. quamobrem præstat, perspicue, ut se res habet, concedere. nam non parum interest, sic an aliter habeat. Theo. Vera loqueris. So. Igitur non ex alienis, sed ex suo duntaxat sermone quàm brevissime consensum [170] accipiamus. Theo. Qui? So. Sic. Quod cuique videtur. id illi cui videtur esse dixit? Theo. Dixit certe. So. Nunquid, et nos, o Protagoras, hominis, immo hominum omnium opiniones dicimus, asserimusque neminem prorsus in aliis quidem se aliis sapientiorem putare, in aliis vero sapientiores alios? an non in maximis periculis, quotiens in castris aut morbis aut mari fluctuant, quasi deos habere in singulis principes servatoresque suos, nullo alio ceteris quam scientia præcellentes? et per omnia humana quærentibus præceptores ac duces sui ipsorum aliorumque animantium atque operum, qui communiter æstimantur tam ad docendum quam ad imperandum sufficere: in his omnibus quid aliud dicemus, quam quod homines inter se sapientiam et ignorantiam esse putent? Theo. Nihil aliud. So. Nonne sapientiam veram cogitationem esse ducunt, ignorantiam vero falsam opinionem? Theo. Quidni? So. Quorsum, o Protagoras, sermonem vertemus? utrum homines vera semper opinari dicemus? an aliquando vera, falsa nonnunquam? Utrinque sequitur, ut non semper vera, sed utraque opinentur. Attende, Theodore, velitne quis ex Protagoræ sectatoribus, an tu forsitan de hoc ipso pugnare, quod nullus sit, qui alium hominem opinari falso et ig-

Digitized by Google

norantem esse censeat. Theo. Incredibile hoc, o Socrates. So. Atqui in hanc necessitatem sermo ille delabitur, qui mensuram omnium hominem prædicat. Theo. Quo pacto? So. Quando tu aliquid tecum ipse judicas, deinde mihi opinionem tuam declaras, tibi quidem secundum illius sermonem verum esto: nos autem nonne judicii tui judices fieri possumus? an opinari vera semper te judicamus? quia potius innumeri homines tecum quotidie pugnant, contra ac tu opinantes, putantesque te falso judicare atque opinari. Theo. Per Jovem, o Socrates, quam plurimi sunt, ut inquit Homerus, qui mihi ex hominibus negotia præbent. So. Quid ergo? vis dicamus, tunc te tibi ipsi vera opinari, permultis autem falsa? Theo. Ex his, quæ dicta sunt, necessario sequi videtur. So. Quid ipsi Protagoræ? an non necessarium? Si enim nec ipse putasset hominem esse mensuram, neque etiam multi, quemadmodum neque putant, nulli hanc oporteret esse veritatem, quam ipse scripsit. sin autem ipse [171] quidem censuit, multitudo autem non consentit, scito, in primis quo plures sunt hi, quibus non videtur, quam quibus videtur, eo magis non esse quam esse. Theo. Necesse est: si quidem secundum opiniones singulas et erit et non erit. So. Deinde hoc habet præclarum. Ille quippe circa suam opinionem, dissentientium sententiam, qua illum mentiri credunt, quodammodo veram esse consentit, dum vera opinari cunctos fatetur. Theo. Absque dubio. So. An non suam esse falsam admittit, si judicium illorum, qui falso illum opinari volunt, verum esse fatetur? Theo. Necessarium. So. Alii autem sibi ipsis mentiri nequaquam concedunt. Theo. Non certe. So. Hic vero et hanc veram esse opinionem ex his, quæ scripsit, fatetur. Theo. Patet. So. Ex universis igitur a Protagora emanantibus ambigetur, quin ex illo maxime concedetur, quando alicui contradicenti vera opinari concedet, tunc sane et ipse Protagoras confitebitur, neque eanem neque quemvis hominum esse mensuram aut omnium aut unius etiam, quod minime dicicit. an non ita? Theo. Ita certe. So. Cum ergo ab omnibus dubitetur, nulli Protagoræ veritas vera erit, nec aliis, neque etiam sibi ipsi. Theo. Longe admodum, o Socrates, amicum meum conculcamus. So. Estne insuper ignotum, amice, tibi, utrum recte eam conculcaverimus? Verisimile autem est, illum, cum senior fuerit, sapientiorem quoque nobis fuisse. qui si repente resurgens nos invaderet; in multis tam me delirantem, ut probabile est, quam te consentientem refelleret: deinde protinus evanesceret. Verumtamen uti nobis ipsis talibus oportet, qualescunque sumus: et quæ videntur, semper exprimere. Et nunc quidem quemlibet concessurum dicamus hoc ipsum, videlicet aliquid aliud esse propterea, quod alius alio sapientior inscitiorve existat? Theo. Mihi quidem videtur. So. Nunquid in hoc maxime insistere sermonem dicemus, quod ipsi subscripsimus, faventes Protagoræ, multa quidem qualia videntur, talia cuilibet esse, calida, sicca, dulcia, ceteraque hujusmodi? quodsi in quibusdam differre alium ab alio confitebitur, circa salubria et noxia asseret utique, non quamlibet mulierculam puellamque et brutum ad seipsum curandum per salubrium cognitionem sufficere: quin immo in hoc præsertim, si modo in ullo, differre. Theo. Idem mihi quoque videtur. [172] So. Præterea, nonne in civilibus etiam honesta et turpia, justa et injusta, sanctaque et impia, quæcunque civitas unaquæque existimans ponit sibi legitima, eadem re vera unicuique esse volet? atque in his nihilo sapientiorem esse privato privatum civitateque civitatem? At vero in eo, quod utilia et inutilia reipublicæ statuunt, hic, si modo in ullo, in hoc, inquam, præcipue differre invicem confitebitur tam consultorem a consultore quam rempublicam a republica ad veritatem inveniendam. neque audebit unquam hoc admittere, ut quæcunque civitas conferentia sibi putans instituit, eadem semper illi con-

Digitized by Google

dicant. Sed tibi quidem dico, in ipsis justis injustisve, sanctis atque profanis affirmare volent, quod nihil eorum suapte natura substantiam aliquam habeat, sed communi opinione tunc verum fiat, quando videtur et quamdiu videtur. Et quicunque non omnino sermonem Protagoræ complectuntur, sic quodam modo sapientiam inducunt. Nobis autem, o Theodore, sermo jam angustiore amplior imminet. THEO. An non otiosi sumus, o Socrates? So. Videmur. et sæpe alias, o beate vir, hoc animadverti et nunc maxime, quod quicunque diu in philosophia versati sunt, cum primum judiciorum cœtus ingrediuntur, ridiculi rhetores prorsus apparent. THEO. Qua ratione nunc ais? So. Videntur hi, qui in judiciis et foro ab ineunte ætate revoluti sunt, ad eos, qui in philosophia et hujusmodi studiis assuefacti sunt, ut servi ad liberos educati fuisse. THEO. Quo pacto? So. Ex eo quod his quidem, ut tu dicebas, semper otium adest, otioque tranquillo confabulantur: quemadmodum et nos in præsentia tertio jam sermonem ex sermone resumimus. sic et illi, si quid ultra propositam quæstionem, quod magis eos forte delectet, inciderit, quemadmodum in præsentia nobis contingit, nihil curant, prolixiusne an brevius loquantur, modo veritatis compotes fiant. Illi autem temporis angustiis in loquendo sollicitantur. urget enim aqua defluens, neque licet de his quæ cupiunt verba facere: sed necessitatem adversarius affert, libelli formulam adducens, præter quam nihil dicendum; quod juramentum mutuum nuncupant. Sermones autem semper de conservo, ad dominum sedentem, manu judicium sententiamque tenentem. certamina quoque nunquam frustra, sed ad rem semper: sæpe etiam de anima vitaque agitur. Quapropter ex his omnibus [173] intenti acresque fiunt, scientes domino tam verbis adulari quam operibus obsequi, non recto sed pusillo animo præditi homines. Nam animi magnitudinem, rectitudinem et libertatem servitus a pueritia sustulit, cogens obliqua perversaque patrare facinora, dum discrimina magna formidinesque mollibus adhuc incuteret animis: quæ omnia cum non possint cum justitia et veritate perferre, confestim in mendacia mutuasque injurias conversi, flectuntur undique atque confringuntur; adeo ut nihil amplius sanæ mentis habentes ex adolescentibus in viros evadant facundos sapientesque, ut ipsi putant. Atque hi quidem tales sunt, o Theodore. Nostri autem chori homines vis referamus? an dimittentes potius ad sermonem propositum revertamur? ne, ut paulo ante dicebamus, sermonis libertate digressioneque nimium abutamur. THEO. Nullo modo, o Socrates; sed referamus. probe namque dicebas, quod in philosophorum choro non nos sermonum ministri sumus, sed servi nostri sermones: et unusquisque illorum perfici a nobis expectat, quando nobis videtur. Nec enim judex neque spectator, quemadmodum poetis, censor nobis et dominus præsidet. So. Dicamus igitur, postquam tibi videtur, de his qui egregii sunt. quid enim de his, qui philosophiæ studio abutuntur, referendum sit? Illi sane ab ineunte ætate primum quidem viam in forum ignorant, neque judicium aut consilium aut communem alium civitatis consessum norunt: leges præterea decretaque vel dicta vel scripta nec vident nec audiunt. Studia vero et conventicula ad magistratus spectantia et congressus et cœnas et lasciviora convivia neque somniant quidem. Præterea num bene an male in civitate quis se habuerit, aut si quid alicui malum est, turpisque nota a majoribus suis, seu feminis seu viris, magis eos latet quam maris, ut dici solet, arenæ. Atque hæc omnia etiam nescire se nescit. neque enim vulgaris gloriæ gratia ab his abstinet, sed re vera corpus duntaxat illius in urbe habitat atque versatur: mens autem hæc omnia parvi, immo nullius æstimans, passim volat, ut ait Pindarus, et quæ sub terra sunt et quæ plana dimetiens, per quæ astronomia cœlum transcendens, omnem perscrutata [174] naturam rerum omnium, quæ ad

Digitized by Google

universum pertinent, his autem, quæ prope sunt, solis nullo modo applicans se. Theo. Quo pacto id ais, o Socrates? So. Quemadmodum Thaletem, dum cœlum suspiceret intentus sideribus, in fovcam cadentem Thracensis quædam ejus ancilla facete nimium carpsit, quod quæ in cœlo sunt, pervidere contenderet; quæ vero proxima et ad pedes, non videret. Idem similiter omnibus, qui in philosophia versantur, objici potest. latet enim philosophum non modo quid agat ejus proximus, sed fere homone sit an brutum. quid autem homo ipse sit, et quæve actio aut passio ipsius hominis propria, studiose perquirit. Intelligis, o Theodore, an non? Theo. Intelligo equidem, et quod dicis, approbo. So. Enimvero, o amice, ut in superioribus diximus, si quando vir talis vel privatim cum aliquo vel publice in judicio sive alibi de his, quæ ad pedes et in conspectu sunt, disserere cogitur, risum movet, non Thracibus solum, verum etiam ceteris gentibus, quippe cum in foveas ambiguitatesque multas propter harum rerum imperitiam incidat. Ubi absurda quædam ineptitudo ignaviæ notam inurit. Nam cum forte vituperandus aliquis est, nihil habet, quod in opprobrium afferat, utpote malorum ignarus, quandoquidem singula singulorum mala nunquam animadvertit. ergo tanquam nescius irridetur. in laudandis quoque extollendisque hominibus, cum nihil simulet dissimuletve, sed aperte rideat. delirus esse videtur. Etenim cum tyrannum aut regem laudari sentit, unum quendam subulcum aut pastorem ovium vel bubulcum extolli existimat, quod abunde mulgeat. id tamen interesse censet, quod reges et tyranni infensius et insidiosius animal curent et mulgeant. agrestem vero et rudem ob suam quandam occupationem non minus quam pastorem ejusmodi hominem esse necesse est, mœnibus in urbe non secus atque pastor septo in monte circumdatum. Cum vero agrorum decem millia jugera aut plura etiam prædicari audit, quasi magnum quippiam ab illo, qui habet, possideatur, exigua quædam audire se putat, quippe qui universum terræ orbem spectare sit solitus. Quotiens præterea quis generis nobilitatem refert, quod septem avos divites omnes enumerare valeat, [175] hebetis nihilque magnum propter ignorantiam cogitantis animi laudes hujusmodi censet, quasi ad totius mundi naturam respicere nequeat, et videre, quod innumeri unumquemque nostrum avi atque proavi antecesserunt, quorum in numero divites et inopes, reges et servi, Barbarique et Græci singulos innumerabiles præcessere. Quin etiam quando quis stirpem quinque et viginti majorum dinumerat, et in Amphitryonidem Herculem originem refert, certe cum quintus vigesimusque ab Hercule superior talis extiterit, qualis fors illi contigit, ab eo ridetur, si ille altius consurgere nequeat et insanæ mentis vanitatem abigere. In his omnibus philosophus vir vulgo ridiculus habetur, partim quia superbus contemptorque apparet, partim quia quæ palam sunt ignorat et ambigit. Theo. Rem ipsam, o Socrates, ut accidit, enarrasti. So. At cum is aliquem, o amice, ad supera erigit, et ille sponte cum eo, singulorum dimissa litigiorum discussione, qua quæritur, In quo ego te aut tu me læseris, ad ipsius justitiæ injustitiæve speculationem ascendit, quid utraque sint, quo ab aliis omnibus inter se discrepent: vel etiam controversia illa dimissa, qua quæritur, Utrum rex beatus sit, qui multum auri possidet, ad contemplationem regni ipsius beatitudinisque humanæ atque miseriæ, qualia cuique sint, et quo pacto humanæ naturæ conveniat hoc adipisci, illud fugere: quando, inquam, oportet de his omnibus rationem reddere pusillanimem illum et acerrimum causidicum, tunc sane vicissim pœnas philosopho pendet. Vertiginem enim patitur ab excelsa specula caligantibus oculis, utpote qui superne prospicere sit insolitus. Mœret quoque, titubat, et barbarica profert. quocirca risum non Thracibus neque rudi cuipiam movet, (neque enim persentiunt,) sed illis potius omnibus, qui libere et

Digitized by Google

procul a servili vita educati sunt. Hæc, o Theodore, utriusque conditio. Altera quidem hominis illius, qui libertate et otio est educatus; quem philosophum vocas, qui cum re vera vituperari non debeat, tamen fatuus et ineptus apparet, quotiescunque servilia aggreditur ministeria; cum neque stramentorum sarcinas colligare neque obsoniorum condimenta conficere neque adulatoria blandimenta verborum confingere possit. Altera est hominis illius conditio, qui hæc expedite celeriterque subministrare potest, sed decenti liberi hominis vestitu commode uti nescit. sermonis insuper [176] harmonia convenienti, deorum et hominum beatorum vitam veram canere prorsus ignorat. Theo. Si ceteris hominibus ea quæ dicis, o Socrates, æque ac mihi persuaderes, pax amplior et mala pauciora inter homines nascerentur. So. At impossibile est, o Theodore, mala penitus extirpari. nam bono oppositum aliquid esse semper necesse est. neque illa tamen apud deos locum habere possunt. naturam vero mortalem regionemque inferiorem necessario circumeunt. Quare conandum est, ut hinc illuc quam celerrime fugiamus. fuga autem est, ut Deo similes pro viribus efficiamur. Deo similes efficit cum prudentia justitia simul et sanctitas. Ceterum, o vir optime, haud facile id persuaderi potest, quod non illius gratia, cujus vulgus existimat, sequenda virtus et vitium fugiendum, hoc est ne malus videaris utque bonus appareas. hæ namque anicularum nugæ mihi esse videntur. Sed quod verum sit, ita dicamus. Deus nusquam et nullo modo injustus, sed quam justissimus, totam videlicet complexus justitiæ potestatem: nihilque illius similius quam justissimus homo. Circa hoc vera industria et fortitudo viri, nec non inertia imbecillitasque versatur. horum sane cognitio vera virtus et sapientia: ignoratio contra inscitia et improbitas manifesta. Aliæ vero, quæ facultates sapientiæque videntur, in civilibus quidem magistratibus molestæ sunt: in artibus autem mechanicæ. Illi igitur, qui aliquid inique patravit, et profana protulit vel commisit, præstat nequaquam concedere, eum astutiis esse potentem atque fecundum. Exsultant enim opprobrio hujus generis homines, seque audire putant minime abjectos et inanes homunculos esse, quasi terræ, ut dicitur, pondus iners; sed viros tales, ut tuto in re publica versari valeant. Ideoque veritas exprimenda est, quod eo magis tales sunt, quales non putant, quo minus putant: quippe cum injustitiæ multam ignorent, quam ignorare minime decet. neque enim est, quam forsitan opinantur, verbera atque cædes, quæ sæpe hi patiuntur, qui injustum nihil egerunt, et injusti sæpe devitant: sed ea potius, quæ vitari non potest. Theo. Quam dicis? So. Cum in ordine rerum, o amice, exemplaria duo sint, divinum quidem beatissimum; quod vero Dei expers, miserrimum; non videntes ita rem se habere, stultitia extremaque dementia occupati, latenter huic quidem similes ob [177] actiones iniquas redduntur, illi contra dissimiles. cujus profecto delicti pœnas pendunt, dum vitam illi convenientem, cui similes effecti sunt, ducunt. Enimvero si dixerimus, quod hos quidem, nisi a nequitia cessaverint, vita functos locus ille malorum expers non capiet, hic autem propriæ vitæ similitudinem gerent semper, una cum malis mali versantes: ipsi tanquam astuti malitiosique deliramenta quædam audire se dicent. Theo. Et maxime quidem, o Socrates. So. Novi equidem, o amice. Unum hoc saltem illis accidit, quod si quando privatim reddere vicissim et afferre in medium rationes eorum, quæ vituperant, necesse sit, velintque viriliter disputandi moram perpeti neque ignave fugere: tunc demum, quod absurdum est, sibi ipsi in his quæ dicunt nequaquam placent, eorumque rhetorica penitus evanescit, ut nihilo differre a pueris videantur. Verum his jam finem, cum præter propositum sint, imponamus: alioquin materies undique plurima confluens sermonem a principio institutum obruet. Revertamur igitur ad priora, si tibi quo-

Digitized by Google

quæ videtur. Theo. Mihi quidem ista, o Socrates, nihilo molestiora auditu contingunt, facile namque hujus ætatis homines hæc assequuntur. Verumtamen si tibi placet, redeamus illuc, unde digressi sumus. So. Eo profecto disputando devenimus, ut diceremus eos, qui essentiam omnem in agitatione ponebant, quodve cuique videtur hoc eidem existere, in ceteris quidem rebus vehementius asserturos, atque in justis non nihil: quod omnino quæcunque civitas ut justa sibi apparentia statuit, hæc eatenus illi justa sunt, quatenus statuta permanent. at vero neminem fortem adeo futurum, qui idem in bonis utilibusque contendere audeat, quod videlicet quæcunque utilia sibi apparentia instituit civitas, hæc eatenus illi conferentia sunt, quatenus talia statuta fuerint: nisi forte quis nomen dixerit. hoc autem ad id, quod volumus, jocus, captiosum quiddam, esset. Theo. Procul dubio. So. Ergo non ita dicendum, immo quod tale civitas nuncuparit, ad id in condendis legibus respicit, ac leges singulas, quoad putat et potest, quam maxime sibi utiles condit. Num aliud in legibus ferendis intendit? [178] Theo. Nihil aliud. So. Nunquid voti compos semper efficitur? an sæpe eam fallit opinio? Theo. Sæpenumero falli arbitror. So. Hac præterea ratione quisque magis hæc eadem confitebitur, si quis de omni specie percontetur, in qua utile consistit. Est autem quodammodo et circa futurum tempus. nam quotiens leges condimus, ut in posterum profuturas condimus: quod quidem futurum rectius vocaremus. Theo. Maxime. So. Agedum ita vel Protagoram vel quemvis alium sectatorem ejus interrogemus: Omnium rerum hominem, o Protagoras, mensuram asseritis, aliorum, gravium, levium et uniuscujusque talium, nam cum judiciariam illorum vim in seipso contineat, et qualia patitur, talia judicet; vera sibi et quæ sunt judicat. an non ita? Theo. Ita plane. So. Nunquid et futurorum, o Protagoras, dicemus, habet vim judiciariam? et qualia putat sibi hæc fore, talia sibi existimanti contingunt? cum medicinæ quispiam imperitus in febrim sese incursurum putat, atque ita sese calefactum iri; medicus autem repugnat, contraria opinatus: utrius illorum veram opinionem futuram ducimus? num utriusque? et medico quidem neque calidum neque febricitantem futurum, sed sibi ipsi utrumque? Theo. Ridiculum quidem id esset. So. Quin etiam de vino, quod dulce vel austerum futurum sit, agricolæ, non citharistæ opinio prævalet. Theo. Quidni? So. Neque de consonante dissonanteve futuro gymnasticus melius quam musicus opinatur, quod deinde ipsi gymnastico consonans esse videbitur. Theo. Nullo modo. So. Quando vero parata mensa afferendæ sunt epulæ ac de futura illarum suavitate aliquid prædicendum, nonne coqui opinio potior quam alterius cujuslibet popinariæ imperiti? De eo, quod vel est vel fuit suave cuique, non pugnamus, sed de illo potius, quod in posterum esse cuique et videri debet: utrum sibi quisque idoneus judex? an tu potius, Protagoras, quod circa sermones probabile singulis in judicio futurum est, rectius quam quivis rudium prævideres? Theo. In hoc ipso in primis, o Socrates, præcellere cunctis Protagoras est professus. So. O miser! nemo, per Jovem, illum [179] oblata pecunia sectatus fuisset, nisi familiaribus persuasisset, quod probabile in posterum erit videbiturque, neque vatem neque alium quemvis melius quam se unicum præsagire. Theo. Vera loqueris. So. An non legum quoque positiones utilitasque ad futurum spectant? et quilibet absque controversia fateretur, constitutionem rei publicæ ab eo, quod utile est, sæpius aberrare? Theo. Valde. So. Satis jam adversus præceptorem tuum dictum sit, quod fateri cogitur, alium alio sapientiorem existere; eumque talem esse mensuram. Me autem, cum expers scientiæ sim, nihil mensuram fieri cogit: quemadmodum sermo nuper illius urgebat, quod videlicet, seu velim sive nolim, talis essem. Theo. Ex illo, o Socrates,

Digitized by Google

maxime convinci illius sermo videtur, et ex hoc non nihil, quod aliorum opiniones validas efficit: hæ vero sermones illius palam reprobant, falsos existimantes. So. In multis insuper, o Theodore, deprehendi hoc licet, non omnem omnium opinionem veram existere. sed circa præsentem cuique passionem, ex qua sensus et secundum eos opiniones nascuntur, difficilius deprehenditur, sensus opinionesque veras non esse. Forte vero nihil dico. nam si assecutæ sunt, convinci non possunt: et qui illas certas atque scientias esse assererent, forsitan non aberrarent. Et iccirco Theætetus iste haud ab re inquit, sensum et scientiam idem esse. Quamobrem propius accedendum est, quemadmodum Protagoreus sermo præcepit, et hanc agitatam essentiam pulsando examinandam, integrumne an collisum sonum reddat. pugna utique de illa non mediocris nec inter paucos exstitit. Theo. Permultum sane abest, ut vilis contentio sit, quæ per Ioniam passim propagata est: siquidem Heracliti studiosi huic sermoni summopere suffragantur. So. Propterea, o amice Theodore, a primordiis hæc inspicienda sunt, ut illi proponunt. Theo. Omnino, etenim, o Socrates, de his Heracliticis vel, ut ipse ais, Homericis ac etiam antiquioribus id existimatur ab Ephesiis rerum peritis, quod non aliter quam stimulo et furore loquantur. Aperte enim in scriptis suis feruntur. Mora autem exspectatioque in sermone et quæstionibus, et quies inter respondendum interrogandumque, minus illis [180] adest quam quod nihil est; immo etiam superat, quod neque nihil: ad id quod neque paululum quid illis quietis assit. sed si quem illorum aliqua de re interroges, tanquam ex pharetra obscura verbula depromentes sagittent. et si hujus rationem perquiras, altera quadam te nova denominatione percutiunt: nunquam vero cum illorum aliquo quicquam perficies, neque ipsi invicem. Idque unum observantissime curant, ut nihil stabile aut in sermone aut in animis suis esse permittant, putantes, ut mihi videtur, id ipsum stabile esse: atque id totis viribus insectantur et undique vehementer expellunt. So. Forsitan, o Theodore, hos viros in pugna vidisti, in pace vero nequaquam. neque enim amici tibi sunt. Verum talia quædam discipulis suis, ut arbitror, in otio dicunt, quos similes sibi reddere volunt. Theo. Quibus discipulis, o beate? neque enim inter istos alter alterius fit discipulus, sed sponte nascuntur, undecunque contingit eorum quemque furore corripi: atque alter alterum scire nihil existimat. Ab istis itaque rationem, ut modo dicebam, nullam unquam accipies, nec volentibus nec invitis. Nos autem oportet tanquam propositione accepta considerare. So. Scite loqueris. propositionem siquidem aliam quandam accepimus a priscis in poemate vulgus celantibus, quod origo aliorum omnium Oceanus scilicet atque Tethys fluxus est nihilque consistit. a recentioribus autem quasi sapientioribus palam demonstrantibus, ut vel cerdones eorum sapientiam audiendo perciperent, desinerentque stulte putare, res partim stare, partim contra moveri, discentesque moveri omnia, ipsos venerarentur. Ferme autem, o Theodore, me fugit aliorum quorundam opinio, qui contraria ac isti monstrarunt: universi videlicet congruum nomen esse hoc existens immobile, et alia, quæcunque Melissei Parmenideique adversantes his omnibus asseverant, quod omnia unum sunt, idque unum ipsum in seipso consistit, locum in quo moveatur nullum penitus habens. Quid de his omnibus, o amice, dicendum? Sensim namque progressi, utrorumque medii clam evasimus. quod si nullo pacto propugnantes abeamus imbelles, [181] pœnas dabimus instar eorum, qui in palæstris ad lineam ludunt, quando ab utrisque apprehensi in contraria distrahuntur. De his itaque prius agendum videtur, quos primo fluentes aggressi sumus. et si quid probabile dicere videbuntur, cum illis una et ipsi nos trahemus alios fugientes. Sin autem qui universum stabile ponunt, veriora protulerint, refugiemus ad eos ab illis,

Digitized by Google

qui etiam immobilia movent. At si neutri verisimile aliquid adducere nobis apparebant, ridiculi nimium evademus, putantes nos viles homunculos magnum aliquid sapere, priscis autem illis ac viris sapientibus derogantes. Vide igitur, o Theodore, utrum præstet, necne, tantum subire periculum. Theo. Nullo modo committendum est, o Socrates, quin utrorumque sensa quid veri, quid falsi habeant, discutiamus. So. Discutiendum est jam, postquam et tu id probas. Videtur utique mihi disputationis hujus principium a motu sumendum, quo scilicet motu moveri omnia dicant. Quod autem dicere volo, id est, utrum speciem unam motus inducant an, quemadmodum mihi videtur, species duas. Neque id tamen mihi soli videri cupio, sed tibi quoque; ut pariter ambo, quidquid oportuerit, patiamur. Dic igitur, Nunquid moveri dicis, quando locum quid ex loco mutat, vel in eodem vertitur? Theo. Equidem. So. Ergo una hæc species esto. At cum eodem in loco quid permanens senescit, vel nigrum ex albo vel ex molli durum efficitur, aut alia quadam alteratione mutatur, nonne alteram hanc motus speciem merito nuncupabimus? Theo. Merito. So. Ex his necessarium est geminas species motus existere, alterationem scilicet motumque localem. Theo. Probe. So. Hac distinctione præmissa, ad eos, qui moveri omnia volunt, jam pergamus, et hunc in modum interrogemus: Utrum quodlibet fatemini utroque modo moveri, alteratum pariter atque delatum? aut aliquid utroque modo, aliquid unico? Theo. Equidem quod asseram non habeo. So. Arbitror tamen illos utroque modo dicturos. Alioquin, o amice, agitata simul et consistentia sibiipsis nimirum apparebunt: nec magis moveri omnia quam stare omnia licebit asserere. Theo. Vera loqueris. So. Postquam moveri ipsa oportet, absentiam vero motus nulli competere, omnia utique semper omni [182] motu moventur. Theo. Necessario sequitur. So. Hoc age ex eorum dictis considera, caloris scilicet vel albedinis vel cujuslibet generationem. Nonne diximus eos putare, unumquodque istorum ferri simul cum sensu inter agens et patiens? et patiens quidem sensibile esse, non sensum; agens autem efficiens esse aliquid, non tamen qualitatem esse? Forte qualitas extraneum tibi nomen videtur, neque sic in genere dictum percipis: in partibus igitur audi. Agens enim neque calor neque albedo, sed calidum potius albumque, ceteraque eodem pacto. Recordaris ita nos supra dixisse, nihil secundum seipsum unum aliquid esse, neque insuper agens aut patiens, sed ex utrisque vicissim congredientibus sensus et sensibilia emanantia partim fieri qualia quædam, partim vero sentire? Theo. Quidni meminerim? So. Cetera prætermittamus, sicne an aliter dicant. id vero, cujus gratia disputatur, diligentius exquiramus. Moventur, ut dicitis, fluuntque omnia? nonne? Theo. Certe. So. An non utrisque illis, quos distinximus, motibus, delata simul et alterata? Theo. Quidni? si modo perfecte moveri illa necesse sit. So. Si igitur ferrentur solum neque tamen alterarentur, possemus dicere, qualia quædam fluunt, quæ feruntur. an quomodo dicimus? Theo. Hoc pacto. So. Quoniam vero neque id permanet, ut album fluat, quod fluit, sed permutatur ita, ut hujus ipsius sit fluxus albedinis, et in alium colorem transitus, ne ullo modo permanere deprehendi possit: num possumus aliquando colorem aliquem pronuntiare ita, ut recte denominemus? Theo. Atqui quo pacto, o Socrates, aut in hoc aut in alio ullo id fieri potest, si quidem, dum pronuntiamus, continuo subterfugit, utpote quod semper fluit? So. Quid porro de quovis sensu dicendum, ut videndi vel audiendi? nunquid in visione aut auditu aliquando permanere? Theo. Minime omnium, siquidem cuncta moventur. So. Neque igitur videre quicquam potius quam non videre dicendum, neque alio ullo sensu uti magis quam non uti, cum omnia penitus transmutentur. Theo. Non certe. So. Verumtamen sensus

Digitized by Google

ipse scientia est, ut ego Theætetusque diximus. Theo. Dictum quidem. So. Non igitur scientiam magis quam non scientiam respondebamus, quid scientia sit, interrogati. [183] Theo. Sic certe videmini. So. Opportune itaque responsionem illam emendaremus, si demonstrare contenderemus, quod omnia moveantur, ut recta illa responsio videatur. Hoc autem, ut videtur, apparuit, quod, si omnia moventur, responsio quælibet, de quocunque quis respondeat, æque recta est, qua id sic se habere et non sic habere se respondetur. quod si mavis, fieri dicendum: ne ipsos sermone sistamus. The. Recte loqueris. So. Præterquam in hoc, o Theodore, quod ita et non ita dicebam. oportet autem neque hoc ita dicere. Neque enim amplius ita moveretur, neque rursus non ita. Non enim motus hoc, sed nomen aliud imponendum ab iis, qui talia disserunt: quoniam nunc ad eorum suppositionem verba non habent; nisi forte dictionem hanc, scilicet non quomodocunque, habere videantur, quæ quidem potissimum ipsis congruit infinite prolata. Theo. Valde conveniens illis hæc dictio est. So. Jam, o Theodore, quod ad amicum tuum attinet, expedivimus: necdum concessimus illi, quemlibet hominem rerum omnium esse mensuram, nisi sapiens quis existat. Scientiam insuper esse sensum minime concedemus secundum rationem illam, quæ moveri omnia prædicat: nisi forte Theætetus iste aliter persuadeat. The. Optime dixisti, o Socrates. his enim peractis, me quoque ab iis expeditum esse decet, ut inter nos convenerat. postquam vero disputatio adversus Protagoram finem accepit, ne desistite, quæso, Theodore, antequam tu et Socrates percurratis eos insuper, qui stare omnia voluerunt, quemadmodum paulo ante proposuistis. Theo. Cum sis juvenis, o Theætete, seniores injuriam facere doces, dum pacta transgredi exhortaris. Sed accingere tu, ut reliquorum Socrati, si velit, rationem reddas. The. Libentissime tamen ea, de quibus loquor, audirem. Theo. Equitem in campum provocas, cum Socratem ad disputandum accersis. interroga igitur, atque audies. So. Videor equidem, o Theodore, in his, quæ Theætetus jubet, ipsi minime pariturus. Theo. Quid obstat, quo minus obsequaris? So. Etsi Melissum atque alios, qui unum consistens universum dicunt, vereor ne forte onerosi videamur, illos exagitantes, minus tamen quam unicum Parmenidem vereor. Parmenides autem, ut Homericis verbis utar, verendus mihi acerque videtur. Collocutus sum olim cum illo sene admodum adhuc adolescens, mihique visus est profundam generosamque omnino sapientiam possidere. [184] Formido itaque, ne dicta ejus vocesque nequaquam intelligamus; quod autem verbis subintelligit, multo magis nos lateat; et quod maximum est, cujus gratia disputatio inter nos cœpit, quid scientia sit inquirens, indiscussum relinquatur, si procacitati verborum indulgeamus: præsertim cum amplissima quæstio illa, quam modo induximus, si præter propositum et quasi digrediendo tractetur, indigna nimium passura sit; et si latius exactiusque perficiatur, scientiæ ipsius investigationem impeditura. neutrum vero decet: immo Theæteti fœtus circa scientiam obstetricia facultate in lucem educere et diligenter examinare. The. Si ita videtur, ita agendum est. So. Hoc præterea, Theætete, circa supra dicta considera. sensum esse scientiam respondisti, an non? The. Certe. So. Si quis interrogaret, quonam alba et nigra homo videat, quove acuta et gravia audiat: oculis, ut arbitror, et auribus, responderes. The. Equidem. So. Uti nominibus verbisque communioribus, neque exacte curioseque disquirere, sæpenumero generosi animi est, contrarium autem illiberalis: nonnunquam tamen necessarium est, quemadmodum in præsentia examinare cogimur, qua ex parte responsio tua minus recta sit. Attende, quæ responsio rectior, utrum quæ dicit, quo videmus id oculos esse; an quæ dicit, per quod videmus. item quo audimus aures, an per quod audimus. The. Potius

Digitized by Google

mihi, per quæ singula sentiamus, quam quibus sentimus, respondendum videtur, o Socrates. So. Absurdum quidem id esset, o puer, si multi in nobis sensus quemadmodum ligneis equis inessent: et omnia hæc in unam sive ideam sive animam, seu quomodocunque vocari decet, minime tenderent, qua per ista tanquam per organa, quæcunque sensibus subjacent, sentiamus. Thr. Mihi quidem hoc potius quam illo modo videtur. So. Iccirco ista tecum diligenter perquiro, ut videamus, utrum uno quodam eodem, quod insit nobis, per oculos quidem alba et nigra percipiamus, per alia vero organa alia quædam: possisque interrogatus in corpus singula ista referre. Præstat forsitan, te ad singula respondere, quam me tui vicem gerendo defatigari. Dic itaque, ea, per quæ sentis calida et sicca, levia atque dulcia, nonne corporis organa singula ponis, an alterius cujuspiam? Thr. Nullius alterius. So. Nunquid fateberis, quæ per aliam potentiam sentis, per aliam [185] sentire non posse? veluti quæ per auditum, eadem per visum: et contra quæ per visum, eadem per auditum? Thr. Quidni fatear? So. Si quid ergo de utrisque cogitas, non utique per aliud organum, neque etiam per aliud de ambobus id sentis. Thr. Non certe. So. De voce atque colore utrisque simul, primum quidem id cogitas, quod utraque sunt? Thr. Cogito. So. Item quod alterutrum ab alterutro diversum est et sibimet idem? Thr. Et istuc. So. Quodque ambo duo sunt, utrumque unum. Thr. Id quoque. So. Potes insuper, utrum similia inter se vel dissimilia sint, judicare. Thr. Forte. So. Hæc utique omnia per quid potissimum de ipsis existimas? Non per auditum, non per visum, commune circa illa quicquam accipi potest. Hinc præterea quod dicimus conjectare licet. Si de utrisque judicari posset, falsane sint an non, posses procul dubio declarare, quo judicares: idque non visum, non auditum, sed aliud quiddam esse constat. Thr. Cur non linguæ vis id efficiat? So. Scite loqueris. Illa vero potentia, per quid tibi ostendit, quod singulis est commune, quodve super singula, quo esse et non esse denominas, quæ paulo ante de his percontabamur: qualia organa his omnibus assignabis, per quæ id, quod sentit in nobis, singula sentiat? Thr. Essentiam ais et ipsum non esse, similitudinemque et dissimilitudinem, nec non idem et alterum, unum quoque et alium circa illa numerum unumquemque. Patet enim, quod quæris, per quod potissimum ex corporeis instrumentis ipsa anima par et impar, et quæ sequuntur, percipiamus. So. Egregie admodum, o Theætete, prosequeris: atque hæc ipsa sunt, quæ interrogo. Thr. Per Jovem, o Socrates, quid dicam ignoro: nisi quod nullum hujusmodi proprium organum istis, ut illis, accommodari puto, sed ipsam potius per seipsam animam communionem in omnibus judicare. So. Pulcher es, o Theætete, nec, ut aiebat Theodorus, deformis. nam qui pulchre loquitur, pulcher est atque bonus. Accedit ad hæc, quod ingens mihi beneficium contulisti. nam prolixa et gravi disputatione me liberasti, postquam tibi videtur anima quædam per seipsam animadvertere, nonnulla per corporis vires apprehendere. hæc utique mea sententia erat; cupiebam quoque idem tibi persuaderi. [186] Thr. Mihi certe persuasum est. So. Quorum in numero essentiam ponis? hoc sane maxime ad omnia sequitur. Thr. Eorum, quæ ipsa per se anima affectat atque assequitur. So. Nunquid et simile dissimileque, et idem et alterum? Thr. Et ista. So. Quid? pulchrum et turpe, bonumque et malum? Thr. Horum quoque mihi videtur maxime omnium essentiam invicem considerare, reputans atque comparans in seipsa præterita præsentiaque ad futura. So. Adverte et hoc, rei duræ duritiem per tactum sentiet, et mollis simili ratione mollitiem? Thr. Ita. So. Essentiam vero, et quod sunt, mutuamque contrarietatem, ipsiusque contrarietatis essentiam ipsa anima per se volutans et invicem conferens dis-

Digitized by Google

cernere nititur. Thr. Omnino quidem. So. An non statim mitis hominibus atque brutis naturalis quædam facultas adest, qua passiones per corpus manantes in animam sentiunt? ratiocinatio vero comparatioque istorum ad essentiam utilitatemque, vix tandem post longa curricula temporis, frequenti studio et disciplina advenit, quibuscunque competit? Thr. Ita prorsus. So. Num veritatem eo percipere possumus, quo essentiam non percipimus? Thr. Minime. So. Cujus autem quis veritate caret, hujus scientiam ullam habet? Thr. At quo pacto id fieri posset? So. In passionibus igitur scientia nequaquam inest: in ratiocinatione tamen, quæ circa illas versatur, inesse videtur. essentiam quippe veritatemque hac attingere possumus, illis vero nequaquam. Thr. Constat. So. Num idem illud et hoc vocas, cum tanta inter se differentia discrepent? Thr. Haud sane deceret. So. Quod illi nomen attribuis? ei scilicet, quod est videre, audire, odorari, gustare, calefieri, frigefierique? num sentire? Thr. Idipsum. quid enim aliud? So. Universum igitur hoc sensum vocas? Thr. Necesse. So. Huic veritatis perceptionem convenire negavimus, cum essentiam non percipiat. Thr. Sic est. So. Neque scientiæ igitur compos erit. Thr. Non. So. Ex his sequitur, o Theætete, scientiam et sensum nunquam idem fore. Thr. Nunquam penitus. So. In his [187] perspicue patuit, aliud sensum, aliud scientiam esse. verum non hujus gratia disserere cœpimus, ut quid scientia non sit, immo quid sit, inveniremus. Eatenus vero disputando processimus, ut scientiam in sensu nullo modo quærendum judicaverimus, sed in eo nomine potius, quod tunc sortitur animus, cum ipse secundum seipsum circa illa, quæ sunt, versatur et agit. Thr. Atqui hoc, o Socrates, ut ipse arbitror, opinari vocatur. So. Recte arbitraris, amice. Et nunc adverte, deletis ex animo cunctis superioribus, nunquid majus perspicias, postquam huc usque evectus es. quidve scientia sit, iterum explica. Thr. Opinionem quamlibet, o Socrates, scientiam dicere impossibile est, cum et falsa quædam opinio sit. apparet autem opinio vera scientia esse, idque a me nunc responsum puta. quod si aliter disputando deinceps videbitur, aliquid aliud afferre conabimur. So. Euge, Theætete. sic prompto animo disputare decet, neque, ut cœperas, tergiversari. Si enim ita fecerimus, alterum e duobus continget: aut quod affectamus inveniemus, aut certe quod ignoramus, minus nos scire putabimus. neque mediocre lucrum id erit. Et nunc quidem quid ais? An, cum duæ sint opinionis species, vera una et altera falsa, opinionem veram scientiam definis? Thr. Definio. hoc enim mihi in præsentia videtur. So. An de opinione deinceps ab initio pertractandum? Thr. Quidnam? So. Turbat me nunc et sæpe alias, adeo ut in ambiguitate plurima quoad me ipsum et quoad alios versor, explicare non valens, quænam sit hæc in nobis affectio, quove pacto adveniat. Thr. Quænam ista? So. Falso scilicet aliquem opinari: de quo nunc etiam ambigo, utrum id omittamus aut aliter, quam supra, consideremus. Thr. Cur non, o Socrates, si quo modo decere censes? præclare enim tu et Theodorus in superioribus de otio dicebatis, quod nihil in talibus urgeat. So. Opportune admonuisti. forte enim haud ab re erit, tanquam vestigium iterato percurrere. præstat namque parum bene quam multum non sufficienter determinare. Thr. Præstat sane. So. Quomodo igitur et quid dicimus? Falsam plerumque opinionem esse dicimus, et aliquem nostrum falsa opinari, alium vera, quasi hæc ex natura ita se habeant? Thr. Dicimus absque dubio. So. Nonne hoc nobis tam circa omnia [188] quam circa singula competit, nosse videlicet vel ignorare? nam discere et oblivisci, utpote istorum media, inpræsentia subticeo, cum nihil ad propositum nobis conferant. Thr. Nihil prorsus, o Socrates, aliud præter nosse vel ignorare circa unumquodque relinquitur. So. Nonne igitur

Digitized by Google

necessarium est opinantem opinari illa, de quibus novit aliquid vel non novit? Ther. Necessarium. So. Quin etiam noscentem ignorare idem vel ignorantem nosse impossibile est? Ther. Quidni? So. Num qui falsa opinatur quæ novit, ea putat non ea esse, sed alia quædam, quæ etiam novit: et utraque noscens utraque rursus ignorat? Ther. At fieri hoc nequit, o Socrates. So. An forte quæ non novit, ea putat alia quædam esse, quæ non novit? et qui neque Theætetum neque Socratem agnovit, cogitare unquam potest Socratem Theætetum vel contra Theætetum Socratem esse? Ther. Nunquam. So. Neque tamen quæ quis novit, ea quæ non novit, esse putat: neque rursus quæ non novit, ea quæ novit. Monstrum enim esset. Quo pacto igitur falsa quis opinabitur? Præter ista quidem opinari non licet, quandoquidem omnia vel noscimus vel ignoramus: in his autem nullo modo falsa opinari quis posse videtur. Ther. Vera loqueris. So. An forte non ita considerandum quod quærimus, secundum nosse et non nosse procedendo, sed secundum esse et non? Ther. Qui istuc ais? So. Ne simplex sit: quoniam qui non existentia de quovis opinatur, non potest non falsa opinari, licet quomodocunque aliter excogitet. Ther. Decens id quoque, o Socrates. So. Quomodo igitur quidve respondebimus, Theætete, si quis nos interroget (possibile autem unicuique quod dicitur) Quisnam hominum ipsum quod non est opinetur, sive de aliquo eorum quæ sunt, sive ipsum secundum seipsum? Ad hæc utique respondebimus: Quando scilicet quis vera non putat existimans. An quomodo aliter? Ther. Sic certe. So. Num et alibi tale quid accidit? Ther. Quid istuc? So. Utrum aliquis videt quidem aliquid, videat autem nihil. Ther. Fieri nullo modo potest. So. At vero si unum quiddam videt, existentium quiddam videt. an ipse putas unum in his quæ non sunt esse? Ther. Minime. So. Qui ergo unum aliquid videt, existens aliquid videt. Ther. Apparet. [189] So. Et qui aliquid audit, unum aliquid audit et existens audit. Ther. Profecto. So. Item qui aliquid tangit, unum aliquid tangit et existens insuper, si quidem unum. Ther. Et istud. So. Qui autem opinatur, nonne unum aliquid opinatur? Ther. Necessarium est. So. Et qui unum aliquid, nonne existens aliquid? Ther. Assentior. So. Qui ergo non existens opinatur, nihil opinatur. Ther. Non videtur. So. At qui nihil opinatur, nec omnino opinatur. Ther. Constat. So. Impossibile igitur est, quod non est opinari, sive de aliquo eorum quæ sunt, sive ipsum secundum se ipsum. Ther. Impossibile videtur. So. Aliud itaque est opinari falsa, quam ea quæ non sunt opinari. Ther. Aliud apparet. So. Neque igitur sic, neque ut paulo ante consideravimus, opinio falsa nobis inest. Ther. Non certe. So. At in hunc modum hoc fortasse appellamus. Ther. Quemadmodum? So. Alienam opinionem quandam, falsam opinionem vocamus, quando quis aliquid eorum quæ sunt, aliud quoddam eorum quæ etiam ipsa sunt, pro mutante cogitatione esse dicit. sic enim existens aliquid semper, sed pro alio aliud opinabitur: cumque ab eo quod cogitavit aberret, jure falsa opinari dicetur. Ther. Recte nimirum modo dixisse videris. nam quoties aliquis pro pulchro turpe vel contra pro turpi pulchrum opinatur, totiens falsa re vera opinatur. So. Contemnis me, o Theætete, neque verearis. Ther. Quorsum hæc? So. Haud tibi, ut puto, videor quod re vera falsum est exposuisse, interrogatus, utrum possit velox tardi aut leve gravis aut aliud quiddam contrarium non secundum naturam propriam, verum secundum naturam contrarii sibi ipsi contrarium fieri. Ne igitur id frustra aut temere audeas, dimitto. Placetque tibi, ut ais, falsa opinari esse idem quod et aliena opinari. Ther. Mihi quidem. So. Est ergo, ut ipse putas, alterum quoddam ut alterum et non ut illud cogitatione ponere. Ther. Est utique. So. Quando id efficit cogitatio, an non necesse est

Digitized by Google

ipsam aut utraque aut alterum cogitare? THE. Necesse omnino. So. Aut simul aut alterne? THE. Et istud. So. Ipsum autem cogitare num idem quod et ipse, vocas? THE. Quid tu vocas? So. Sermonem, quem ipsa anima in se ipsa voluitat circa illa, quæ considerat, ut minime noscens ipse tibi declaro. Hoc enim mihi videtur, cogitantem scilicet animam nihil aliud agere quam secum ipsam discerere, [190] interrogando, respondendo, affirmando atque negando. Postquam vero definit, idemque sive tardius seu velocius animadvertens asserit, neque vagatur, hanc ipsam opinionem ponimus. Quamobrem opinari loqui appello, opinionemque sermonem, non ad alium neque voce, sed silentio et ad seipsum. Tu vero quid sentis? THE. Idem. So. Quando igitur aliquis alterum opinatur alterum, tunc, ut videtur, ad seipsum dicit, alterum esse alterum. THE. Quidni? So. Recordare, obsecro, si quando tecum ipse dixeris pulchrum omnino turpe vel injustum esse justum: immo summam omnium ita considera. nunquid persuadere tibi quandoque tentaveris, quod maxime omnium alterum sit alterum, an contra nec in somnis unquam ausus fueris tecum dicere, quod paria imparia sint, vel aliud quiddam hujusmodi. THE. Nunquam certe. So. Nunquid alium quempiam sive prudentem sive insanum ausurum existimas secum loquendo ex industria sibi persuadere, bovem necessario equum vel duo unum esse? THE. Minime, per Jovem. So. Si secum loqui opinari est, nemo dum utraque dicit, opinatur, attingitque animo, proferret unquam opinaturque alterum esse alterum. Mittamus, si placet, verbum hoc Alterum. hoc autem est quod volo, Neminem opinari turpe esse pulchrum, aut aliud quicquam ejusdem generis. THE. Mitto equidem, o Socrates, mihique quod ais, admodum placet. So. Quare fieri nequit, ut qui opinatur ambo, alterum esse alterum opinetur. THE. Patet. So. At neque is, qui alterum opinatur quidem, alterum minime, unquam alterum esse alterum opinabitur. THE. Vera narras: nam cogeretur etiam quod non opinatur attingere. So. Neque igitur qui ambo neque qui alterum opinatur, aliena opinari potest. Quapropter qui falsam opinionem Aliena opinari definit, nihil efficit. Unde neque hoc modo neque secundum superiora opinionem falsam nobis inesse constat. THE. Non, ut videtur. So. Verumtamen, o Theætete, si hoc non esse apparuerit, multa et absurda confiteri cogemur. THE. Quænam? So. Non prius tibi dicam, quam omnino considerare contendero. erubescerem namque nostri gratia, in iis quæ dubitamus, cum confiteri quæ dico, cogeremur. sed si [191] his inventis liberi evaserimus, tum demum de aliis loquemur talia patientibus, utpote ipsi ab hujusmodi errore penitus alieni. sin autem omnino deficiemus, humiles facti, veluti fluctuantes et nauseam patientes, rationi utique permittemus vel calcare vel agere qua velit. Itaque si quid lucror investigando, jam audi. THE. Dic modo. So. Haud fatebor recte nos consensisse, quando concessimus, quæ quis novit, opinari non posse ea esse quæ nos novit, atque mentiri. immo fieri quodammodo potest. THE. Nunquid ais, quod et ego tunc suspicatus sum, quando id tale esse diximus, quod nonnunquam ego Socratem noscens, eminusque aliam ignotum mihi prospiciens, Socratem mihi notum esse putarim? contingit enim in hoc quod dicis. So. Nonne ab eo jam depulsi sumus, quod efficiebat, ut quæ noscimus, cognoscentes minime noscemus? THE. Prorsus. So. Ne igitur sic amplius, sed isto modo ponamus: ac forte quispiam nobis assentietur, forte etiam adversabitur. verum ad id attendamus, in quo necessarium est sermonem illum omnia convertentem examinare. Vide itaque, an aliquid dicam. Potestne qui ante aliquid ignoravit, postea discere? THE. Potest certe. So. Nonne aliud deinceps atque aliud? THE. Quid obstat? So. Pone, exempli causa, cereum unam in animis nostris effigiem, in hoc majorem, mi-

Digitized by Google

norem in illo: in hoc purioris ceræ, sordidioris duriorisve in alio: in quibusdam mollioris, in nonnullis etiam temperatæ. Thr. Pono. So. Donum hoc esse dicamus Musarum matris Memoriæ, et in hoc quicquid meminisse cupimus ex iis, quæ videmus aut audimus aut ipsi excogitamus, insinuantes, ipsum sensibus intelligentiisque exprimere, veluti anulorum figuras imprimentes. quodve signatum fuerit, meminisse nos et scire, quoad figura permaneat: at cum aboletur vel inscribi nequit, oblivisci atque nescire. Thr. Sic esto. So. Qui ergo scit quidem illa, considerat autem quicquam eorum quæ videt vel audit, vide utrum hoc modo falsa opinetur. Thr. Quonam? So. Quæ novit, esse putans alias quæ novit, alias quæ non novit. Hæc utique supra non recte confessi sumus, impossibilia confitentes. Thr. Nunc autem quomodo dicis? So. In hunc modum de [192] illis a principio distinguendo dicendum. Quod quisque novit, ejusque in animo monumentum servat, nec sentit tamen, existimare nequit aliud quiddam esse eorum, quæ etiam novit, servatque imaginem neque sentit. quodve novit, rursus putare esse, quod non novit, cujusve nullam servat imaginem. et quod non novit, id insuper quod non novit. et quod non novit, id quod novit. aut quod sentit, aliquid aliud eorum quæ sentit: sive quod sentit, aliquid quod minime sentit: aut quod non sentit, eorum aliquid quæ non sentit: sive quod non sentit, quicquam ex his quæ sentit. Multoque minus putare potest quod novit sentitque et servat illius imaginem secundum sensum, esse aliud quiddam, quod etiam novit et sentit et servat eodem modo: aut quod novit et sentit et retinet, recte quod novit, putare. Sive quod novit et sentit et similiter retinet, id esse quod sentit: seu quod neque novit neque sentit, id esse quod nec novit etiam neque sentit: quodve neque novit neque sentit, id quod minime novit: quodve neque novit neque sentit, id quod minime sentit. Hæc omnia talia sunt, ut nemo in eis falsa ulla ratione opinari valeat. Restat ergo, ut in quibusdam hujusmodi, si modo alicubi, taleaquid accidat. Thr. In quibusnam? Videamus, obsecro, an magis ex ipsis intelligam. nam in præsentia haud assequor, ut in quibus novit aliquis, ea putet esse alia quædam, quæ et novit et sentit: vel quæ non novit, sentit tamen: vel quæ novit sentitque, ea quæ et novit et sentit. Quare nunc longe magis quam supra deficio. So. Age, sic iterum audi. Equidem agnoscens Theodorum ejusque simulacrum memoria tenens, Theætetumque similiter, interdum quidem ipsos video, interdum non video. et tango quandoque, alias minime: eodemque pacto et audio et aliis sensibus apprehendo: sæpe etiam sensu vos nullo percipio, sed intra me scio nihilominus atque memini. Thr. Prorsus. So. Hoc itaque primum ex his, quæ expositurus sum, animadverte, quod potest quidem quæ novit, non sentire, potest etiam sentire. Thr. Sic est. So. Nonne et quæ non novit, sæpe etiam neque sentit: et sæpe solummodo sentit? Thr. Esto. So. Vide, an magis in præsentia quid assequaris. Socrates dum Theodorum [193] Theætetumque agnoscit, sed neutrum videt neque alio sensu illos percipit, nunquam secum ipse Theætetum esse Theodorum opinatur. Quid ad hæc? Thr. Vera sunt. So. Hoc sane primum erat ex his, quæ dicebam. Thr. Erat. So. Alterum erat hoc, quod dum unum e vobis agnosco, ignoro alterum, et sentio neutrum, nunquam eum quem cognosco, illum esse, quem ignoro, existimo. Thr. Probe. So. Tertium vero istud, dum neutrum cognosco neutrumque sentio, nunquam eum quem ignoro, alium quendam quem rursus ignoro, esse arbitror. Atque ita deinceps omnia supra dicta repetita similiter puta, in quibus ego nunquam de te ac Theodoro falsa opinabor, neque cognoscens neque ignorans utrosque, neque unum quidem noscens, ignorans alterum: eademque de sensibus ratio, si modo percipis. Thr. Percipio equidem. So.

Digitized by Google

Restat itaque, falsa in hoc opinari. Quando te Theodorumque cognoscens, servanesque in cerea illa effigie utriusque figuras longo ex tempore tanquam anulorum vestrorum signacula, neque acute cernens utrosque, tento proprium utriusque signum propriæ visioni attribuendo ejus accommodare vestigio, ut agnitio fiat: sed aberro, et instar eorum, qui commutatis calceis errant, commuto, et utriusque visionem ad alienum simulacrum transfero, et similia quædam patior iis, quæ in speculis transverso resultant, cum aspectus dextera in sinistra commutat: atque ita decipior, nasciturque aliena opinio et id, quod falsa opinari vocatur. THE. Omnino, o Socrates, opinionis passio talis est, qualem mirifice figurasti. So. Præterea cum utrosque cognoscens unum insuper sentio, alterum minime; cognitionem vero alterius non secundum sensum habeo: quod supra ita dixi, nec tu me intellexisti. THE. Non certe. So. Hoc tamen dicebam, quod qui agnoscit alterum atque sentit et cognitionem secundum sensum ipsius habet, nunquam putabit ipsum esse alium quendam, quem agnoscit quoque et sentit, cujusve cognitionem secundum sensum habet. Eratne hoc? THE. Immo. So. Prætermissum quodammodo fuit quod modo dicitur, cum in superioribus assereremus falsam opinionem contingere, quotiens quispiam utraque noscens et videns aut alio quodam sensu [194] percipiens et utrorumque signacula tenens, non secundum ipsius proprium sensum utrumque habet, verum instar imperiti sagittarii a signo procul aberrat, quod quidem mendacium nuncupatum est. THE. Nec injuria. So. Et quando uni quidem signaculorum adest sensus, alteri minime: quod vero absentis sensus est, præsenti adscribit: omnino hæc cogitatio fallitur: et ut summatim dicam, circa illa quæ quis nunquam aut novit aut sensit, falli mentirive et falsam opinionem habere non potest, si quid veri nos nunc loquimur. Ceterum in quibus noscimus et sentimus, in iis ipsis opinio vera vel falsa versatur: quæ cum e conspectu directoque nixu propria simulacra conducit figuratque, vera est: cum vero transverso atque obliquo, falsa. THE. Nonne præclare ista, o Socrates, dicta sunt? So. Cum hæc audieris, idem vehementius asseres. vera porro opinari pulchrum est, mentiri turpe. THE. Quidni? So. Hæc utique hinc maxime fieri tradunt. Cum alicujus in animo cerea effigies illa profunda et multa lævisque et moderate elaborata est, quæ per sensus influunt, in hoc insculpta, quod Homerus animæ cor vocavit, cerea hanc similitudinem subintelligens, utpote pura signacula et funditus insidentia, diuturna fiunt. Ac primo quidem homines sic instituti dociles sunt et acuti: deinde etiam memores: postremo sensuum simulacra non commutant; unde vera nimirum opinantur. cum enim perlucida et ampla in regione sint, velociter distribuunt dividuntque in propriam effigiem singula: quæ quidem existentia veraque vocantur: virique tales sapientes esse dicuntur. an non idem tibi videtur? THE. Mirum in modum. So. Quando igitur densum alicujus est cor, quod sapientissimus Poeta laudavit, vel cum lutulentum nec ex defecata cera, vel molle nimis vel durum: non recte omnino se habet. Nam mollis nimium cera celeres quidem ad percipiendum efficit, sed eosdem obliviosos: dura vero contra diu memores, sed ineptos tardosque ad percipiendum: et qui densam et asperam lapideamque vel terream vel feculentam habent, obscura simulacra continent: obscura quoque qui duram; profunditas quippe non adest: obscura præterea qui molliorem. nam ex confusione [195] facile evanescunt. quod si præter hæc invicem quoque congesta sint ob sedis ipsius angustiam, si quidem exigua sit animula, obscuriora quoque illis simulacra fient. Homines ergo hujusmodi omnes, quales descripsimus, ad opinionem falsam proni reddentur. Nam cum quid vident aut audiunt aut cogitant, quia singula singulis mox reddere nequeunt, tardi sunt prævaricanturque: nam perverse vident plurima·

Digitized by Google

audiuntque, et aliud sæpe pro alio cogitando decepti concipiunt: atque hi decepti, mentientes, ignari vocantur. Ther. Rectissime omnium, o Socrates, loqueris. So. Fatendum igitur falsas hominibus opiniones inesse. Ther. Valde. So. Et veras insuper. Ther. Et veras. So. Jam utique satis constare putandum, duas opiniones esse. Ther. Magnopere. So. Importunus re vera molestusque admodum, o Theætete, vir garrulus esse videtur. Ther. Quorsum hæc? So. Quia ruditatem meam moleste fero, quasi garrulitatem quandam. nam quod aliud quisquam nomen imponat, quando aliquis ob ingenii tarditatem sermones sursum deorsumve invertit, cum persuaderi nequeat, et tanquam hebes expedire disputationem omnino nullam valeat et dubitationes evadere? Ther. Tu vero quid moleste fers? So. Non tantum segre patior, verum etiam dubitavi, quidnam respondeam, si quis ita quæsierit, O Socrates, reperisti jam, opinionem falsam non in sensibus invicem, non in cogitationibus, sed in congressu sensus cum cogitatione consistere? At ego fatebor, ut puto, gloriabundus, quasi egregium quiddam invenerimus. Ther. Mihi quidem videtur, o Socrates, haudquaquam turpe esse, quod nunc ostensum est. So. Ad hæc ille sic infert. Nunquid ais, quod hominem, quem cogitamus duntaxat, videmus vero nequaquam, nunquam equum esse opinemur: quem in presentia nec videmus nec tangimus, verum solummodo cogitamus nihilque aliud circa illum sentimus? Hæc equidem, ut arbitror, dicere me fatebor. Ther. Et merito. So. Tum ille: Undecim, quæ quis solum cogitat, secundum hanc rationem nunquam putabit esse duodecim, quæ etiam solummodo cogitat. Quid ad hæc? Ther. Respondebo quæ videns aliquis aut tangens forsitan undecim duodecim esse putaret: quæ tamen in cogitatione habet, nunquam similiter judicaret. So. Quid porro? censes aliquem secum ipso considerare quinque et septem, [196] non homines inquam quinque et septem, nec aliud quicquam ejusmodi, sed ipsa quinque et septem, quæ diximus ibi in effigie monumenta esse, et falsa in illis opinari posse neminem? Ther. Censeo. So. Hæc, inquam, si qui ita considerent secum ipsi pesquirentes quot sunt, nonne illorum aliqui undecim, aliqui duodecim judicabunt? Num omnes duodecim esse illa dicent atque putabunt? Ther. Non per Jovem; verum plerique undecim: et si quis majori de numero quærat, magis fallitur. arbitror enim te magis de omni numero dicere. So. Recte sentis. Animadverte igitur, num et hoc accidat, hoc est ut ipsa duodecim quæ in effigie sunt, undecim esse quis putet. Ther. Videtur. So. Nonne hoc ad superiora revolvitur? Qui enim id patitur, quod novit, aliud quiddam quod similiter novit, esse censet: quod tanquam impossibile supra respuimus. Et ex hoc ipso confiteri quemlibet cogimus, falsam opinionem non esse: ne unus atque idem eadem scire simul atque nescire cogatur. Ther. Vera loqueris. So. Ex iis jam constat, opinionem falsam aliter esse definiendam, quam cogitationis ad sensum permutationem. nam si ita esset, nunquam in ipsis cogitationibus falleremur. Nunc autem vel nulla est opinio falsa: vel si qua est, quæ quis novit, ut ignoret simul, fieri potest. Utrum potius eligis? Ther. Ambiguam, o Socrates, electionem proposuisti. So. Ambo quidem admittere ratio vetare videtur. Verumtamen audendum omnia. Quid si pudorem deponere audeamus? Ther. Quo pacto? So. Si velimus quod ipsum scire est explicare. Ther. Cur hoc impudens? So. Haud satis advertisse videris, quod omnis nobis a principio sermo investigatio scientiæ fuit, tanquam quid ipsa sit ignorassemus. Ther. Teneo. So. Nonne impudentis animi est, ut scientiam ignorantes, quid scire sit, ostendant? Verum, o Theætete, jampridem a puritate disputandi longe vagamur. millies enim diximus hæc, Cognoscimus, Non cognoscimus, Scimus, atque Nescimus: quasi aliquid invicem intelligeremus, sed interim scientiam ignorabamus. Ergo et nunc quoque, si placet, vocabulis istis utamur, Ignorare scilicet et Intelligere, ut

Digitized by Google

illis uti convenit, si quidem scientiæ expertes simus. Theæ. At quo pacto his sublatis, o Socrates, disputare valeres? [197] So. Nullo, dum qualis sum, maneo: possem tamen quoquo modo, si contentiosus essem. Et nunc si quis talis adesset, abstinere ab his vocabulis profiteretur, et nos ab his, quæ ipse narro, vehementer deterreret. Postquam vero simplices et ignavi sumus, visne proferre audeam, Scire ipsum quale sit? mihi enim operæ pretium esse videtur. Theæ. Aude, per Jovem. Nam his tibi utenti veniam dabimus. So. Audistin', quid nunc Scire dicant esse? Theæ. Forte: non tamen in præsentia memini. So. Scientiam habere, id est uti. Theæ. Sic est. So. Nos autem paulum permutantes scientiam possidere dicamus. Quæres forte, quonam hoc ab illo differat? Nihilo forsitan. quod autem videatur mihi, id, postquam audiveris, mecum examinato. Theæ. Modo possim. So. Haud sane possidere idem quod habere videtur: ceu si quis empta veste, illam servans et uti arbitratu suo potens non ferat, habere illam minime, possidere certe confiteremur. Theæ. Et recte quidem. So. Vide præterea, utrum fieri possit, ut qui scientiam similiter possideat, non habeat: perinde ac si quis silvestres aves, sive columbas sive quasvis alias aucupatus, aviario domi constructo nutriat, quodammodo habere semper illas dicetur, quia possidet, quodammodo non habere: sed dominari quidem illis, cumque in domestico ambitu illas incluserit, posse quotiens velit capere et habere quamlibet ad votum atque dimittere. Theæ. Ita est. So. Rursus quemadmodum supra in animis nescio quod figmentum cereum machinati sumus, ita et nunc in qualibet anima aviarium quoddam omnis generis avium fabricemus: quasdam vero ex his seorsum ab aliis discretis gregibus pervagari; alias similiter admodum paucas, nonnullas solas passim quocunque contigerit, pervolare. Theæ. Fiat: quid tum postea? So. Hanc profecto caveam in puerio vacuam esse dicamus: et loco avium scientias intelligamus: et quisquis scientiam nactus hoc coërcuit ambitu, hunc invenisse didicisseque rem ipsam, cujus scientia est, ipsumque scire id esse. Theæ. Esto. So. Deinde rursus quamcunque [198] velit scientiam aucupari captamque habere iterumque dimittere: hæc, inquam, omnia quibus exprimenda nominibus sint, considera. nunquid eisdem, quibus antea, cum acquisita duntaxat possidebantur, an aliis? Hinc forte clarius me intelliges. Arithmeticam artem vocas? Theæ. Voco. So. Hanc suppone scientiarum omnis paris et imparis aucupium esse. Theæ. Suppono. So. Hac arte arithmeticus ipse scientias numerorum quasi mancipia quædam subjectas habet et aliis tradit. Theæ. Prorsus. So. Eumque, qui tradit, docere dicimus: qui vero accipit, discere: et cum qui habet, ex eo quod in ipsa cavea possidet, scire. Theæ. Maxime. So. Quæ sequuntur, diligenter animadverte. Qui perfectus arithmeticus est, nonne omnes scit numeros? omnium quippe numerorum ejus animo scientiæ insunt. Theæ. Nil obstat. So. Nonne iste interdum vel secum ipse interne vel externe quosdam, quos numero constant, dinumerat? Theæ. Quidni? So. Numerare autem nihil aliud esse ponemus, quam considerare quantus quisque sit numerus. Theæ. Nil aliud certe. So. Quod ergo scit, tanquam nescius considerare videtur is, quem scire omnem numerum confessi sumus. Audis ambiguitates hujusmodi? Theæ. Equidem. So. Cum columbarum possessioni et aucupio comparaverimus, duplex aucupium esse dicemus: unum ante acquisitionem possidendi gratia, alterum postquam acquisivit possiditque, gratia capiendi manuque tenendi illa ipsa, quæ quis diu possedit. Atque ita quorum jampridem scientiis discendo præditus est, quæve antea novit, ea iterum discere potest, resumens cujusque scientiam, et in lucem eruens quæ latebant. Theæ. Vera narras. So. Propterea paulo ante quærebam, quomodo nominibus est utendum, cum de iis loquimur: utputa quando arithmeticus

Digitized by Google

numeraturus est vel lecturus grammaticus. Tunc enim scient iterum secum ipse, quæ scit, discere tentat. Thr. At absurdum est istud, o Socrates. So. An forte dicendum, quæ nescit, ea vel numerare vel legere, cum ipsi jam literarum [199] omnium vel numerorum intelligentiam tradiderimus? Thr. Hoc quoque absurdum. So. Vis ergo dicamus nihil curare nos, quomodocunque nominibus sciendi discendique quisque utatur? Postquam vero determinavimus aliud quiddam esse scientiam possidere, aliud habere: quod quis possidet, ne possideat, fieri non posse dicimus. Quapropter nunquam accidit, ut aliquis quod scit, idem et nesciat. falsam tamen opinionem circa id ipsum accipi posse. Nam accidere potest, ut scientiam unius pro alterius scientia capiamus, quando aliquis nostrum unam quandam ex internis scientiis aucupans pro illa aliam prævolantem deceptus apprehendit: veluti cum undecim duodecim esse putat, ipsorum undecim scientiam loco scientiæ ipsorum duodecim, cum utraque intus maneat, capiens, quasi pro columba palumbem. Thr. Verisimile id quidem. So. Cum vero quam affectat, apprehendit, tunc expertem esse mendacii veraque nimirum opinari dicendum. et hoc modo veram et falsam opinionem existere, nihilque ex iis, quæ nos supra turbabant, impedimento nobis fore. Forte mihi assentieris: an quid ages? Thr. Assentiar. So. Jam discrimen illud evasimus, quo nescire aliqui, quæ sciunt, cogebantur. Nam quæ possidemus, ne possideamus non accidit: neque si fallamur neque si vere judicemus. Verumtamen aliud quiddam gravius mihi videtur. Thr. Quidnam istud? So. Si scientiarum commutatio falsa fiat opinio. Thr. Qui istuc? So. Nonne valde absurdum est, ut qui rei cujusdam scientiam habet, eam ipsam ignoret non ignorantia quidem, sed ipsius ejusdem scientia? deinde rem hanc aliam quandam et contra illam hanc esse existimet? quam præter rationem hoc est, quod præsente scientia animus cognoscat nihil, ignoret omnia? Enimvero secundum hanc rationem nihil prohibet, quin ignorantia præsens nosse quicquam efficiat, cæcitasque videre, si scientia ignorare quenquam effecerit. Thr. Haud recte forsitan, o Socrates, aves induximus, cum solas in animo scientias poneremus: oportebatque inscitias quoque una cum scientiis in animo convolantes inducere: et aucupantem hominem nonnunquam scientiam, alias inscitiam circa idem accipientem: eumque in scientiam incurrit, vera opinantem, cum ignorantiam, falsa. So. Non facile possem te non laudare, Theætete. quod tamen dixisti, iterum animadverte. Esto enim ut ais. qui in ignorantiam [200] incidet, falsa, ut ais, opinabitur. nonne? Thr. Certe. So. Non tamen falsa se opinari putabit. Thr. Non certe. So. Sed vera potius, et tanquam sciens afficietur ad illa, in quibus fallitur. Thr. Cur non? So. Et iccirco scientiam nactum se venando, non inscitiam arbitrabitur. Thr. Patet. So. Jam longo quodam circuitu in primam rursus dubitationem relapsi sumus. quippe contentiosus redargutor ille subridens dicet: Utrum, o boni viri, utramque noscens aliquis, scientiam et inscitiam, quam novit, aliam quandam quam etiam novit, esse censet? aut neutram noscens, quam non novit, aliam quam nec novit? aut unam cognoscens quidem, alteram minime, quam novit, eam esse quam non novit: vel contra quam non novit, eam esse quam novit? Vel rursus mihi dicetis, scientiarum et inscitiarum scientias esse, quas qui possidet, in aliis quibusdam ridiculis caveis sive cereis figmentis cohibens, quoad possidet, scit, etiamsi in promptu non habeat. Atque ita cogemini in infinitum circa idem revolvi, nihil proficientes. Quid ad hæc, o Theætete? Thr. Per Jovem, o Socrates, quid respondendum sit, nescio. So. Nonne ratio nos, o Theætete, admonet, non recte falsam opinionem prius quam scientiam investigasse, et indiscussam scientiam reliquisse? Impossibile autem est ista cognoscere, antequam sufficienter scientia

Digitized by Google

definita sit. The. Necessarium, o Socrates, quod ais in præsentia asserere. So. Quid ergo? a principio rursus de scientia disseremus? nondum enim dicendo defessi sumus. The. Non certe, siquidem ipse non renuis. So. Dic age, quo pacto eam definientes nobis ipsis minime adversabimur? The. Quemadmodum supra contendimus. nihil enim aliud habeo. So. Quomodo supra? The. Veram opinionem scientiam esse volebam. nam vere opinari procul est ab errore: et quæ a vera opinione proficiscuntur, decora omnia bonaque sunt. So. Qui in transeundo flumine præit sequentibus, cum interrogant, quam alta sit aqua, Ipsa ostendet, inquit. Quod si et nos ingressi perquiramus, forte impedimentum ipsum, quod quæritur, [201] demonstrabit: manentibus nobis nihil patebit. The. Probe loqueris. eamus jam quæsituri. So. An non brevis investigationis hoc est? an etenim universa argumento nobis est, scientiam id minime esse. The. Qua ratione? quæve facultas? So. Eorum, qui præ ceteris sapientes sunt, quos oratores et causidicos vocant. hi si quidem arte sua persuadent, non docent. inducunt enim auditores, ut quæ ipsi cupiunt, opinentur. An tu aliquos adeo in docendo vehementes existimas, ut cum latrociniis aliisque injuriis nulli testes interfuerint, tamen commissorum scelerum veritatem ad aquam paucam doceant? The. Nullo modo docere illos, sed persuadere puto. So. Persuadere autem nonne idem asseris, quod et opinionem inducere? The. Idem prorsus. So. Nonne quando judices juste persuadentur in his, quæ solus ille, qui vidit, cognoscit, alius autem nequaquam: tunc ipsa ex auditu judicantes veramque opinionem nacti absque scientia recte judicant ea, in quibus persuasi sunt, si modo bene judicant? The. Omnino. So. Si tamen idem esset, o amice, opinio vera judiciumque et scientia, nunquam judex ille summus absque scientia recte opinaretur. Nunc autem utrumque diversum quiddam esse videtur. The. Quod ab aliquo de scientia quondam audivi, oblitus eram, sed jam reminiscor. inquit autem opinionem veram cum ratione scientiam esse, sine ratione expertem scientiæ: et quæ ratione carent, sciri non posse; quæ vero rationem habent, sciri. So. Quam præclare loqueris! Sed hæc ipsa quæ sciri possunt et quæ non, dic quomodo distinguebat, ut videamus, utrum tu et ego similiter acceperimus. The. Inventurusne sim ignoro: forte vero exponente alio quodam assequerer. So. Audi igitur pro somnio somnium. Ego quoque accepisse a quibusdam mihi videor, prima ipsa velut elementa, ex quibus homines et alia componuntur, orationem non habere. Nam unumquodque illorum secundum seipsum nominare licet, prædicare vero aliquid aliud minime, neque quod est neque quod non est. Jam enim essentiam ipsi vel non essentiam [202] adhiberi contingeret. Oportet tamen nihil apponere, si forte illud ipsum solum quis dicat. etenim neque ipsum neque illud, neque unumquodque neque solum, neque istud neque cetera talia adhiberi volunt. hæc enim circumcurrentia quotiens cuiquam assignantur, alia quædam esse aiunt præter illud cui adjecta sunt. Oportere autem, si quo modo posset, ipsum dici, haberetque orationem propriam, seorsum ab aliis omnibus ipsum dicere. Nunc autem nullum ex primis sermone posse proferri. nihil enim aliud ipsi quam nomen adesse, solumque nomen habere. Quæ vero ex illis composita sunt, quemadmodum ipsa copulantur, sic et illorum nomina copulata orationem fieri. Nominum quippe copulationem orationis esse substantiam. Quocirca elementa sine oratione rationeve et incognita esse, sensibus tamen percipienda: syllabas autem et cognosci et dici posse vera opinione comprehendi. Quando ergo absque ratione opinionem de aliquo veram aliquis adipiscitur, vera quidem de illo ejus sentire animum ferunt, nosse vero nequaquam. Nam eum, qui accipere et reddere rationem nequit, inscium esse: cum vero rationem consequitur, hæc omnia

Digitized by Google

cognoscere posse perfectamque scientiam adipisci, Sic et tu insomnium, an aliter audivisti? Thr. Sic omnino. So. Num tibi id placet? et hoc pacto opinionem veram una cum ratione scientiam asseris? Thr. Et maxime quidem. So. Siccine, Theætete, nos hodie id comprehendimus, quod olim sapientes quam plurimi investigantes, antequam invenirent, consenuerunt? Thr. Mihi quidem, o Socrates, quod modo dictum est, bene dictum esse videtur. So. Et merito. nam quæ scientia absque ratione rectaque opinione unquam esse poterit? Unum tamen ex dictis mihi displicet. Thr. Quod istud? So. Quod sane magnificentius dici videbatur, elementa ignota esse; syllabarum autem genus notum. Thr. Nonne recte? So. Advertendum profecto. nam tanquam vades sermonis exemplaria ipsa habemus, quibus ille usus hæc omnia dixit. Thr. Quænam? So. Literarum elementa et syllabas. an putas alio intuentem hæc dicere illum, qui dicit quæ ipsi narramus? Thr. Non ad alia certe, sed ad ista duntaxat. So. Ea igitur [203] recensentes examinemus: immo vero sic nosmetipsos, Nonne literas ita didicimus? Responde ad hoc primum, An non syllabæ orationem definitionemve habent, elementa vero minime? Thr. Forte. So. Mihi quoque omnino videtur. Si quis ergo ita de prima Socratis syllaba percontetur, O Theætete, dic so quid est, quid potissimum respondebis? Thr. Quod s et o. So. Habes ergo hanc syllabæ rationem. Thr. Equidem. So. Age, dic præterea ipsius s rationem. Thr. At quo pacto quis elementi elementa referre posset? Etenim ipsum s, o Socrates, mutarum literarum sonus quidam est solum, lingua veluti sibilante: ipsius autem B neque vox neque sonus, neque plurimorum elementorum. Quocirca recte admodum absque ratione esse dicuntur: e quibus septem illa notissima vocem habent, rationem vero nequaquam. So. Hoc itaque, o amice, circa scientiam recte asseruimus. Thr. Videmur. So. Quid vero, cum diximus ignotum elementum, syllabam esse notam, nunquid recte? Thr. Probabile est. So. Syllabam vero utrum elementa utraque esse dicimus? vel, etiam si plura insint quam duo, omnia esse? an potius ideam unam ex ipsis compositis genitam? Thr. Cuncta dicere mihi videmur. So. Aspice igitur circa duo, s et o, si utraque prima mei nominis syllaba sunt, quisquis ipsam novit, utraque noscit. Thr. Quidni? So. Ergo s et o cognoscit. Thr. Plane. So. Quid porro, si utrumque ignoret, ambo cognosceet? Thr. At absurdum et præter rationem hoc esset. So. Verumtamen si necessarium est utraque nosse, quandoquidem ambo quis noverit, sequitur, ut necesse sit eum elementa prænosse, qui syllabam quandoque sit cogniturus: atque ita nobis pulcher ille sermo subterfugiet. Thr. Et repente nimium. Neque enim bene illum custodimus. Oportebat forte syllabam non elementa ponere, sed unam quandam ex illis speciem constitutam, quæ ideam unam sui ipsius habeat et ab elementis differat. So. Sic prorsus. ac forte hoc modo potius quam illo se habet. Quamobrem considerandum est diligenter, neque ita ignave sermonem tam magnum tamque præclarum prodi decet. Thr. Non profecto. So. Esto igitur syllaba, ut modo dicebamus, idea una [204] ex singulis conflatis elementis effecta, tam in literis quam in ceteris omnibus. Thr. Prorsus. So. Nunquid partes illius esse non oportet? Thr. Curnam? So. Quoniam cujuscunque partes sunt, totum necesse est partes omnes existere. an totum unam quandam speciem ex partibus factam vocas, ab omnibus partibus differentem? Thr. Equidem. So. Omne vero et totum idemne an differens utrumque vocas? Thr. Quamquam nihil habeo certi, tamen quia prompte respondere jubes, periclitatus differre respondeo. So. Promptitudo, o Theætete, recta. Utrum vero et responsio recta, considerandum. Thr. Profecto. So. Nonne secundum præsentem sermonem totum et omne diffe-

Digitized by Google

runt? Thæ. Certe. So. Quid porro? omnia et omne num aliquo differunt? Veluti cum dicimus, unum, duo, tria, quatuor, quinque, sex; vel bis tria, vel ter duo, aut quatuor ac duo, aut tria duoque et unum; utrum in his omnibus idem an aliud dicimus? Thæ. Idem penitus. So. Aliudne quam sex? Thæ. Nihil aliud. So. Nonne in uno quoque loquendi modo omnia sex invenimus? Thæ. Ita. So. Rursus autem non unum aliquid dicimus, dum dicimus omnia? Thæ. Necesse est. So. Num aliud quam sex? Thæ. Nihil aliud. So. Ergo in his, quæ numero constant, idem esse omne et omnia dicimus. Thæ. Sic apparet. So. Sic utique de ipsis dicamus: Jugeri numerus et juger idem. nonne? Thæ. Idem. So. Et stadii numerus stadiumque similiter? Thæ. Et hoc. So. Exercitus quoque ipsius numerus et exercitus ipse, ceteraque hujusmodi eodem pacto? numerus enim omnis existens omne unumquodque illorum est. Thæ. Sane. So. Singulorum autem numerus num aliud est quam partes? Thæ. Nequaquam. So. Quæcunque igitur partes habent, ex partibus constant. Thæ. Apparet. So. Omnes autem partes totum esse concessum est, si quidem omnis numerus omne est. Thæ. Ita est. So. Totum itaque non constat ex partibus: omne enim esset, quandoquidem omnes esset partes. Thæ. Non videtur. So. Pars id quod est, an est alterius quam totius? Thæ. Ipsius utique omnis. So. Strenue, [205] Theætete, pugnas. Ipsum omne nonne ex eo est omne, quod nihil deest? Thæ. Necesse. So. Totum quoque nonne eadem ratione totum, quia nihil abest? cui vero nihil deest, neque tamen totum est, neque omne, ipsum est ex se ipso? Thæ. Videtur mihi nunc nihilo totum et omne differre. So. Nonne diximus cujus partes sunt, totum et omne, partes omnes esse? Thæ. Plane. So. Rursus, quod paulo ante tentavimus: nonne si syllaba elementa non est, necesse est eam non tanquam partes suas elementa habere? aut si eadem est cum illis, æque ac illa cognosci posse? Thæ. Ita certe. So. Ne hoc accideret, aliud ipsam quam illa posuimus. Thæ. Aliud. So. Quid vero, si elementa syllabæ partes non sunt, num alia quædam referre potes, quæ partes quidem syllabæ neque tamen illius elementa sint? Thæ. Nunquam ego partes vocarem quæ elementa non sunt, ridiculum quippe, omissis elementis alia quærere. So. Omnino igitur secundum hanc rationem, o Theætete, una quædam impartibilis idea syllaba esse videtur. Thæ. Videtur sane. So. Num recordaris, amice, nos in superioribus admisisse, quod primorum, ex quibus alia componuntur, oratio ratiove non esset, ex eo quod ipsum secundum seipsum unumquodque simpliciter existeret; neque ipsum esse de illo congrue prædicari posset, neque hoc, neque ita quasi hæc extranea alienaque sint: et hanc ipsam causam obstare diximus, quo minus describi cognoscique possit? Thæ. Memini. So. Estne alia causa præter istam, quæ uniforme et impartibile aliquid ipsum faciat? nam ego nullam aliam video. Thæ. Non videtur. So. Nonne in idem cum illo syllaba quoque concurrit, quandoquidem species est, nec habet partes, sed idea una est? Thæ. Maxime. So. Si igitur multa elementa syllaba est, et totum quiddam, ejusque partes ista; similiter syllabæ et elementa cognosci describique possunt: quippe cum partes omnes idem quod et totum esse constiterit. Thæ. Præcipue. So. Sin autem unum quiddam et simplex; æque syllaba atque elementum definitionis cognitionisque est expers. eadem enim causa talia hæc efficiet. Thæ. Aliter asserere nequeo. So. Ejus ergo sermonem ne admittamus, qui dixerit syllabam quidem et dici et cognosci posse, elementa vero nequaquam. Thæ. Non certe, si huic rationi credimus. [206] So. Quid, si quis contraria dixerit, an non potius illa concederes, ex his quorum tibi ipsi in primis literarum rudimentis conscius exstitisti? Thæ. Quænam ista? So. Quod nihil aliud discere studuisti,

Digitized by Google

quam elementa oculis auribusque discernere et singula secundum seipsa notare, ne illorum positio dictorum vel scriptorum te turbaret. THE. Vera narras. So. Citharistæ vero artem didicisse quid aliud est, quam unumquemque sonum cujusque chordæ dignoscere? hæc enim elementa musicæ quilibet appellaret. THE. Nihil aliud. So. Cum ergo elementorum et syllabarum periti fuerimus, velimusque ex his ad alia conjecturam facere, asseremus profecto genus elementorum clariorem principalioremque intelligentiam continere quam syllabam, ad singulas disciplinas absolute percipiendas. et si quis notam syllabam, elementum natura ignotum dixerit, ultro illum vel invitum jocari putabimus. THE. Et maxime quidem. So. Ceterum aliæ quoque ejusdem rei demonstrationes paterent: propositum vero ne propter hæc inquirere dimittamus: quid scilicet de hoc judicandum sit quod dicitur, rationem cum opinione vera perfectam scientiam esse. THE. Inquirendum omnino. So. Dic age, quid ratio nobis significet, e tribus enim unum quiddam significare mihi videtur. THE. E quibus? So. Primum esse arbitror, cogitationem suam voce per verba nominaque exprimere, opinionem propriam in voce, perinde ac in speculo et aqua, monstrantem. Nonne tale quiddam sermo tibi esse videtur? THE. Mihi vero. So. Eum, qui hoc agit, loqui dicimus. Nonne hoc quisque facere potest, ostendere scilicet ocius aut tardius, quid sibi de singulis videatur? nisi forte mutus vel surdus natura sit. atque ita quicunque recte aliquid opinantur, cum ratione opinari videntur: ac nunquam recta opinio sine scientia erit. THE. Vera hæc sunt. So. Ne igitur facile condemnemus eum, qui scientiam quod nunc diximus affirmavit, quasi nihil dicat. forte enim non id volebat: sed quod interrogatus quid unumquodque, respondere per elementa [207] interroganti possit. THE. Quale id inquis, o Socrates? So. Quemadmodum Hesiodus de curru dicit: Centum ligna currus. quæ quidem referre nunquam possem, neque tu etiam, ut opinor. sed satis nobis erit, si interroganti quid est currus, respondere poterimus, Rotæ, axis, tabulæ, semicirculi, jugum. THE. Omnino quidem. So. Ille autem forte nos existimaret, tanquam interrogatos de tuo nomine respondentesque per syllabam, ridendos esse: recte quidem opinantes dicentesque quod dicimus, putantes autem grammaticos esse et grammatice habere ac dicere Theæteti nominis rationem: hoc autem non esse secundum scientiam loqui, antequam per elementa cum opinione vera unumquodque quis determinet, quemadmodum supra dictum est. THE. Dictum procul dubio. So. Sic utique et de curru nos rectam opinionem habere: eum vero, qui centum illa percurrere possit, ipsius currus essentiam accipiens, rationem quoque una cum vera opinione comprehendisse: loco opinantis, artificiosum ac scientiæ compotem circa currus essentiam evasisse, per elementa totum determinantem. THE. Nonne bene tibi videtur, o Socrates? So. Si tibi, o amice, videtur, ac suscipis per elementa discursum circa unumquodque orationem rationemve esse; processum vero per syllabas vel secundum majus quoddam actum orationis expertem: hoc mihi dicas, ut diligentius consideremus. THE. Suscipio, et maxime quidem. So. Utrum existimas quemlibet cujusvis scientem esse, quando unum et idem alias unius ejusdem esse illi videtur, alias alterius: vel quando unius et ejusdem tum hoc, tum illud opinatur? THE. Non per Jovem. So. Num memoria excidit, in discendis literis te atque alios hæc effeciase sæpe? THE. Solitosne dicis ejusdem syllabæ tum hanc, tum illam literam opinari? eandemve literam alias in syllabam propriam, alias in alienam referre? So. Hæc inquam. THE. Nec oblitus sum, nec eos, qui sic affecti sunt, scire arbitror. So. Quid vero? si quis eo in tempore Theætetum scribens, TH et E scribendum putet scribatque: et rursus [208] Theodorum scribere volens, T et E scribendum

Digitized by Google

putet et scribat; nunquid scire illum dicemus primam vestri nominis syllabam? THE. Paulo ante inter nos convenit, eum, qui sic institutus est, nondum scire. SO. Quid prohibet, hoc idem aliquem circa secundam tertiamque et quartam syllabam perpeti? THE. Nihil omnino. SO. Nunquid tunc discursum per elementum habens, Theætetum recta cum opinione scribet, quando ordine suo scribet? THE. Absque dubio. SO. Nonne adhuc inscius, sed recte opinatus, ut diximus? THE. Certe. SO. Et rationem habens cum opinione recta? nam discursum per elementum habens, scripsit; quam orationem esse consensimus. THE. Verum. SO. Est igitur, o amice, quædam cum ratione opinio recta, quam scientiam appellare nondum decet. THE. Apparet. SO. Somnium quoddam, ut videtur, nacti sumus, dum verissimam scientiæ rationem habere consideremus. THE. An nondum vituperare debemus? forte enim non ita quis orationem rationemve ipsam determinet: sed reliquam e tribus speciem eligat: e quibus unam quandam electurum diximus illum, qui scientiam esse opinionem rectam cum ratione asseverabat. SO. Opportune admonuisti. adhuc enim species una restat. Prima quidem erat idolum cogitationis in voce: secunda vero in totum per elementa processus. THE. Tertiam autem quid dicis? SO. Quod et plurimi faterentur, posse videlicet signum quoddam ascribere, quo ab aliis omnibus id, de quo agitur, differt. THE. Quam mihi cujusve rationem talem assignare potes? SO. Ut ecce de sole, si velis, posse te arbitror sufficienter accipere, quod luce præcellit omnibus, quæ circa terram in cœlo volvuntur. THE. Omnino. SO. Accipe cujus gratia hoc est dictum. est autem quod modo referebamus: Si differentiam cujusque accipias, qua ab aliis est distinctum, definitionem, ut quidam tradunt, acceperis: quamdiu vero commune aliquod attigeris, illorum definitionem, quorum communitas est, habebis. THE. Intelligo: ac recte hujusmodi quiddam rationem vocari existimo. SO. Qui autem cum recta opinione differentiam, qua quodque a quocunque sejungitur, accipit, idipsum deinde sciet, quod prius opinabatur. THE. Consentaneum est. SO. Nunc demum, o Theætete, cum primum ad hanc quasi quandam adumbrationem propius accesserim, nihil omnino me in his intelligere animadverto. quousque vero eminus prospiciebam, dici mihi aliquid videbatur. THE. Quamobrem? [209] SO. Dicam si potero. Rectam equidem de te opinionem habens, si tuam præterea definitionem accipio, te cognosco: alioquin duntaxat opinor. THE. Ita est. SO. Definitio autem differentiæ tuæ interpretatio erat. THE. Erat certe. SO. Quando igitur opinabar solum, nihil eorum, quibus es distinctus ab aliis, cogitatione percipiebam. THE. Nihil, ut videtur. SO. Communia ergo quædam attendebam, e quibus nihil tu magis quam alius quivis habes. THE. Necessario sequitur. SO. Dic age, per Jovem, quo pacto tunc potius te quam alium quemlibet opinabar? Pone utique ita me cogitantem, Theætetum esse illum, qui et homo est, et nares et os et oculos habet, similiterque reliqua membra. num cogitatio ista efficit, ut Theætetum potius quam Theodorum animadvertam, vel vilissimorum hominum extremum quempiam? THE. Quinam? SO. Si vero non solum habentem nares et oculos cogitem, sed et simum nasum et prominentes oculos, nihilo magis iterum te quam me ipsum et alios, quicunque tales sunt, opinabor. THE. Æque sane. SO. At vero non prius Theætetum, ut arbitror, opinabor, quam figuram hanc simam ab aliis, quascunque vidi, simis figuris per aliquod monumentum illius proprium insitam mihi distinguam; aliaque similiter, e quibus me cognosceres. et si deinde te offendero, memorabis mihi, et recta de te opinari faciet. THE. Vera loqueris. SO. Ergo circa differentiam propriam recta de unoquoque versatur opinio. THE. Apparet. SO. Quid igitur ulterius erit, una cum recta opinione definitionem quoque

Digitized by Google

assumere? Si enim simul opinari dicat, qua ratione ab aliis distinguatur, ridiculum erit præceptum. Thr. Quomodo? So. Quorum opinionem rectam habemus, quatenus ab aliis differunt, excogitamus. Atque ita oratio tua scuticæ quodammodo similis, quasi quædam pistilli vel cujusvis similis circumvolutio, ut proverbio fertur, ad hoc præceptum nihil utique diceret. cæci namque præceptum jure vocabitur: quoniam jubere, ut quæ habemus, accipiamus ad ea, quæ opinamur, discenda, cæci hominis mandatum esse videtur. Thr. Dic age, quid modo quærebas? So. Si rationem, o puer, accipere nosse præcipit, non autem differentiam opinari, dulcis sane res esset ratio, pulcherrima omnium, quæ ad scientiam pertinent. nosse enim accipere scientiam [210] est. Thr. Est profecto. So. Interrogatus itaque, quid scientia sit, respondet eam esse opinionem rectam cum scientia differentiæ. Rationis enim assumptio secundum illum hoc esset. Thr. Videtur. So. Omnino fatuum est, scientiam nobis quærentibus, opinionem rectam cum scientia dicere, sive differentiæ sive cujuscunque alterius scientia sit. Neque sensus igitur, o Theætete, neque opinio vera, neque cum opinione vera assumpta ratio scientia est. Thr. Non, ut videtur. So. Nunquid fœtus in nobis alius circa scientiam, o amice, restat? an omnia jam peperimus? Thr. Per Jovem, plura quam in me haberem, educente te protuli. So. Nonne cuncta nobis hæc ars obstetricia vana educationeque indigna nata fuisse ostendit? Thr. Omnino quidem. So. Si igitur aliorum deinceps plenum fœcundumque fieri te contendes, prægnansque evades: melioribus plenus eris propter præsentem discussionem. quod si forte vacuus sterilisque restabis, minus certe molestus familiaribus eris et cum temperantia mitior, quæ nescis nequaquam scire te putans. tantum quidem ars mea, nec plus aliud potest: nec ea novi, quæ alii multi, quicunque magni atque mirandi viri et sunt et fuerunt. Hanc vero obstetriciam facultatem ego ac mater mea a deo sortiti sumus: illa quidem circa feminas; ego autem circa adolescentes ingenuos atque honestos. Sed nunc jam eundum mihi est in regis porticum: nam Melitus in judicium me vocavit. Cras summo mane, o Theodore, huc redibimus.

Digitized by Google

MENO.

MENO, SOCRATES, PUER, ANYTUS.

[70] Potesne mihi ostendere, Socrates, utrum virtus doctrina an exercitatione potius acquiratur? an forsitan nec doctrina nec usu ab hominibus comparetur, verum ipsa natura vel alio quoquam modo hominibus insit? So. Hactenus, o Menon, Thessalici homines inter Græcos illustres tum equestri facultate tum etiam divitiis habiti sunt: nunc autem, ut mihi videtur, sapientiæ quoque gloriam consequentur: præsertim amici tui Aristippi Larissæi concives. Atque hujus rei causa vobis Gorgias exstitit: qui in urbem vestram profectus amicos sibi ob sapientiam comparavit cum reliquos Thessalicos, tum maxime Alevadarum familiam, ex qua amicus tuus Aristippus originem ducit. Quamobrem sic vos Gorgias assuefecit, ut intrepide et alto animo interrogantibus respondeatis, quemadmodum scientes decet: quippe et ipse concedebat Græcorum cuique, rogare quicquid vellet, ac singulis respondebat. Nobis, o amice Menon, contrarium contigit: siquidem sapientia nostra quodammodo jam exaruit, atque [71] ex his locis ad vos divertisse videtur. Itaque si quem nostrorum hominum hoc pacto percontari tentaveris, nemo utique erit quin tibi subridendo respondeat: O hospes, forte tibi beatus quidam videor, quod me nosse existimas, utrum doctrina an alia quadam ratione virtus hominibus adsit. ego vero usque adeo ab hac cognitione absum, ut nec quid ipsa sit virtus intelligam. Atqui ipse quoque, o Menon, sic affectus sum: in eadem quippe paupertate animi, qua et concives mei, sum constitutus, ac me ipsum accuso, utpote quid sit virtus penitus ignorans. Cum vero quid sit nesciam, quonam pacto quale sit nossem? Num tibi fieri posse videtur, ut qui nullo modo quis Menon sit, norit, utrum tamen bonus aut dives aut generosus, an contra sit, noscat? Men. Mihi quidem nequaquam. At vero ipse re vera, o Socrates, quid sit virtus ignoras? Ista de te in patria renuntiabimus? So. Non id quæso solum, amice, domi prædices: verum etiam, quod nullum unquam, ut mihi videtur, id scientem nactus sim. Men. Ergo ne Gorgiam quidem, cum hic commoraretur, aliquando convenisti? So. Equidem. Men. An hæc ignorare tibi visus est? So. Haud satis, o Menon, memini: ideoque, quid tum mihi visum fuerit, in præsentia referre nequeo. Sed forte et ille novit, et tu quid ille docuerit, tenes. quare, si placet, ipse dicas: nam tu forsitan cum illo convenis. Men. Convenio equidem. So. Eum igitur, cum absit, omittamus. ipse vero, o Menon, dic, per deos obsecro, quid esse virtutem existimes: dic, inquam, nec invideas: ut fortunati cujusdam mendacii redarguar, si quidem tu et Gorgias id cognoscere videamini, cum tamen ego nemini unquam

Digitized by Google

hoc scienti occurrisse prædixerim. Men. At, o Socrates, nequaquam difficile est id dicere: et primo quidem, si lubet, quæ viri sit virtus. Hæc plane est, ad civilium rerum administrationem sufficientem esse, iisque tractandis amicos juvare, inimicos lædere: nec non diligenter cavere, ne quid ipse tale aliquando patiatur. Quod si ulterius, quæ sit mulieris virtus, nosse requiris, neque id arduum erit. est enim mulieris virtus, domum recte gubernare, dum custodit domestica viroque obedit. Alia quoque virtus est pueri, feminæque, et masculi, et viri jam ætate maturi: nec non liberi, si velis, alia, et alia servi. [72] atque aliæ permultæ virtutes existunt. quamobrem haud nobis deest, quid de virtutis definitione dicamus. Enimvero secundum singulas actiones atque ætates ad opera singula singulis hominibus virtus adest. Totidem præterea et de vitio, o Socrates, ut arbitror, dici possent. So. Non mediocriter in hac venatione fortunatus sum, o Menon, si quidem unam virtutem investigans examen quoddam virtutum apud te habitantium reperi. Verumtamen, o Menon, secundum hoc exemplum examinis, si me, quæ sit apis ipsius substantia, percontante, multiplices illarum esse substantias respondisses: atque ego iterum te rogarem, Nunquid ex hoc ais apum substantias esse diversas, quo apes sunt: an alio quopiam, veluti pulchritudine vel magnitudine aut alio quopiam hujusmodi? quid, inquam, sic interrogatus potissimum responderes? Men. Quod invicem eo quo apes sunt, minime differunt. So. Et si ego post hæc dicerem, Quid ergo id est, o Menon, quo minime differunt, sed idem cunctæ sunt? Haberesne quod mihi responderes? Men. Haberem profecto. So. Eadem itaque ratione virtutes, quanquam multæ atque variæ sunt, unam tamen speciem quandam in omnibus eandem habent, qua virtutes existunt, in quam respicere decet eum, qui responsurus sit interroganti cuiquam, quid virtus sit. Tenesne quid dicam? Men. Intelligere mihi videor: nondum tamen, ut vellem, quod quæsitum est, comprehendo. So. Utrum vero circa virtutem id solum, o Menon, tibi videtur, aliam quidem viri esse, aliam mulieris et aliam reliquorum: an etiam circa sanitatem magnitudinemque et robur eodem modo, ut alia quidem viri sanitas sit, mulieris alia? an potius eadem ubique sanitas species est, si quidem sanitas sit, seu viro sive mulieri sive alteri cuilibet adsit? Men. Eadem mihi sanitas et viri simul et mulieris esse videtur. So. Nonne igitur, si quidem robusta sit femina, eadem specie roboris robusta erit? cum vero eandem dico, quod nihil differt, qua robur, ad hoc quod robur sit intelligo, seu viro seu mulieri insit. num tibi differre aliqua ex parte videtur? Men. Minime. [73] So. Ergo et virtus ad id quod virtus sit, differretne, seu juvenem seu senem, sive virum ornet sive feminam? Men. Mihi quidem, o Socrates, hoc ceterorum simile nequaquam esse videtur. So. Nonne viri virtutem esse dixisti, recte rem publicam gubernare, mulieris vero domum? Men. Dixi equidem. So. An potest quisquam civitatem vel domum aut aliquid aliud recte disponere, nisi temperate sive prudenter ac juste disponat? Men. Non certe. So. Nonne si temperate justeque instituunt, temperantia justitiaque instituent? Men. Necesse est. So. Utrisque igitur tam vir quam mulier indiget, si boni futuri sint, temperantia scilicet atque justitia. Men. Apparet. So. Quid vero puer ac senex, dum intemperati et injusti essent, num boni existerent? Men. Nequaquam. So. At dum temperati et justi? Men. Ita. So. Universi igitur homines eadem ratione boni fiunt. nam eorundem participatione boni semper efficiuntur. Men. Videtur. So. Nunquam non eadem ratione boni fierent, ni eadem illorum virtus esset? Men. Nunquam. So. Quoniam ergo eadem virtus est omnium, conare in memoriam reducere, quidnam hoc esse Gorgias dixerit ac tu una consenseris. Men. Quidnam aliud quam præesse hominibus posse? si quid unum,

Digitized by Google

in omnibus exigis. So. Requiro equidem. attamen eademne pueri et servi virtus est, o Menon, prœesse posse domino? ac videtur tibi ullatenus servus esse, dum imperat? Men. Haud certe mihi videtur, o Socrates. So. Neque enim, o optime vir, id fas esset. Sed hoc rursus considera, utrum dominari posse aliquem putas, si juste prœesse adjiciamus: injuste vero nequaquam. Men. Puto equidem. justitia enim virtus est. So. Utrum virtus, o Menon, an virtus quædam? Men. Quo pacto id ais? So. Quemadmodum de quovis alio. ut ecce de rotunditate, dicerem eam figuram quandam esse, non absolute figuram. atque ob eam causam ita loquerer, quia aliæ quoque figuræ præter rotunditatem sunt. Men. Recte admodum inquis. Atqui et ipse non justitiam tantum, verum etiam virtutes alias esse fatecor. So. At quas dicis alias, explica obsecro. equidem [74] si me de aliis figuris interrogasses, utique respondissem: ergo et tu quæ sint aliæ virtutes, enarra. Men. Fortitudo, temperantia, sapientia, magnificentia, ceteræque permultæ. So. Rursus in idem recidimus. nam multas iterum virtutes alio quodam pacto invenimus, dum unam inquireremus: unam vero, quæ per omnes diffunditur, reperire nequimus. Men. Nondum queo, o Socrates, ut ipse quæris, unam in omnibus virtutem, quemadmodum in ceteris, assequi. So. Et jure quidem. at ego, si modo potuero, perducere nos conabor. Cognoscisne sic in cunctis contingere, si quis a te petat idem, quod modo dicebam, quid figura sit, ac tu quod sit rotunditas responderes: et ille tibi, quæ et ego, inferret, utrum rotunditas sit figura quædam, an non illi diceres, figuram quandam esse? Men. Prorsus. So. Nonne ob id, quod aliæ quoque figuræ sunt? Men. Ita. So. Quod si quales illæ sunt quæsrat, e vestigio respondebis? Men. Equidem. So. Quin etiam si de colore similiter quid sit quæsrat, et tu quod albedo sit dicas: ac ille sic deinde resumat, utrum albedo color sit an color aliquis: inferresne colorem quendam ob hoc esse, quod alii quoque colores reperiantur? Men. Maxime. So. Si iterum colores ceteros referre jusserit, narrabis utique et alios multos, qui nihilo minus quam albedo colores sint? Men. Narrabo. So. Si autem, ut ego nunc, sermonem ille percurrat, dicens, quod semper in multa declinaremus, quod ille nequaquam fieri permittat: sed postquam hæc multa uno nomine nuncupas, dicisque nihil ex iis esse quin figura sit, quamvis ista inter se contraria sint, est autem hoc, quod non minus rotundum contineat quam rectum, quam quidem figuram nominas, et nihilo magis inquis rotundum quam rectum figuram esse. an sic dicis? Men. Sic-plane. So. Numquid cum ita dicis, tunc nihil magis dicis rotundum esse rotundum quam rectum, neque rectum magis rectum quam rotundum? Men. Non certe, o Socrates. So. Veruntamen asseris rotundum nihil magis figuram esse quam rectum; neque rectum magis quam rotundum. Men. Vera narras. So. Quid ergo id est, cui nomen hoc figura competit, declarare omitere. Si itaque sic [75] percontanti cuipiam de figura sive colore diceres te nequaquam quid ipse velit cognoscere, forte ille vehementer admiraretur, ac diceret, An non intelligis, quod in iis omnibus idem quæro? Vel non haberes, o Menon, quod diceres, si quis quæsrat, quid in rotundo sit ac recto et ceteris quas figuras appellas, in omnibus idem? Explicare quæso id nitere, ut hoc pacto responsionem ad quæstionem de virtute aliquam mediteris. Men. Nequaquam: sed ipsemet, o Socrates, dissere. So. Visne tibi gratificer? Men. Omnino. So. Voles et ipse deinde virtutis quæstionem solvere? Men. Equidem. So. Expediendum jam est. decet enim. Men. Et maxime quidem. So. Age experiamur, quid figura sit, exprimere. et vide, utrum istud admittas. Esto itaque id nobis figura, quod solum ex omnibus semper colorem sequitur. Satisne tibi hoc est, an forte aliud exigis? Ego enim sat haberem, si mihi posthac virtutem

Digitized by Google

ipsam ostenderes. Men. At istud absurdum quiddam est, o Socrates. So. Quamobrem? Men. Quoniam figura secundum rationem tuam est, quæ semper colorem sequitur. Si ergo colorem quis nosse negaret, eodem modo quo circa figuram dubitans, quid illi potissimum responderes? So. Vera equidem. nam si qui rogat, sapientum aliquis et contentiosorum ac pugnantium sit, responderem utique me dixisse. quod si minus recte dixerim, ad te nunc attinet rationem sumere ac mea dicta refellere. Sin autem, quemadmodum ego nunc et tu, illi amici sint, velintque invicem disputare, decet profecto mitius et magis dialectico more respondere. Est autem dialecticus mos præstantior, non modo verum proferre, sed iis illud rationibus approbare, quibus et ille, qui rogat, plane se dinoscere fateatur. Hoc itaque more nunc tecum in disserendo uti conabor. Dic ergo, num finem appellas terminum quendam atque extremum? hæc enim omnia veluti idem profero: forte vero Prodicus iis tanquam differentibus uteretur. Tu autem num dicis terminari aliquid atque finiri? nihil quippe diversum iis verbis intelligo. Men. Dico sane: et quod ais, intelligere arbitror. So. Et planum aliquid vocas, et solidum aliud, cujusmodi [76] quæ in Geometria tractantur? Men. Voco equidem. So. Jam igitur, quid figuram esse dicam, ex iis percipies. in omni quippe figura id assero, figuram esse id, in quod solidum desinit: atque ut summatim dicam, figuram appello solidi terminum. Men. Colorem vero quid vocas, o Socrates? So. Procax nimium es, o Menon, homini jam seni onus imponis ac respondere tibi jubes: ipse autem memor quid Gorgias virtutem esse dixerit, definire minime vis. Men. At postquam id mihi declaraveris, o Socrates, tibi illud referam. So. Quanquam in imperando superbior es quam deceat, gratificabor tamen, ac breviter respondebo. Men. Gratificare, obsecro. So. Visne tibi secundum Gorgiam respondeam? sic maxime assentieris? Men. Quidni velim? So. Nonne defluxus quidam secundum Empedoclem a rebus manare dicuntur? Men. Et maxime quidem. So. Ac pori, id est meatus, in quos et per quos etiam defluxus hujusmodi manant? Men. Omnino. So. Ex defluxibus autem quidam poris quibusdam congruere, quidam minores aut majores esse. Men. Sic est. So. Nunquid et visum aliquid vocas? Men. Voco. So. Ex iis jam quid velim, accipe, ut ait Pindarus. Est enim color defluxus quidam rerum, visui congruens atque sensibilis. Men. Optime mihi, o Socrates, respondisse videris. So. Forte enim tibi, ut solitus es audire, nunc responsum est, et simul advertis, quod ex hac responsione facile etiam definire queas, quid sapor, quid vox, quid odor sit, ceteraque hujusmodi plurima. Men. Prorsus. So. Atqui tragica, o Menon, ista responsio est: ideoque tibi magis quam figuræ definitio placet. Men. Mihi vero. So. At mihi quidem, o Alexidemi fili, minime persuadeo: est enim illa melior: forte etiam nec tibi ista placebit, ut arbitror, nisi nunc, quemadmodum et heri, objicias, te, antequam perficiantur mysteria, discessurum, sed permaneas atque hic mysteriis initieris. Men. At diu morarer, [77] o Socrates, modo hujusmodi multa narrares. So. Nihil utique prætermittam, quin talia quædam et tui simul et mei gratia dicam. vereor tamen, ne minus possim hujusmodi plurima dicere. Ceterum jam ad promissa servanda nobis accingere, ac nobis communiter, quid virtus sit, exprime: nec, ut fecisti hactenus, deinceps unum in multa discerpas, quemadmodum dicaces aiunt, mordentes eos qui aliquid semper in multa dispertiunt: sed dimittens eam integram atque sanam dic tandem quid virtus sit. exempla vero loquendi a me accepisti. Men. Videtur mihi, o Socrates, virtus esse, ut poëta inquit, Gaudere honestis ac posse. Atque ego id ipsum virtutem voco, honesta quidem appetere eaque consequi posse. So. Num honesta cupientem bona cupere dicis? Men. Omnino. So. Nunquid ita loqueris, quasi sint nonnulli, qui bona

Digitized by Google

cupiant: quidam vero, qui mala? Men. Immo. So. Non omnes igitur, o optime vir, bona tibi appetere videntur? Men. Mihi nequaquam. So. Quidam itaque mala? Men. Ita. So. An ita dicis, quasi quæ mala sunt, bona esse opinentur: aut etiam noscentes quod mala sunt, nihilominus illa cupiant? Men. Utrunque alio. So. An censes aliquem cognoscentem mala, quod mala sunt, illa tamen appetere? Men. Arbitror. So. Quid autem exoptare hunc dicis? num hæc sibi adesse? Men. Adesse sane. nam quid aliud optet? So. Utrum qui mala desiderat, mala esse cognoscens, juvare illa cum adsunt, existimat? an unumquodque potius sua præsentia lædere? Men. Sunt certe, qui mala prodesse putent: nec desunt, qui obesse cognoscant. So. Videntur tibi mala nosse quod mala sunt, qui mala prodesse cuiquam opinantur? Men. Haud sane id mihi videtur. So. Ex his igitur patet, eos non appetere mala, qui illa minime norint, sed illa potius, quæ bona esse putaverint, cum tamen mala sint. quapropter ignorantes illa bonaque existimantes, perspicuum est bona potius exoptare. an non? Men. Sic isti se habere videntur. So. At vero qui mala quidem affectant, ut ipse inquis, eaque cuicunque accidunt, obesse censent: noscuntne quod illorum præsentia lædentur? Men. Necessario sequitur. So. Quid vero læsos homines, [78] nonne isti miseros esse, quatenus læsi sunt, opinantur? Men. Hoc quoque necessarium. So. Miseros autem nonne infelices? Men. Reor equidem. So. Estne aliquis, qui miser et infelix esse velit? Men. Non videtur. So. Nemo igitur mala vult, si quidem talis esse minime velit. nam quid aliud est esse miserum, quam cupere mala in eaque incurrere? Men. Vera loqui videris, o Socrates: nemo enim vult mala. So. Nonne paulo ante dixisti, virtutem esse, bona velle ac posse? Men. Dixi equidem. So. An non ex eo, quod dictum est, voluntas quidem ipsa omnibus adest, atque hac ratione nullus alio melior? Men. Apparet. So. Ergo siquidem est alius alio melior, nec id secundum ipsam voluntatem, sequitur, ut secundum ipsam potentiam sit melior. Men. Sequitur. So. Secundum igitur rationem tuam hoc est virtus, bonorum comparandorum potestas. Men. Sic prorsus se habere videtur, ut nunc accipis. So. Animadvertamus posthac, utrum id vere asseras necne. forte enim bene loqueris. Bona vendicare posse, virtutem esse dicis? Men. Istuc ipsum. So. Bona vero nonne hæc vocas, ceu sanitatem, divitias, aurumque et argentum plurimum possidere, honoribus præterea et magistratibus in re publica fungi? num alia quædam præter ista bona nuncupas? Men. Nequaquam, sed omnia bona hujusmodi esse dico. So. Eia, aurum atque argentum acquirere virtus est, ut inquit Menon, magni regis patrius hospes. Utrum vero addis huic lucro, o Menon, juste ac sancte lucrari? an nihil interest, sed etsi injuste quis ista possidet, nihilominus quæstum hujusmodi virtutem vocas? Men. Nequaquam, o Socrates, sed vitium. So. Omnino igitur, ut videtur, huic possessioni justitiæ vel temperantiæ vel sanctitatis aut alterius virtutis præsentia opus est: alioquin virtus minime erit, quamvis bona sibi vendicet. Men. Qui enim sine iis virtus exsistat? So. At non comparare aurum et argentum, quando minime justum sit, aut sibi aut alteri, neque etiam virtus est hæc egestas? Men. Videtur. So. Nihilo magis igitur horum bonorum copia virtus erit quam inopia. Verum, ut videtur, quodcunque cum justitia fit, virtus est: quod autem absque illa ejusque similibus, [79] pravitas. Men. Videtur mihi necessarium esse quod dicis. So. Nonne unumquodque horum paulo ante virtutis partem esse diximus, justitiam et temperantiam ceteraque hujusmodi? Men. Diximus plane. So. Siccine, o Menon, me deludis? Men. Quorsum hæc, o Socrates? So. Quoniam cum te orassem, ne amplius virtutem discerperes, et exempla respondendi dedissem, id tu neglexisti dicens

Digitized by Google

virtutem esse, bona cum justitia comparare posse: justitiam vero virtutis partem confessus es. Men. Sic est. So. Nonne efficitur ex iis, quæ jam concessisti, virtutem esse, agere cum parte virtutis, quicquid agitur? Justitiam enim et hujusmodi singula virtutis particulas confiteris. Men. Quid tum? So. Quia cum rogassem, ut totam ipsam virtutem ostenderes, quid ipsa sit, nullo modo explicuisti: omnem vero actionem, quæcunque cum parte virtutis fit, virtutem esse dixisti: quasi quid tota virtus sit, summatim prædixeris, atque ipse jam percepturus sim, si tu eam in particulas dividas. Eadem igitur quæstio rursus, o Menon, tibi suboritur, quid virtus sit: si quidem omnis actio cum virtutis parte sit virtus. Id namque tunc dicitur, cum omnis actio cum justitia virtus esse definitur. an non eadem iterum quæstione opus esse vides? num putas, quempiam virtutis partem aliquam nosse, qui totius naturam minime noverit? Men. Non videtur. So. Si enim memineris quæ in superioribus de figura tibi respondi, rejecimus utique responsionem illam, quæ per ea fit, quibus ulterieri probatione opus est, necdum rata habentur. Men. Et merito quidem rejecimus. So. Neque tu igitur, o vir optime, cum quæritur, quid ipsa universalis ac tota sit virtus, secundum partes ejus respondena, eam quærentibus patefacies, neque aliud quicquam, dum eodem modo respondeas: sed rursus eadem interrogatione opus erit, quidnam virtus sit, qua supposita ista dicis. Num aliquid tibi dicere videor? Men. Mihi quidem probe loqui videris. So. Responde itaque iterum a principio, quid esse virtutem et tu et amicus ille tuus asseritis? Men. Audiveram equidem, o Socrates, antequam te alloquerer, officium tuum [80] nihil aliud esse quam dubitare et aliis scrupulos dubitationum injicere. et nunc quidem, ut mihi videris, me præstigiis et veneficiis incantationibusque perturbas, adeo ut ambiguitatis sim plenus. Ac mihi videris omnino, si tamen te jocando mordere aliquantulum decet, quam similimus esse tam forma tam ceteris omnibus, latissimo illi pisci marino, qui stupor dicitur. ille siquidem hominem *sibi* propinquantem atque tangentem stupidum reddit. Et tu quoque nunc me stupefacis. re vera enim et animum simul et os stupidum habeo, hæsitoque, nec quid tibi respondeam, invenio, quanquam millies jam de virtute permulta et adversus quam plurimos disputavi, et, ut mihi visus sum, quam optime. at in præsentia nec etiam quid ipsa sit virtus, proferre ullo pacto valeo. Itaque caute tibi consuluisse te censeo, quod nunquam alio peregrinaris. nam si advena in aliena urbe hæc ageres, utpote præstigiator quidam atque venefica supplicio forsitan afficereris. So. Callidus es, o Menon, ac ferme nunc me decepisti. Men. Quamobrem, o Socrates? So. Adverti jam, quam ob causam imitatione quadam me depinxisti. Quanam alia de causa, nisi ut ipse quoque te contra depingam. viri enim honesto habitu præditi cum effinguntur, delectari solent: illud quippe conducit. honestorum enim honestæ sunt et imagines. et ego personam tuam minime effingam. Equidem si piscis ille stupidus ipse alios reddit stupidos, et sum persimilis: secus autem minime. neque ipse secundus ceteros titubare compello: sed maxime omnium ego dubitans, dubitare quoque alios facio. Etenim in præsentia quid virtus sit, haud certe novi. tu tamen forte, priusquam mihi occurreres, noveras: nunc vero ignoranti mihi assimilis evasisti. verumtamen una tecum discutere hoc institui, quidve sit virtus investigare. Men. At quo tramite id investigabis, o Socrates, quod quidem omnino quid sit ignoras? quale enim tibi proponens, id quod ignoras inquires? aut etiamsi in illud incidas, quonam signo id quod ignoraveras, esse illud agnosces? So. Intelligo quid velis, o Menon. At tu animadvertisne, quam litigiosam argumentationem in medium adduxisti? quod videlicet homo, neque quod noscit, neque quod ignorat, inquirit. Nam si nos-

Digitized by Google

cit, nulla inquisitione opus est. Sed neque quod nescit, investigat: non enim novit quid quaerat. [81] Men. Nonne recte induci, o Socrates, hanc rationem existimas? So. Nequaquam. Men. Potes dicere, cur tibi non placeat? So. Possum. id enim a viris ac mulieribus divinarum rerum peritis quandoque percepi. Men. Quis istorum sermo? So. Verus, ut mihi videtur, atque praeclarus. Men. Quis, inquam, iste? et quinam testantur? So. Qui hoc asserunt, religiosi viri sunt, ac religiosae etiam mulieres, quibuscunque cura exstitit, ut eorum quae profitentur rationem reddere possent. Tradit praeterea Pindarus, et quicunque ex poëtis divini sunt, talia quaedam: quae adverte, quaeso, num vera tibi videantur. Ferunt enim hominis animum immortalem esse: eamque tum decedere, quod quidem mori vocant: tum iterum redire: interire vero nunquam. quam ob causam vitam quam sanctissime agere monent. Quicunque enim poenas antiquae miseriae Proserpinae jam dederunt, iis illa ad superum volem nono anno rursus animam reddit, quocunque in reges, gloria, celeritate sapientiaque praestantes evadant. reliquum autem tempus sancti heroës inter homines vocantur. Cum ergo animus immortalis sit, ac saepius in hanc vitam redierit, videritque persepe et quae in hac et quae in alia vita sunt, omniaque perceperit: nihil utique restat, quin ipse didicerit. quam ob rem nihil mirum est, si eorum, quae ad virtutem et ad alia pertineant, reminisci possit, quippe cum olim illa cognoverit. Cum enim tota natura cognata sit ac sibimet consona, et animus cuncta didicerit, nihil prohibet hominem unius cujusdam reminiscentem, quam disciplinam vocant, reliqua omnia recuperare, si quis adeo fortis sit, ut quaerendo minime fatigetur. quaerere igitur ac discere reminiscentia est. Quapropter litigiosae illi argumentationi nequaquam credere decet. pigros enim nos quodammodo redderet. ea quoque mollioribus hominibus minifice placet. Ratio autem nostra solertes rerum investigatores efficit: qua ipse utpote vera fretus, una tecum quid sit virtus perscrutari desidero. Men. Immo, o Socrates. sed num absolute id asseris, nos minime discere: quam vero disciplinam vocamus, reminiscentiam esse? potesne hoc ita esse me docere? So. In superioribus quoque, o Menon, te callidum esse dixi, et nunc rogas utrum docere te possim, cum ante nullam esse disciplinam, [82] sed reminiscentiam, asseruerim: ut e vestigio mihi ipsi repugnare videar. Men. Per Jovem, o Socrates, non hoc animo, sed potius consuetudine quadam ita locutus sum. quod si qua ratione illud mihi ostendere potes, ostende obsecro. So. Haudquaquam facile est: tui tamen gratia explicare conabor. Verum hic ad me unum aliquem istorum, qui te sequuntur, accerse, ut in eo demonstrationem hanc experiamur. Men. Libenter. heus tu, huc advenia. So. Graecusne est, et Graece loquitur? Men. Et Graecus est, et in domo mea genitus atque educatus. So. Attende igitur, num illi memorem an dedecam. Men. Attendam certe. So. Dic age, o puer, cognoscisne tale hoc spatium quadrangulum esse? Pu. Equidem. So. Habetne quadrangulus has omnes quatuor lineas aequales? Pu. Habet. So. An non et istas quae per medium protrahuntur, aequales habet? Pu. Et istas. So. Nonne et major et minor esse potest? Pu. Potest. So. Si ergo sit hoc latus duorum pedum, et istud quoque duorum, quot pedum totum ipsum erit? Sic autem considera. Si latus hoc duorum esset pedum, illud vero unius, essetne plus quam semel duorum pedum hoc spatium? Pu. Semel. So. Quoniam vero alterum quoque latus duorum pedum est, nonne aliud quam bis duorum pedum fit? Pu. Istuc ipsum. So. Duorum ergo bis pedum efficitur. Pu. Ita. So. Quotnam sunt bis duo pedes? computa. Pu. Quatuor. So. An non fieri posset spatium aliud ad hoc duplum, habens similiter omnes aequales lineas, quemadmodum istud habere vides? Pu. Prorsus.

Digitized by Google

So. Quot pedum erit? Pu. Octo. So. Age, jam conare mihi dicere, qualis est quælibet illius linea: hujus siquidem duorum pedum. linea vero illius dupli, qualis? Pu. Patet, o Socrates, esse duplam. So. Cernis, o Menon, me nihil ex his docere, sed singula potius interrogare? et nunc iste nosse se putat, qualis ea sit, a qua spatium octo pedum conficitur. An non tibi videtur? Men. Mihi quidem. So. Novit igitur? Men. Minime. So. Putat autem a dupla? Men. Ita. So. Aspice deinceps hunc per ordinem, ut oportet, reminiscentem. Tu autem dic, amabo, a dupla linea duplum [83] spatium nasci fateris? tale profecto dico, quod non hac longum, illa breve; sed æquale undique, quemadmodum istud: duplum vero istius, octo pedum. sed inspice, an tibi adhuc a dupla fieri videatur. Pu. Mihi plane. So. Nonne hujus dupla hæc fit, si aliam æqualem huic adjicianus? Pu. Prorsus. So. Ab hac fore dicis octo pedum spatium, siquidem quatuor huic æquales efficiantur? Pu. Aio. So. Describamus iterum igitur ab hac æquales quatuor: aliudne, quam quod octo pedum vocas, suborietur? Pu. Hoc ipsum. So. Nonne in ipso sunt hæc quatuor, quorum quodlibet isti quadrupedi æquale est? Pu. Certe. So. Quantum itaque fit? an non quater tantum? Pu. Quidni? So. Num duplum est id, quod quater tantum? Pu. Non per Jovem. So. At quotuplum? Pu. Quadruplum. So. A dupla ergo, o puer, non duplum, sed quadruplum spatium procreatur. Pu. Vera loqueris. So. Quater enim quatuor sex et decem complent. nonne? Pu. Sic est. So. Octo pedum autem spatium a qua linea? nonne ab hac quadruplum? Pu. Fateor. So. Quartum vero istud ab hac dimidia? Pu. Ita. So. Age igitur, octo pedum nonne hujus duplum est, illius vero dimidium? Pu. Immo. So. An non erit ergo a majori linea quam hæc tanta, et a minori quam illa tanta? Pu. Mihi quidem videtur. So. Sic utique recte loqueris. quod enim tibi videtur, id responde: ac mihi dicas, hæcne duorum pedum, illa quatuor? Pu. Ita. So. Oportet itaque octo pedum spatii lineam majorem esse linea spatii bipedalis, minorem vero quadrupedalis linea. Pu. Oportet. So. Annitere, ut nobis qualis sit dicas. Pu. Tripedalis. So. Nonne si tripedalis est, dimidium hujus assumemus, eritque tripedalis? duo namque quidem hi, is autem unus: et hinc eodem modo, duo quidem isti, iste autem unus: fitque hoc quod ais spatium. Pu. Ita. So. Nonne si hæc trium est, et illa trium, totum utique spatium ter trium pedum conficitur? Pu. Apparet. So. Ter vero tres quot pedes sunt? Pu. Novem. So. Duplum autem quot pedum esse supra oportuit? Pu. Octo. So. Non ergo a tripedali spatium octo pedum exoritur. Pu. Non profecto. So. A quali igitur conare nobis liquido exprimere: [84] quod nisi numerare velis, saltem a quali demonstra. Pu. Per Jovem, o Socrates, haud novi. So. Advertis iterum, o Menon, quantum hic ad reminiscendum proficiat? Nam ab ipso principio disputandi nequaquam noverat, quæ sit octo pedum spatii linea, quemadmodum nec in præsentia noscit: verum tunc se nosse illam opinabatur, et audacter nimium, quasi sciens, respondebat, nec deesse sibi quicquam putabat: nunc autem egere se jam existimat, et, ut ignorat, sic se ignorare fatetur. Men. Vera dicis. So. Nonne melius nunc ad id, quod ignorat, affectus est? Men. Hoc quoque arbitror. So. Cum ergo ambigere ipsum compulerim et piscis illius more stupidum fecerim, num aliquid obfuit? Men. Non, ut mihi videtur. So. Operæ pretium itaque fecimus ad veritatem inveniendam. Nunc enim, utpote ignorantiæ suæ conscius, libenter et sponte perquireret: at tunc sine controversia et sæpe, et adversus quam plurimos loqui se recte arbitrabatur, dum spatium duplum duplam longitudine lineam habere oportere profiteretur. Men. Videtur. So. Num censes, ipsum studuisse unquam id vel in-

Digitized by Google

venire vel discere, quod cum ignoraret, nosse rebatur, priusquam in hanc ambiguitatem incideret, qua et suam ignorantiam re deprehendit et scientiam appetere cœpit? Men. Nequaquam, o Socrates. So. Profuit igitur sibi stupor ejusmodi. Men. Videtur. So. Considera itaque ex hac ambiguitate, quod iste una mecum investigans, nihil me docente, sed potius interrogante, reperiet. Observa, obsecro, diligenter, num unquam docere hunc ac demonstrare illi quicquam videar potius, quam ejusmodi opiniones singulas sciscitari. Tu enim dic, hocne spatium quadrupedale est? intellextin'? Pu. Equidem. So. Num et hac aliud æquale isti apponere licet? Pu. Licet. So. Et tertium istud utrique istorum æquale? Pu. Et istud. So. Nonne hoc, quod in angulo est, complere licet? Pu. Prorsus. So. Hæc inde æqualia quatuor nascerentur? Pu. Ita. So. Totum igitur hoc quotuplum ad istud efficitur? Pu. Quadruplum. So. Oportebat autem duplum nobis contingere. num recordaris? Pu. Maxime. So. Nonne hæc linea ab angulo in angulum aliquem porrecta, in [85] duo utrunque spatium dividit? Pu. Ita. So. Ergo quatuor hæ lineæ æquales fiunt, id spatium comprehendentes? Pu. Fiunt. So. Considera itaque quale est id spatium. Pu. Haud intelligo. So. Nonne cum hæc quatuor sint, dimidium cujusque linea quæque secat intrinsecus? Pu. Secat. So. Quot igitur tanta in hoc sunt? Pu. Quatuor. So. Quot autem in isto? Pu. Duo. So. At quatuor ad duo quotupla sunt? Pu. Dupla. So. Hoc itaque quot pedum fit? Pu. Octo. So. A qua potissimum linea? Pu. Ab hac. So. Ab eane, quæ quatuor pedum est, ab angulo protracta in angulum? Pu. Ita. So. Hanc vero diametrum sophistæ nuncupant: et si huic nomen est diameter, a diametro, ut ipse ais, o puer, duplum spatium nasceretur. Pu. Prorsus, o Socrates. So. Quid tibi, Menon, videtur? responditne iste unquam ex alterius quam sui ipsius opinione? Men. Nunquam: sed ex propria semper. So. Veruntamen haud novit, ut paulo ante confessi sumus. Men. Vera loqueris. So. Inerant igitur huic opiniones hujusmodi. Men. Inerant. So. Huic igitur ignoranti opiniones de iis, quæ ignorat, veræ insunt. Men. Apparet. So. Nunc igitur isti opiniones tales quasi per somnium suscitatæ sunt. quod si quis interroget hunc talia quædam sæpe et multa, certo scias hunc ista, si quis alius novit, perfecte sciturum. Men. Videtur. So. Nonne ergo nemine prorsus docente, sed interrogante potius ista, sciet, ex se ipso scientiam ad se revocans? Men. Sic est. So. Resumere vero scientiam in se ipso, an non reminisci dicitur? Men. Prorsus. So. At vero scientiam, quam iste nunc habet, aut accepit aliquando, aut semper habuit. Men. Verum. So. Et si habuit semper, sciens semper exstitit: sin quandoque percepit, hac in vita nequaquam. nemo enim hunc geometrica docuit, cum in ceteris omnibus, quæcunque vel ad geometriam vel ad alias disciplinas pertinent, hæc eadem sit facturus. Estne aliquis, a quo iste cuncta didicerit? verisimile est, te illum cognoscere, præsertim cum penes te et natus et nutritus fuerit. Men. Novi equidem hunc neminem docuisse. So. Hasne opiniones habet? Men. Necessarium, o Socrates, id apparet. So. Sin autem, utpote in præsenti vita minime adeptus, haud novit, [86] patet, eum in alio quodam tempore habuisse atque didicisse. Men. Apparet. So. An non tempus jam fuit, cum nondum homo hic erat? Men. Istuc ipsum. So. Ergo si quando tempus sit, in quo homo non sit, inerunt tamen ipsi opiniones veræ, quæ sciscitando expergefactæ scientiæ fiunt: certe per omne tempus hæc hominis animus sciet. nam omne per tempus aut est aut non est homo. Men. Videtur. So. Nonne igitur si semper rerum omnium veritas in animo est, immortalis exstitit? Quamobrem audacter et magna cum spe oportet, quæ in præsentia minime scimus, hoc est minime recordamur, ut reminiscamur inquirere.

Digitized by Google

Men. Bene mihi, nescio quo modo, o Socrates, loqui videris. So. Mihi quoque, o Menon. atque cetera non admodum disputando asseverarem: quod autem dum putamus quæ quis ignorat esse quærenda, potiores efficacioresque ac minus pigri sumus, quam si ignota nec investiganda esse nec invenire posse arbitraremur, de hoc, inquam, si quo modo possem, et verbis et opere decertarem. Men. Hoc quoque recte dicere videris, o Socrates. So. Visne igitur, postquam confessi sumus, ignota perscrutari licere, quid virtus sit, communiter investigemus? Men. Quam maxime. gratius tamen mihi esset audire prius, quod in principio disputationis interrogavi, utrum virtuti incumbendum sit, quasi per doctrinam percipi possit, vel natura potius insit, vel alio quopiam pacto hominibus adsit. So. Atqui si tibi, o Menon, quemadmodum mihi ipsi, imperarem, haud prius utrum doceatur necne virtus perscrutaremur, quam quid ipsa sit indagassemus. Postquam vero nec tute tibi dominari contendis, ut liber vivas, ac me ut tuo arbitratu respondeam obsecras, jam utique respondebo. Videtur igitur considerandum esse, quale sit, quod nondum quid est cognovimus. Attamen paulisper a proposito tuo declina, idque ex suppositione considerare permitte, utrum doctrina vel alio pacto virtus possideatur. Ex suppositione autem sic dico, quemadmodum geometræ sæpe discutiunt, postquam illos quispiam interrogavit: velati an possit in hunc circulum [87] trigonus hic extendi: ubi quis dixerit, nondum se nosse an hoc hujusmodi sit, verum suppositionem aliquam talem conducere. Si enim est hoc spatium tale, ut ad positam ejus lineam protendens ab eo deficiat, quantum ipsum protensum est, aliud quiddam eventurum puto: et aliud item, si talia quædam pati nequeat. Per suppositionem ergo disputare decrevi de iis, quæ contingunt circa productionem illius in circulum, an fieri possit necne. Sic et nos de virtute, quoniam nec quid nec quale sit novimus, supponentes hoc, utrum doceri possit, in hunc modum quæremus: Si virtus est aliquid eorum, quæ circa animum versantur, aut doceri potest aut non. Principio enim si aliud est quam scientia, num doceri poterit? vel potius, ut modo diximus, memoria revocari? nihil referat apud nos, utro nomine utamur: an doceri poterit? vel id omnibus manifestum, quod præter scientiam nihil homo docetur? Men. Mihi sane videtur. So. Sin autem scientia quædam virtus est, doctrina percipitur. Men. Quidni? So. Hoc ergo quam primum expeditur, nam si talis sit, docetur: si non talis, nequaquam. Men. Prorsus. So. Posthac investigandum censeo, utrum virtus scientia aut aliud quiddam sit. Men. Mihi quoque idem quærendum esse videtur. So. An virtutem aliud quam bonum esse dicimus? et hæc nobis positio stabilis permanet, virtutem scilicet esse bonum. Men. Valde. So. Si quidem est aliquod seorsum a scientia bonum, nonne virtus forsitan scientia nulla erit? sin autem nullum bonum est, quin scientia comprehendatur, scientiam esse virtutem suspicantes, recte utique suspicabimur? Men. Sunt hæc vera. So. Quin etiam virtute boni sumus? Men. Sumus. So. Et si boni, utiles? omnia quippe bona utilia. Men. Sic est. So. Ergo et virtus utile quiddam. Men. Ex iis, quæ confessi sumus, necessario sequitur. So. Consideremus rursus in singulis, qualia sint quæ nobis prosunt. Sanitasne et robur formaque atque divitiæ ceteraque hujusmodi conferre dicuntur? Men. Ita. So. Eadem hæc aliquando nocere fatemur. [88] an tu aliter sentis? Men. Sic certe sentio. So. Vide itaque, quo ducente hæc obsint, quove prosint. nonne cum recte usus præest, juvant: contra vero nocent? Men. Prorsus. So. Præterea quæ circa animum versantur consideremus. Temperantiam aliquid vocas et justitiam et fortitudinem docilitatemque et memoriam et magnificentiam et hujusmodi reliqua? Men. Equidem. So. Adverte quæso, quæcunque ex iis scientiæ nequaquam esse

Digitized by Google

videntur, sed aliud quiddam præter scientiam, nonne interdum juvant, aliquando lædunt, veluti fortitudo remota prudentia? num fortitudo aliud est quam audacia quædam: et quando cum ratione vir audet, juvatur: cum absque ratione, læditur? Men. Sic est. So. Temperantia quoque et docilitas eodem modo cum ratione quidem percepta atque condita emolumento sunt: contra autem detrimento? Men. Quam maxime. So. Ut ergo summatim dicam, omnes animæ impetus atque omnes declinationes ducente prudentia ad beatitudinem tendunt, imprudentia vero ad contrarium. Men. Videtur. So. Quapropter si virtus aliquid est eorum, quæ consistunt in animo, necessarioque utilis est, prudentiam hanc esse oportet: quippe cum omnia, quæ sunt circa animum, ipsa quidem secundum se ipsa nec conferentia neque noxia sint, adjuncta vero prudentia vel imprudentia statim aut utilia aut noxia fiant. hac itaque ratione virtutem, cum maxime omnium conferat, prudentiam quandam esse concluditur. Men. Mihi sane videtur. So. Quin etiam in aliis, quæ modo dicebamus, opulentiam atque similia, tum utilia esse tum noxia: nonne quemadmodum prudentia ceteris animi viribus et officiis præsidens utilia reddit, imprudentia vero contraria, sic et illis animus recte utens atque ducens bona efficit, non recte autem mala? Men. Prorsus. So. Recte autem ducit animus prudens: imprudens aberrat. Men. Sunt hæc vera. So. Quamobrem omnino asserendum est, cetera quidem humana omnia referri ad animum: et quæ in animo sunt, ad prudentiam. si modo [89] bona futura sunt: eaque ratione prudentia ipsum conferens erit. virtutem vero conferre prædiximus. Men. Omnino. So. Ergo prudentiam virtutem, aut universam aut partem aliquam confitemur. Men. Recte mihi hæc omnia dici videntur. So. Nonne si hæc ita se habent, haud natura boni homines erunt? Men. Haud mihi videntur. So. Id præterea contingeret: si natura boni fierent, adessent profecto nobis, qui filios nostros natura bonos dignoscerent: eosque nos illorum indiciis seligentes in arce quadam conservaremus, illos multo magis quam aurum obsignantes, ne quis corrumperet, sed postquam adoleverint, utiles essent in re publica cives. Men. Consentaneum hoc, o Socrates. So. Cum vero natura boni minime sint, num forsitan disciplina? Men. Necessarium id apparet: ac secundum positionem nostram sequitur, ut si scientia virtus est, doctrina percipiatur. So. Forte per Jovem. vereor tamen, ne id temere confessi fuerimus. Men. In superioribus plane id recte dici visum est. So. At non in præterito solum, sed in præsenti etiam et futuro tempore tale videri debet, si quid in eo sinceri futurum est. Men. Quidnam impedimenti est? ad quid potissimum respiciens suspicaris ac diffidis, ne forte virtus scientia minime sit? So. Dicam tibi, o Menon. virtutem quidem doceri posse, si quidem scientia est, nequaquam rejicio, quasi minus recte sit dictum: quod vero scientia sit, vide an jure diffidam. Age, id mihi responde: Si quid doceri potest, non de virtute solum, sed de quolibet alio loquor, an non illius præceptores discipulosque esse aliquos necesse est? Men. Mihi quidem videtur. So. At contra, cujus nec doctores exstant nec auditores, si id doceri non posse conjiciamus, nonne probabiliter conjectabimus? Men. Sic est. sed num virtutis præceptores nullos esse censes? So. Sæpenumero, si qui hujus magistri essent, omni studio investigavi, nec unquam inveni, etsi una cum ceteris pluribus, atque iis, ut videbatur, hujus facultatis peritis id quæsivi. et nunc quidem opportune, o Menon, iste juxta nos sedit, quem inquisitionis hujus participem faciamus. Ac merito ad id socium adhibebimus. Hic enim [90] primum divite et sapiente patre Anthemione natus est, qui profecto non casu quodam aut alicujus largitione opulentus evasit, quemad-

Digitized by Google

modum nuper Thebanus Ismenias Polycratis pecunias nactus, sed prudentia propria atque vigilantia locupletes est. praeterea nec superbus civis neque insolens aut difficilis, verum modestus, et frugi facilisque vir exstitit. deinde hunc bene educavit eruditvitque, cujus rei testis est omnis Athenaeensis populus, qui eum ad summos eligit magistratus. par est una cum hujusmodi viris, an sint aliqui virtutis magistri, et qui sint, passim investigare. Ergo age, o Anyte, quaere mecum unaque cum hospite tuo Menone, quinam hujus rei praeceptores sint; et in hunc modum considera: Si vellemus Menonem hunc optimum fieri medicum, ad quos potissimum doctores perduceremus? nonne ad medicos? An. Prorsus. So. Et si cerdonem optimum evadere cuperemus, an non ad cerdones? An. Ita. So. Et in aliis eodem modo? An. Omnino. So. Sic iterum de medicis mihi dicas: Cum diximus, mittendum hunc esse ad medicos, si medicum fore velimus, an non id sentiebamus, ut isti debeat apud eos dentaxat, qui artem illam profitentur ac mercedem pro ea palam ab auditoribus capiunt? nonne hujus ratio habenda est, si modo illum prudenter locaturi simus? An. Sic est. So. Et de tibiarum sono ac ceteris omnibus similiter judicandum. neque enim mediocris inscitia esset, dum studeremus quempiam tibicinem fieri, commendare iis nolle, qui facultatem hanc pollicentur mercedemque repetunt, sed hoc onus illis imponere, qui nec doctrinam sibi vendicant, nec est apud illos ullus in hac arte discipulus, qua instrui hunc, quem mittimus, decidesamus. an non procul a ratione id esset? An. Per Jovem, non modo absque ratione, verum etiam dementia quadam. So. Probe loqueris. Nunc itaque licet tibi [91] communiter una mecum de hoc hospite tuo Menone deliberare. hic enim, o Anyte, jampridem mihi dixit, se hanc sapientiam virtutemque appetere, qua homines civitates et domos recte gubernant, filiosque suos quam optime educant, ac cives et hospites tam admittere tum dimittere sciunt, ut bono viro dignum est. Meditare igitur, ad quem potissimum hujus comparandae virtutis gratia hunc mittere deceat. An ex his, quae modo diximus, patet, committendum his esse, qui se doctores talis pollicentur, seque palam cuique Graecorum discere volenti semper exponunt, hujus disciplinae praeceptum pretium capientes? An. At quos dicis, o Socrates? So. Nosti quodammodo et ipse hos esse, qui publice sophistae vocantur. An. Hercle, bene vestis quaeso, o Socrates! Nullus cognatorum vel familiarium vel amicorum, aut civium aut hospitum, in tantam insaniam incidat, ut istis adhaerens inde pestiatur: eorum quippe consuetudo certa illorum, qui eos sectantur, pestis est. So. Cur ita dicis, Anyte? num ii qui soli ex omni hominum genere, cum prodesse hominibus profitentur, tanto ceteris deteriores sunt, ut non modo non juvent, quemadmodum alii, quod ipsis traditum sit: verum contra corrumpant, atque hujus gratia vulgo mercedem exigant? Equidem non video, quae ratione fidem tibi adhibeam. novi enim virum unum Protagoram, qui plures ob hanc sapientiam pecunias cumulavit, quam aut Phidias ille, cujus tam perspicua pulchraque opera exstant, aut decem alii sculptores locupletes fuerint. An. Atqui absurdum esset, si qui calceos veteres consuunt vestesque resarciunt, latere non possent dies triginta, deteriores reddentes quam acceperint. So. Ceterum si talia facerent, brevi fame perirent. Protagoras autem universam Graeciam annos plusquam quadraginta decepit, dum familiares perverteret deteriorcsque redderet quam acceperat. Nam nec, illum vita decessisse natum annos prope septuaginta, quadraginta vero in hac arte versatum, ac per omne illud tempus usque in hanc diem claras exstitit. neque Protagoras tantum, sed alii quoque permulti, partim [92] priores ille, partim etiam nunc vitam agentes. Utrum secundum orationem tuam dicemus, eos sciencios decipere atque ludere juvenes, an se ipsos quoque latere? et insanos hoc pacto illos esse,

Digitized by Google

qui a nonnullis omnium sapientissimi judicentur? An. Longe absit, ut insanire dicantur, o Socrates: sed multo magis juvenes, qui illis argentum tradunt, atque his etiam deteriores sunt, si qui illos, quorum ad se cura pertinet, iis committant, omnium postremo insanissimum sunt res publicæ, quæ illos excipiunt neque expellunt, sive quis advena seu civis hoc opus aggrediatur. So. Num aliquis te sophistarum, o Anyte, injuria unquam affecit? vel quid illis ita succenses? An. Nulla mihi unquam cum aliquo illorum consuetudo fuit: neque meorum aliquem illis uti permitterem. So. Nunquam ergo illorum mores expertus es. An. Neque sim. Quid tum? So. Quonam ratione dignosces, bonumne an malum sit, cujus nullum fecisti periculum? An. Liquido istos novi, quales sunt, sive expertus sim sive non. So. Vates forsitan es, o Anyte. hoc enim te alia ratione novisse, ex iis, quæ modo dixisti, admodum admirarer. Verum non eos quærimus, ad quos profectus Menon inficiatur. hi namque, si vis, sophistæ sint. sed opem patrio feras amico: ostende illi, cui natura adhærens eorum, qui tam amplam urbem colunt, eam quam narravimus virtutem adipiscetur. An. Cur ipse non indicas? So. At quos ego magistros existimaveram, in medium jam produxi; verum secundum rationem tuam nihil omnino profecl. ac forte vera loqueris. Itaque tu quoque jam partem tuam hujus muneris exple: ostende, ad quem Atheniensium proficiscatur. profer cujus vis nomen. An. Quid opus est hominis unius nomen audire? quemcunque Atheniensium nactus fuerit ex bonis clarisque hominibus, melior illius familiaritate, si modo paruerit, evadet, quam consuetudine sophistarum. So. Utrum vero ii præclari bonique viri ex se ipsis, nullo instituente, tales effecti sunt, eaque tamen docere alios possunt, licet ipsi a nullo [93] didicerint? An. A senioribus viris præclaris atque bonis perceplsse arbitror. an non tibi videntur in hac civitate multi insignes et optimi homines exstitisse? So. Mihi quidem, o Anyte, esse hic viros civilis administrationis peritos, nec pauciores olim fuisse, videtur. Sed num præceptores idonei virtutis suæ fuere? hoc enim est de quo nunc disseritur: non utrum sint aut fuerint hic viri boni; sed utrum virtus doceri possit: et ob hoc, utrum viri boni, sive superiores sive præsentes, virtutem eam, qua præditi sunt, tradere alteri norint: an forte nec tradi alteri nec recipi virtus possit. Id, inquam, est, quod dudum ego ac Menon inquisimus. sic autem ex ipsa tua oratione consldera. Num Themistoclem virum bonum fuisse fateris? An. Maxime omnium. So. Et præceptorem bonum virtutis suæ, si quis alius virtutis magister sit, Themistoclem exstitisse? An. Reor equidem, dummodo voluisset. So. Num censes ipsum noluisse alios quoque bonos fieri, filium suum præsertim? an putas invidisse filio, et de industria virtutem propriam minime communicasse? Audistin', Themistoclem filium suum Cleophantum in equestri facultate strenuum effecisse, adeo ut equis rectus insisteret, rectusque ex equo jacularetur, cetcraque peramula stupenda perficeret, in quibus ille diligenter erudiri curavit, sapientemque in singulis, quæ præceptores eruditi callebant, effecit? hæc a majoribus accepisti? An. Audivi. So. Nemo igitur naturam filii utpote malam culpaverit. An. Nullus forte. So. Quid vero ad hoc? audistine ab aliquo seniore aut juniore Cleophantum, Themistoclis filium, bonum ac sapientem in quibus pater fuerat, exstitisse? An. Nunquam. So. Num Themistoclem arbitramur alienis artibus imbuere filium voluisse, paterna vero virtute nihilo vicinis suis præstantiorem facere curavisse, si quidem doceri virtus ullo pacto posset? An. Forte, per Jovem, minime. So. Talis igitur hic virtutis magister fuit, quem ipse unum ex antiquis optimum asseris. [94] Consideremus jam et alium, Aristidem Lysimachi filium. nonne hunc quoque bonum fuisse censes? An. Et maxime quidem. So. An non et iste filium suum Lysimachum

Digitized by Google

in omnibus, quæ præceptores ulli profiterentur, optime Athoniensium omnium eruditum evadere voluit? nunc quovis alio meliorem virum eum fecit? hunc etenim allocutus es, et qualis sit optime nosti. Prætensa, si vis, Periclem, virum magnopere sapientem, considera: duos, ut te minime præterit, filios educavit, Paralum et Xanthippum. An. Novi equidem. So. Hos, ut ipse nosti, tum in equestri peritia, tum in musica, tum etiam in certaminibus præ ceteris Atheniensibus instruxit: ac denique in nullo eorum, quæ in arte percipiuntur, inferiores aliis esse voluit. Bonos autem viros an non fore cupiebat? voluisse quidem existimo: sed id doceri minime potuisse. Ne autem putes paucos ignobilissimosque Atheniensium id assequi non posse, adverte iterum quod Thucydides duos filios educavit Melesiam atque Stephanum, quos et cetera diligenter edocuit, et palæstram inprimis, ut in ea Athenienses reliquos superarint. unum quidem Xanthiæ, Euodoro alterum commendavit: hi vero in palæstræ ludo ceteris omnibus illis temporibus præcellere putabantur. nonne meministi? An. Audivi equidem. So. Neque vero iste, cum quæ sumptu maximo discebantur, filios callere voluerit, virtutem solam, quam absque pecuniis tradidisset, si modo doceri potuisset, assequi filios noluisse putandus est. An forte Thucydides ignobilis erat, nec amici sibi plurimi, tam cives quam commilitones et socii, aderant? Quinimmo et ampla familia ortus, et summæ cujusdam auctoritatis tum apud concives suos tum etiam apud omnes Græcos erat. Ideoque, si per doctrinam comparari bonitas potuisset, invenisset saltem vel civem aliquem vel peregrinum, qui filios ejus bonos efficeret, si minus ipsi ad id docendum otii a rei publicæ negotiis superfuisset. Sed vide, o amice Anyte, ne forte virtus doceri nequeat. An. O Socrates, liberius, quam decet, homines mihi vituperare videris. itaque tibi consulo, si modo parere vis, ut tibi caveas. forte enim alia in urbe leve est, vel injuria vel beneficio cives afficere: in hac autem grave nimium ac periculosum. neque [95] id te fugere arbitror. So. O Menon, Anytus iste succensere mihi videtur. neque id miror. primo enim hos me viros vituperare censet: deinde se unum ex iis arbitratur. verum iste si quando didicerit, quid sit hominibus detrahere, haud ulterius succensebit: in præsentia vero ignorat. At ipse mihi dicas, utrum apud vos clari ac boni viri sint. Men. Sunt certe. So. Voluntne isti juvenibus se ipsos præceptores exponere atque id profiteri: vel virtutem doceri posse fatentur? Men. Non per Jovem, o Socrates: sed interdum ab illis doceri posse virtutem, alias non posse, audies. So. An istos dicimus hujus rei magistros, inter quos nondum id convenit? Men. Nequaquam mihi videtur, o Socrates. So. Quid vero, num sophistas, siquidem ii soli id prædicant, magistros virtutis existimas? Men. Gorgiam in hoc vehementer admiror et amo, quod nunquam illum hoc pollicentem audias. immo et alios ridet, quotiens polliceri sentit. putat autem hoc duntaxat promittendum esse, eloquentes scilicet vehementesque homines reddere. So. Non ergo sophistæ hujus rei præceptores esse tibi videntur. Men. Nescio quid dicam, o Socrates. nam mihi quoque idem, quod plurimis, accidit; tum enim præceptores puto, tum nego. So. Scito non tibi soli hoc ceterisque civilibus evenire, ut interdum doceri virtutem credatis, alias vero negetis: verum etiam poëtæ Theognidi, eadem omnino dicenti. Men. Quibusnam carminibus? So. Elegis, in hunc modum: *Hos prope bibe et comede, cum iis una sedeto, iis obsequere, quorum magna potestas: a bonis enim bona perdisces. Quod si malis adhæseris, quam habes mentem procul dubio perdes.* Vides jam, quod in iis ita loquitur, quasi virtus disci possit? Men. Apparet. So. At vero paulo post sic inquit: *Si sana mens homini tradi posset, nullam sane magnamque mercedem qui id efficerent, reportarent: neque bono ex patre filius malus esset,* [96] *prudentibus*

Digitized by Google

monitis persuasus. verum docendo nunquam ex malo bonum hominem facies. Cernis hunc circa eadem contraria sibi ipsi proferre? MEN. Videtur. So. Num aliquid aliud nosti, cujus qui præceptores esse professi sunt, deinde id nedum docere alios posse, sed ne ipsi quidem scire dicantur: sed in eo ipso improbi esse, cujus se asserunt præceptores, et qui clari esse in eo dicuntur, nunc doceri posse, nunc vero non posse ferant: eosne qui in hac controversia sunt, præceptores nuncupas? MEN. Minime. So. Ergo si neque sophistæ neque boni clarique viri hujus rei doctores sunt, multo minus ceteri præceptores erunt. MEN. Certe. So. Si non sunt præceptores, neque discipuli etiam. MEN. Sicut ais, mihi videtur. So. An non confessi sumus, illud, cujus nec magistri neque discipuli sunt, doceri minime posse? MEN. Confessi sumus. So. Et virtutis nusquam præceptores reperiuntur? MEN. Nusquam. So. Si non præceptores, neque discipuli etiam. MEN. Sic apparet. So. Virtus ergo doceri nequit. MEN. Sic videtur, si quidem nos recte dijudicavimus. Quam ob rem vehementer admiror, o Socrates, bonos ullos inter homines reperiri, et quæ sit ratio, qua boni fiunt, ambigo. So. Videmur, o Menon, ego simul et tu parvi pretii esse. videtur Gorgias quoque te, ac me Prodicus haud satis erudiisse. Itaque maxime omnium ad nos ipsos revocanda mens est, quærendusque aliquis, qui hoc uno nos meliores efficiat. Hæc autem dico ad superiorem inquisitionem respiciens: quia nos ridicule latuit, quod non solum ducente scientia negotia recte atque bene procedunt: vel forte nos subterfugit, qua ratione boni homines efficiuntur. MEN. Quo pacto id ais, o Socrates? So. Sic. quod quidem bonos viros utiles esse oporteat, probe confessi sumus, cum nunquam se res aliter [97] habeat. nonne? MEN. Ita. So. Quodve utiles futuri sint, si recte agendis præsint, etiam probe inter nos convenit? MEN. Probe. So. Quod vero nullus recte præesse possit, nisi sit prudens, haud satis recte asseverasse videmur. MEN. Quomodo Recte dicis? So. Dicam. qui iter novit Larissam, vel alio quovis proficiscatur vel alios ducat, nonne recte atque bene perducet? MEN. Prorsus. So. Quid vero, si quis recte opinatur, quæ via ferat Larissam, nunquam tamen profectus sit neque sciverit, nonne iste quoque recte duceret? MEN. Valde. So. Et donec rectam opinionem habet, de quibus alter scientiam, nihilo deterior dux erit, existimans quidem vera, sciens minime, quam is qui ista novit? MEN. Nihilo certe. So. Vera ergo opinio ad recte agendum nil minus quam prudentia valet. atque id est, quod in consideratione virtutis in superioribus prætermisimus, dum solam prudentiam recte agendi ducem assereremus: hæc autem erat opinio vera. MEN. Videtur. So. Num igitur nihilo minus recta opinio, quam scientia, confert? MEN. Hoc utique minus confert, o Socrates, quod quicunque scientiam habet, semper assequitur: qui vero rectam opinionem, interdum quidem consequitur, nonnunquam vero fallitur. So. Quid ais? Qui recta opinione incedit, nonne quamdiu opinatur recte, semper voti compos efficitur? MEN. Necessarium apparet. quam ob rem miror, quare, cum ita sit, scientia tamen longe admodum præstantior habeatur, quam recta opinio: et cur utraque illarum aliud quiddam sit, dubito. So. Nostin', quam ob causam id mireris? an ipse vis tibi dicam? MEN. Dic prorsus. So. Quia Dædali statuas nunquam considerasti. forte vero neque apud vos exstant. MEN. Quorsum hæc? So. Quoniam istæ, nisi ligentur, discedunt atque aufugiunt: ligatæ permanent. MEN. Quid tum? So. Ex ejus artificiis quod solutum est, haud multæ æstimationis est, instar fugitivi hominis: neque enim permanet: ligatum vero admiratione dignum. pulcherrima enim opera sunt. Cujus hæc gratia dico? Verarum opinionum gratia. hæ quippe, quousque stabiles perseverant, pulchra quædam opera

Digitized by Google

sunt omnibusque bona perficiunt. attamen diu [98] consistere nolunt, sed ex hominis animo confestim effugiunt: quapropter non multi pretii sunt, donec quis illas ratiocinatione a causis ducta liget. Hoc vero, amice Meno, reminiscentia est, ut supra inter nos convenit. Postquam vero ligatæ sunt, primo quidem scientiæ fiunt: deinde perseverantes: propterea quæ scientia recta opinione præstantior est, ab eaque vinculo quodam discrepat. Men. Per Jovem, o Socrates, congrua comparatio. So. Quin etiam ipse non tanquam sciens, sed ut conjectans ita loquor. Quod vero est aliud quiddam vera opinio atque scientia, plane mihi conjicere videor: sed et si quisquam aliud me scire fatteret, quia sane pauca dicerem, etiam hoc iis quæ scirem, adnumerarem. Men. Probe, o Socrates, loqueris. So. Quid vero? nonne hoc quoque recte, quod vera opinio opus quodlibet ducens, utilio pejus quam scientia illud assequitur? Men. Hoc quoque verum. So. Nihil igitur vera opinio quam scientia deterior, nec minus ad actiones utilis est: neque vir veram opinionem habens, quam scientia præditus. Men. Ita est. So. Quin etiam virum bonum utilem esse convenimus. Men. Convenimus. So. Si igitur homines non per ipsam scientiam solum boni atque utiles civitatibus essent, si modo invenirentur, sed etiam propter opinionem rectam: horum vero neutrum natura hominibus inest, neque scientia neque vera opinio: neque etiam adventitia hæc sunt: num videtur istorum aliquod natura inesse? Men. Mihi nequaquam. So. Nonne, postquam natura non insunt, neque boni etiam viri natura erunt? Men. Non sane. So. Quoniam vero nequaquam natura, utrum doctrina considerabamus. Men. Ita. So. Et doctrina comparabilis visa est, si sit prudentia virtus? Men. Est. So. Et si comparabilis per doctrinam, prudentia quoque visa est? Men. Prorsus. So. Ac si præceptores essent, doceri posse: si non, minime? Men. Sic est. So. Et præceptores ejus esse communi sensu negavimus. Men. Negavimus. So. Conclusimus itaque, neque doceri illam neque prudentiam esse? Men. Conclusimus. So. Præterea bonum ipsam esse concessimus. Men. Concessimus. So. Bonum autem et utile esse recte ducens. Men. Maxime. So. Recte denique ducere duo hæc sola, [99] veram opinionem atque scientiam: quibus homo præditus recte ducit. Quæ enim fortuna contingunt, imperio hominis nequaquam fiunt: quibus autem homo ad rectum dux est, duo hæc, opinio vera atque scientia. Men. Idem mihi videtur. So. Igitur cum virtus doctrina percipi nequeat, nequaquam scientia est. Men. Non apparet. So. Cum ergo duo sint bona atque utilia, alterum illorum excipitur, neque erit in actione civili scientia ducens. Men. Non, ut mihi videtur. So. Non ergo sapientia quadam, neque ut sapientes, ipsi civiles homines rem publicam administrant, cujusmodi qui Themistoclis temporibus, et quos paulo ante Anytus retulit, extiterunt. unde nec ceteros tales, quales ipsi sunt, reddere possunt, utpote qui scientia nulla sint tales. Men. Sic ut ais, esse videtur, o Socrates. So. Si non scientia, restat, ut opinione recta utentes civiles viri civitates gubernent, haud secus ad prudentiam se habentes, ac vates divinoque furore correpti. Etenim hi vera quam plurima nuntiant, nihil tamen eorum, quæ loquuntur, intelligunt. Men. Sic esse videtur. So. Nonne igitur, o Menon, divinos hujusmodi viros appellare decet, qui mente nequaquam utentes, multa tamen ac magna et agendo et dicendo disponunt? Men. Prorsus. So. Quamobrem merito divinos vocabimus, quos modo prædiximus vates furentesque ac poëticos homines universos: civilesque homines non minus quam reliquos divinos existimabimus, divino afflatos numine deoque penitus occupatos, quandoquidem rem publicam dirigunt, multa maximaque dicentes, quæ nequaquam intelligunt. Men. Maxime. So. Mulieres quoque, o Menon, bonos viros divinos nun-

Digitized by Google

espent: et Laconici, quoties bonum quendam virum commendare volunt, Divinus hic vir, aiunt. Men. Et recte quidem loqui videntur, o Socrates: quanquam Anytus iste tibi forte talia loquenti succenset. So. Haudquaquam mihi cure est: cum hoc enim, o Menon, alias disseremus. Si autem nos in omni hac disputatione recte perscrutati sumus, virtus utique nec doctrina neque natura nobis aderit: verum divina sorte absque mente in eum, qui illam sortitus fuerit, [100] influet: nisi forte quis ex civilibus talis exsistat, ut alium quoque civilem efficere possit. Quod si exstiterit, talis hic inter viventes erit, qualem Homerus ait Tiresiam inter mortuos esse, sic dicens: *Sapientia præstat solus iis, qui apud inferos; ceteri vero umbræ volitant.* Similiter et civis iste ad alios, tanquam ad umbras, se haberet. vera enim res quoad virtutem esset. Men. Optime mihi dicere videris, o Socrates. So. Ex hac itaque ratione, o Menon, divina sorte virtus adesse, cuicunque adsit, apparet. Veritatem tamen de hoc perspicuam tum demique comprehendemus, cum, antequam quo pacto virtus adsit quæratur, quid ipsa secundum se ipsam sit, investigare tentarimus. Nunc autem hora jam est, ut hinc alio abeam. Ipse vero quod tibi persuasum est, Anyto huic hospiti tuo iterum persuade, quo mitior sit. nam si ei hoc persuaseris, Athenienses quoque juvabis.

Digitized by Google

EUTHYDEMUS.

CRITO, SOCRATES, EUTHYDEMUS, DIONYSODORUS, CLINIAS, CTESIPPUS.

[271] Quisnam ille erat, o Socrates, quicum heri in Lycio disputabas? Nempe turba frequens circumstabat. quare, licet propius accederem audiendi avidus, nihil tamen aperte percipere poteram. Cum vero in pedes erectus inspicerem, mihi visus est hospes quidam esse, quicum disserebas. Quis ille? So. De utro interrogas, Crito? Non enim unus tantum, sed duo aderant. Cr. Tertius ad dexteram tuam sedebat is, cujus nomen audire percupio: medius autem adolescentulus ille Axiochi filius, qui mihi visus est satis admodum profecisse. Critobuli quidem nostri ferme æqualis est. Verum ille aridiori quodam corporis habitu: iste grandioris speciem præ se ferre videtur, honesta sane indole atque egregia. So. Euthydemus iste est quem quæris, o Crito. qui vero ad sinistram sedebat, Dionysodorus ejus frater, qui disputationis particeps simul extitit. Cr. Neutrum cognosco, o Socrates. So. Novi quidem hi, ut videntur, sophistæ. Cr. Quænam horum patria est? quæ sapientia? So. Chii sunt, ut arbitror, patria: Thurios populos petiere. unde digressi multos jam annos his in locis versantur. sapientia vero illorum mirabilis est, o Crito. in omnibus certe sapientissimi. et hactenus ignorabam equidem perfectos athletas esse. hi enim ad omne certandi genus potentes sunt, non quemadmodum Acarnani fratres athletæ. Illi namque corpore tantum valent: hi vero corpore primum pugnare maxime possunt, et eo genere pugnæ, quo omnia superantur. sane ad rem militarem instructi plurimum, et quemvis alium, modo mercedem exponat, [272] ad eam rem strenuum virum reddere possunt. Deinde judicialem pugnam et ipsi tractare expedireque, et unumquemque instruere possunt ad scribendas causas et orandas. hactenus quidem harum rerum dumtaxat periti erant: nunc autem perfecte athletarum facultati finem imposuerunt. Quod enim deerat certandi genus, nuper assecuti sunt, ut nemo illis valeat reluctari: usque adeo in verborum altercatione fortes evaserunt, promptique ad quodvis dictum, seu verum seu falsum sit, refellendum. Quapropter, o Crito, his me viris tradere cogito. pollicentur enim quemvis alium brevi se eorundem compotem reddituros. Cr. An non te grandior ætas absterret, o Socrates? So. Minime, Crito. est enim quod me soletur, neque diffidere sinat. Nam et hi jam senes, ut ita dixerim, huic se facultati quam ego nunc exopto, contentiosæ videlicet dedideruntnam ante biennium eam nondum callebant. Unum vero hoc tantum vereor, ne his dedecori sim, quemadmodum Conno Metrobii filio citharistæ, qui me etiam

Digitized by Google

nunc fidibus docet. Pueri igitur condiscipuli me quotidie rident, et Connum ipsum senum magistrum nuncupant. Ne ergo hoc idem aliquis hospitibus his objiciat, et illi hoc detenti me recusent, alios quoque nonnullos, o Crito, natu grandes mecum illuc discendi gratia proficisci sum exhortatus: hic item aliis persuadere conabor. sed cur non et tu venis, filios tecum ducens? porro cum viderint, quia sperabunt filiorum quoque tuorum concursum, his quasi illecebris adducti libentius nos erudiendos excipient. Cr. Nihil prohibet, Socrates, si tibi videtur. Verum prius quæ illorum sapientia sit, enarra, ut quid percepturi simus cognoscam. So. Haudquaquam nunc ante objiciam, quod non satis recorder, quia minus attenderim: immo et incubui diligenter, et memini; tibique a principio cuncta referre conabor. Equidem divina quadam sorte in gymnasio solus, ubi me vidisti, sedebam: jamque inde discedere cogitabam. sed statim surgenti mihi solitum illud dæmonicum signum obsistit. Restiti itaque, ac paulo post ingressi sunt [273] hi, Euthydemus Dionysodorusque, et alii multi cum illis, qui illorum mihi discipuli videbantur. Ingressi autem in ipso adoperto cursu deambulabant, neque dum bis aut ter illud exegerant, cum adventavit Clinias ille, quem profecisse dicis, et vere loqueris. Eum secuti sunt amici et alii multi, et adolescens quidam Ctesippus Pæaneus, ingenio bonus quidem et pulcher, sed ipsa juventute lascivior. Intuitus me ab ingressu Clinias sedentem solum, contra venit, et ad dexteram meam sedit, ut et ipse ais. Cum vero eum Dionysodorus Euthydemusque vidissent, primum quidem novis astantes invicem disserebant, hinc atque illinc in nos oculos convertentes. ego enim illos diligentissime observabam. Deinde propius accedentes consederunt, Euthydemus quidem juxta ipsum adolescentem, Dionysodorus autem juxta me ad sinistram, alii vero utcunque contigit. His igitur congratulatus sum, utpote qui diu illos non videram. Post hæc ad Cliniam conversus inquam, Isti quidem, o Clinia, viri, Euthydemus Dionysodorusque, non in rebus parvis sunt, sed maximis sapientes. nam quæ ad rem militarem pertinent, sciunt omnia, quot nosse debet, quicunque strenuus dux exercitus est futurus, circa acies ordinesque et exercitus instructiones et prœlia. Possunt quin etiam causidicum quemvis efficere accusatoremque acerrimum eorum, qui injurias intulerunt. Illi me ita locutum contempserunt, seque invicem inspicientes subrisere. Atque inquit Euthydemus, Haud amplius hæc serio tractamus, o Socrates, sed his intermittendi studii gratia utimur. Quod ego admiratus inquam, Præclara studia vestra sunt, si res tantæ quasi intermissiones quædam jocique a vobis habentur. Dicite, per deos obsecro, quid hoc vestrum tam egregium opus? Eu. Virtutem, o Socrates, arbitramur facillime atque optime omnium docere posse. So. Proh Juppiter, quam pretiosam rem pollicemini! Qua sorte potissimum lucrum istud vobis obtigit? Equidem ita de vobis cogitabam hactenus, ut modo dicebam, quasi de viris in re militari præstantibus; idque de vobis prædicabam. Memini enim, cum huc primum venistis, hoc solummodo fuisse professos. quod si nunc re vera scientiam hanc adepti estis, estote propitii: profecto vos perinde ac deos advoco, obsecrans ut superiora errata mihi nunc ignoscatis. [274] Verum videte, o Euthydeme Dionysodoreque, utrum vera loquamini. neque mirum videri debet, si quis rei istius quam pollicemini magnitudinem æstimans, difficile credat. Eu. Certe scito ita esse, o Socrates. So. Beatiores equidem vos ob hujus rei possessionem, quam ob regnum suum magnum regem existimo. Verum dicite, quæso, utrum ostendere hanc sapientiam cogitetis, an aliter vobis sit consultum. Eu. Ad hoc ipsum, o Socrates, venimus, tanquam demonstraturi atque docturi, si quis discere cupiat. So. Atqui quod volent omnes quicunque carent, ipse vobis quasi sponsor affirmo. ego quidem

Digitized by Google

primo, deinde etiam Clinias iste, præterea Ctesippus ipse, aliique præsentes: ostendi enim illis Cliniæ ipsius amicos, qui nos jam circumstabant. Ctesippus forte procul a Clinia sedebat: cum vero Euthydemus inter disputandum ad anteriora procedens Cliniæ inter nos medio sese opponeret, et Ctesippo ejus impediret aspectum, surrexit Ctesippus et primus e conspectu nostrum stetit, ut et videret amicum et disputantes audiret: similiter et alii. hunc secuti nobis protinus astiterunt, tam Cliniæ amici quam Euthydemi et Dionysodori comites. Hos ego omnes digito signans, Euthydemo pollicitus sum illius fore discipulos. Ctesippus igitur vehementer est assensus, nec non alii; jusseruntque sapientiæ vim ostendere. Tum ego, o Euthydeme atque Dionysodore, his prorsus gratificari velitis et mei gratia demonstrare. plurima quidem talia sunt, ut ostendere illa opus prolixum sit futurum. id autem mihi dicite, utrum hominem dumtaxat jam persuasum quod discere a vobis oporteat, bonum efficere virum potestis? an illum præterea, qui nondum fuerit persuasus, quia nullo pacto doceri posse virtutem putaverit, vel forte vos illius non esse magistros? Nunquid artis ejusdem opus est, homini sic affecto persuadere, quod et doceri virtus potest, et ipsi vos estis, a quibus optime quilibet discat: sicne, an aliter? Hujus ejusdem, inquit Dionysodorus, artis est opus, o Socrates. Vos igitur præ ceteris, inquam, hominibus optime ad philosophiæ [275] virtutisque curam exhortaremini? Sic arbitramur, o Socrates. Cetera, inquam, postea ostendetis: hoc vero nunc ostendite. persuadete quæso huic adolescentulo, quod philosophiæ virtutisque studio totis sit viribus incumbendum, mihique et his omnibus morem gerite. Porro adolescentulus hic usque adeo mihi et his omnibus curæ est, ut eum in optimum virum evadere summopere studeamus. Est autem Axiochi filius ex majore Alcibiade nati: minoris autem Alcibiadis, qui nunc est, patruelis. nomen ejus est Clinias. cui, cum in tenera ætate sit, ut decet, timemus, ne quis forte nos præveniens, alio ejus animum flectat atque inquinet. Quare vos peropportune venistis. Et, nisi quid prohibet, pueri hujus periculum facite, nobisque præsentibus cum illo disserite. Cum hæc ferme dixissem, Euthydemus fortiter nimium et audacter, Nihil, ait, o Socrates, prohibet, si modo velit nobis adolescentulus respondere. Haud insuetum, inquam, illi hoc est. frequenter enim præsentes hi cum eo disputant, deque multis interrogant. quocirca consentaneum est, ut respondere nunc audeat. Quæ sequuntur, o Crito, utinam pro dignitate recensere valerem! neque enim exiguum opus putandum, ut valeat quis inæstimabilem illam sapientiam enarrare. Quare mihi nunc, ut poëtis, opus esse videtur Musarum Memoriæque suffragium invocare, priusquam tantæ rei narrationem exordiar. Euthydemus hunc in modum, ut arbitror, est exorsus. Utri sunt, o Clinia, homines qui aliquid discunt? sapientesne, an ignorantes? Puer autem propter quæstionis illius pondus erubuit, et hæsitans oculos in me convertit. Ego vero perturbationem illius animadvertens inquam, Bono animo esto, Clinia, et quæ tibi videntur, viriliter isti responde. forte enim maxime te juvabit. Ita loquenti mihi Dionysodorus inclinatus ad aurem ac ridens, Prædico tibi, o Socrates, quicquid puer responderit, confutatum iri. Interim responderat Clinias: itaque puerum mihi admonere non licuit. [276] Responderat autem, Sapientes esse qui discunt. Ad quem Euthydemus: Vocas præceptores aliquos, an non? Assensus est. An non præceptores discentium præceptores sunt? quemadmodum citharista atque grammaticus et tui et ceterorum puerorum præceptores fuerunt, vos autem discipuli. Consensit. Cum discebatis, nondum sciebatis hæc eadem quæ discebatis? Nondum. Nunquid eratis sapientes, quando hæc ignorabatis? Nequaquam. Si non sapientes, ignorantes igitur. Omnino. Vos ergo dum discebatis quæ ignorabatis, ignorantes

Digitized by Google

discebatis. Annuit adolescens. Ex hoc sequitur, ut ignorantes discant, o Clinia, non sapientes, ut ipse putabas. Cum hæc ille dixisset, tanquam chorus significante magistro, summo applausu conclamarunt riseruntque illi Euthydemi et Dionysodori sectatores. Ac prius quam respiraret puer, bene atque præclare excipiens sermonem Dionysodorus ait: Quid porro, o Clinia? quando aliqua recitat grammaticus, quinam pueri illa perdiscunt? sapientesne, an ignorantes? Sapientes, inquit Clinias. Ergo sapientes discunt, non ignorantes. quare non recte Euthydemo paulo ante respondisti. Hic altius exclamarant riseruntque illorum astipulatores, Euthydemi Dionysodorique sapientiam admirati. Nos autem quasi stupidi conticuimus. Cum ergo nos Euthydemus ad hæc stupidos redditos esse cognosceret, ut in majorem quoque sui admirationem traheret, nondum dimisit puerum, sed ulterius eum interrogavit, atque illorum more qui in choro sunt ad saltandum promptissimi, duplicem circa rem eandem quæstionem invertit dicens: Utrum discentes quæ sciunt, discant, an quæ nesciunt? Tunc Dionysodorus iterum mihi susurrans ad aures, Tale, inquit, o Socrates, est et hoc, quale quod supra fuit illatum. Proh Juppiter, inquam, quam præclara: etiam superior nobis visa est quæstio. Ita semper, ait, inevitabiles quæstiones proponimus. Ideoque videmini, inquam, apud discipulos vestros auctoritatem habere non mediocrem. Interim Clinias Euthydemo respondit, eos qui discunt, quæ ignorant perdiscere. Statim ille eum, quemadmodum et ante, interrogavit. [277] Scisne ipse literas? Scio. Nonne omnes? Et omnes. Quando aliquis recitat, nonne literas recitat? Concessit. Ergo illa quæ scis recitat: quandoquidem ipse omnes scis literas. Admisit et istud. Nonne discis quæ quis recenset? Assensus est. An vero ignorans literas discis? Minime. immo sciens disco. Nonne igitur quæ scis, discis? si quidem omnes scis literas. Annuit. Non recte itaque respondisti. Vix autem dixerat hæc Euthydemus, cum Dionysodorus tanquam sphæram sermonem assumens, adversus adolescentulum hæc intulit. Decipit te Euthydemus, o Clinia. Dic mihi: An non discere est scientiam illius accipere, quod quis discit? Admisit Clinias. Scire autem nunquid aliud est, quam scientiam ipsam jam habere? Concessit. Nescire igitur est nondum habere scientiam? Dedit et istud. Utri rem aliquam capiunt? qui habent, an qui non habent? Qui non habent. An non confessus es, nescientes homines ex illorum numero esse, qui non habent? Annuit. Discentes igitur ex illorum numero sunt, qui capiunt, non ex eorum qui habent. Probavit. Ergo qui nesciunt, o Clinia, discunt, non qui sciunt. Post hæc vero tertio jam certamine oppugnare Euthydemus adolescentulum properabat. Ego autem succumbentem miseratus, ut eum paulum recrearem, ne forte nimium expavesceret, hunc in modum consolari cœpi: Ne mireris, o Clinia, si insueti tibi sermones isti videntur: forte namque non percipis, quid erga te hospites isti faciant. Idem profecto faciunt, quod furentes sacerdotes illi, qui Corybantes vocantur, in mysteriis agunt, quando in solio collocant illum quem sacris initiaturi sunt, variisque jocis applaudunt et choreas ducunt. Intelligere hæc te arbitror, si modo et ipse initiatus es. Ludunt similiter isti nunc, et circa te choreas ducunt ac saltant, quasi nunc expiantes te et postea sacris initiaturi. Itaque inpræsentia existima primas quasdam sacrorum sophisticorum cerimonias celebrari. nam primum quidem, ut jubet Prodicus, proprias nominum significationes oportet accipere: quod et tibi hospites isti ostenderunt circa id quod discere nominatur. cujus proprietatem minime nosti. utuntur enim verbo hoc homines ad eum actum significandum, quando aliquis ab initio rei alicujus scientiam nullam habens deinde illius scientiam accipit. [278] utuntur quin etiam verbo eodem ad animadversionem illius significan-

Digitized by Google

dam, qui scientiam habens hac ipsa scientia rem eandem, quotiens fit vel dicitur, agnoscit. magis autem proprie cogitare et animadvertere hoc quam discere vocant, interdum etiam discere. Id vero te latuit, ut isti monstrarunt, idem videlicet nomen contrariis ab hominibus attributum, scienti quidem, et nescienti. Simile autem hujus est et illud, quod in secunda quæstione proposuerunt, interrogantes utra discant homines, an quæ sciunt, an quæ nesciunt. Hæc omnia ludi quidam in disciplinis sunt: quapropter ludere tecum istos existimo. Ludum autem hac de causa nuncupo, quia et si quis multa generis hujus vel omnia noverit, rerum quidem naturas nihilo minus intelliget: ludere tamen ex ipsa nominum differentia adversus homines poterit, quasi interjecto crure prosternens, eorum more qui sedere volentibus furtim subsellia subtrahunt, et effusius rident, cum vident aliquem cecidisse supinum. Hæc igitur et tu pro ludis quibusdam ab istis accipe. Deinceps autem seria tibi isti tractabunt, egoque ab illis, quæ promiserunt, exposcam: promiserunt porro se exhortatoriam sapientiam ostensuros. Nunc autem mihi videntur putasse prius tecum esse jocandum. Satis ergo hactenus, o Euthydeme Dionysodoreque, vobis sit lusum. Ostendite jam quod sequitur. restat nempe ut ad virtutis et sapientiæ studium hunc adolescentulum exhortemini. Verum primo ipse exemplar quoddam et formulam exhortationis illius, quam postulo, vobis præfiniam. quod si rustice et absurde præscribere videor, ne derideatis obsecro. Nam sapientiæ vestræ audiendæ aviditate percitus ineptias nunc meas ostendere vobis audeo. Audite igitur sine risu vos et discipuli. Tu autem mihi, Axiochi fili, responde, utrum omnes bene agere, hoc est, bene vivere cupiamus. An forte quæstio hæc, ut formidabam, ex eorum numero est, quæ ridicula sunt? Dementis enim hominis est hæc talia in controversiam trahere. nam quis est hominum qui bene vivere non cupiat? Cli. Nemo. [279] So. Age, postquam bene vivere volumus, quo pacto hoc assequi possumus? Nunquid si bona multa nobis adsint? An ineptior est, qui de hoc ambigit? constat enim ita esse. Cli. Constat sane. So. Bona vero ex omni rerum genere quænam sunt? an forte neque id arduum est inventu, neque ab eleganti ingenio dubitandum? Quilibet enim diceret esse bonum divitem esse: nonne? Cli. Maxime. So. An non et sanum esse et pulchrum, ceterisque corporis dotibus frui? Cli. Certe. So. Quin etiam nobilitas generis et potentiæ et honores in sua cuique civitate, sunt bona? Cli. Et ista. So. Quæ præterea bona restant? Si dixerimus temperantiam, justitiam, fortitudinem esse bona, nunquid recte? Cli. Dubitaret forte quispiam. So. Tu vero quid ais? Cli. Bona profecto dicenda. So. Sapientiam vero quo in genere locabimus? bonorumne, an aliter? Cli. In bonorum genere. So. Vide, ne quid bonorum ratione aliqua dignum prætermittamus. Cli. Mihi sane nullum prætermisisse videmur. Tunc recordatus inquam, Videmur, o Clinia, maximum bonorum omnium postposuisse. Quid hoc? petit ille. Felicitatem, inquam, hoc est rerum consecutionem ad votum, quam vel imperitissimi homines summum bonum nuncupant. Vera loqueris, ait. Tunc ego rursus pœnitentia motus, Ferme, inquam, risum, o Clinia, hospitibus concitavimus. Quamobrem? So. Quoniam cum felicitatem in superioribus posuerimus, modo iterum eadem de re loquebamur. Quid istud? Ridiculum porro, quod ante positum est, rursus proponere, bisque eadem recensere. Qua ratione id ais? Sapientia, inquam, ipsa felicitas est: quod quidem puer quivis intelligat. Quod ille tamen ob puerilem ruditatem admiratus est, sed ego affectum ejus cognoscens, hunc in modum interrogavi: Nonne, o Clinia, nosti, quod periti tibicines optime omnium quicquid ad tibiarum usum pertinet, consequuntur? Assensus est. Et eruditi grammatici quod ad literas tum

Digitized by Google

scribendas tum legendas attinet? Prorsus. Sapientes quoque gubernatores optatum navigationis portum præ ceteris assequuntur? Ita est. Nec non belli dux sapiens, quod ad militiam spectat, securius expedit: et cum illo tutius quam cum [280] ignorante militabis? Absque dubio. Et sapiens medicus ad optatam corporis valetudinem melius quam insipiens te perducet, tuque teipsum libentius illi committes? Certe. An ideo, quod putares felicius et ad votum sapientiæ cum illo magis tibi res successuras? Consensit. Sapientia igitur omnibus humanis in rebus felices nos, id est voti compotes, efficit. neque enim aberrat unquam nec fallitur sapientia ulla, sed recte opus peragit atque assequitur: alioquin sapientia nulla esset. Convenimus tandem nescio quomodo, ita summatim esse dicendum, præsente sapientia haud ulterius felicitatem desiderari. His vero concessis rursum illum percontatus sum, quid de his, quæ supra concessa fuerant, sentiremus. Confessi enim sumus, si multa nobis sunt bona, bene beateque nos vivere. Admisit. Num beate vivimus propter præsentia bona, si nihil prosunt nobis, an si prosunt? Si prosunt, ait. An vero conferunt quicquam, si habemos illa duntaxat, nec tamen utimur? Veluti si epulas multas poculaque habemus, nec vescimur; nunquid juvant? Nihil. Præterea si artificibus exposita sint præparataque singula ad ipsum opus perficiendum, ipsi vero non utantur; num bene agent propter ipsam duntaxat possessionem eorum, quæ ad perfectionem operis requiruntur? ceu si fabro præparata sint instrumenta omnia, lignaque sufficienter exposita, ipse vero nihil fabricetur; nunquid ipsa possessione juvabitur? Nullo pacto, inquit. Quid vero? si quis divitias, et bona quæ diximus omnia nactus, nequaquam utatur, nunquid erit ipsa bonorum possessione beatus? Minime, o Socrates. Oportet itaque illum, inquam, qui beatus futurus est, non solum bona hujusmodi possidere, sed uti. nihil enim sola possessio juvat. Vera loqueris. Num possessio ususque bonorum, o Clinia, ab beate vivendum sufficit? Mihi quidem videtur. Utrum ita dicis, si modo quis recte utatur, an etiam si non recte? Si recte. Probe loqueris. longe namque a beatitudine, ut arbitror, alienior est, qui aliquibus abutitur, quam qui dimittit. Illi siquidem mala sunt: isti nec bona sunt neque mala. [281] nonne ita dicendum? Probavit. Nunquid in effectione et usu circa ligna aliud præter fabrilem scientiam, recte uti singulis, efficit? Non aliud. Quin etiam circa vasa conficienda, rectum usum scientia præstat? Annuit. Nonne et circa usum bonorum, quæ supra retulimus, divitiarum, sanitatis et formæ, scientia ipsa dux erat, docens recte his uti, actionemque dirigens? Prorsus. Non solum igitur prosperam rerum consecutionem, sed et bonam actionem, ut videtur, in omni possessione actioneque hominibus scientia præbet. Assensus est. An est ulla, per deos, ex possessionibus aliis absque prudentia sapientiaque utilitas? uter horum majorem reportat utilitatem, an qui mente captus est, multis tamen rebus abundat multaque facit? an qui pauca facit et possidet, mentis compos? Sic autem considera. Nonne qui pauciora agit, rarius errat? minus errans, minus agit male? minus male agens, minus est miser? Omnino, inquit. Quo autem modo quis pauciora facit? nunquid si pauper est, an si dives? Si pauper. Utrum si debilis, an si robustus? Si debilis. Utrum si honoratus, an si abjectus? Si abjectus. Utrum si fortis et temperans, agit pauciora, an si timidus? Si timidus. Nonne et piger minus efficit, quam promptior ad agendum? Admisit. Et tardus, quam velox? hebes ad visum atque auditum, quam acutus? Omnia hæc inter nos convenerunt. Tunc vero hunc in modum sermonem superiorem concludi: Nulla ex his, o Clinia, quæ bona nuncupabamus, se ipsis bona esse videntur. immo sic dicendum constat: Si illis insciția præsit, eo deteriora esse quam illorum contraria, quo modo uberius improbe duci adminicula

Digitized by Google

scelerum suppeditare possunt: sin autem prudentia et sapientia his præsideat, tum denique meliora. ipsa vero suapte natura nec bona sunt nec mala existimatione aliqua digna. Videtur, inquit, ita esse, ut dicis. Quid aliud, inquam, ex antedictis concluditur, quam nullum aliorum bonum esse vel malum? e duobus autem ipsis sapientiam quidem bonum, insipientiam vero malum? Probavit. [282] Quæ sequuntur insuper consideremus. Postquam beati esse affectamus omnes, beati autem efficimur, ut apparuit, ex eo quod rebus utimur et recte utimur: rectitudinem vero usus et consecutionis prosperitatem scientia præbet: ceteris omnibus prætermissis omni studio niti quisque debet, ut quam sapientissimus fiat. nonne? Certe. Existimare igitur debet quisque, hoc potius expetendum a parentibus, quam multarum pecuniarum hæreditatem, a tutoribus, præterea et amicis tum aliis tum vel maxime ab illis qui in amore ardentiores esse se prædicant, sive hospites sint seu cives: quos oportet suppliciter exorare, ut sapientiam suam impartiant. Neque turpe est neque abhorrendum, Clinia, consequendæ sapientiæ gratia servire cuilibet, et honestis obsequiis unicuique morem gerere. idemne et tu sentis? Idem omnino. probe enim loqui videris. Si modo, inquam, doceri sapientia potest, neque forte hominibus advenit. hoc enim insuper restat investigandum: neque dum inter nos id constitit. Tum ille: Doceri mihi quidem posse videtur, o Socrates. Hac ego responsione delectatus inquam, O quam belle loqueris, virorum optime: maximo quodam me beneficio affecisti, longa mecum indagatione animum liberans. ambigebam sane, utrum doceri posset necne sapientia. Nunc vero postquam tibi doctrina comparari posse videtur, solaque hæc ex omnibus beatum et felicem efficit hominem, quidnam aliud dixeris agendum nunc quam philosophandum? nunquid et ipse hoc agere cogitas? Quam maxime, inquit, fieri potest, o Socrates. Hæc cum libenter audissem, Exemplar, inquam, o Dionysodore et Euthydeme, exhortationis, quam expeto, tale est, rudibus prolixisque verbis vix a me coaggeratum. Uter autem vestrum mavult, idem hoc artificiose contexens nobis ostendat: si hoc non vultis, saltem quod orationi meæ deest, deinceps adolescentulo demonstrate, utrum necesse sit omnem scientiam adipisci, vel una quædam potius scientia sit, quam comparare debet, quisquis vir bonus est beatusque futurus: quæve hæc scientia sit, declarate. nam ut in principio disputationis dixi, vehementer desideramus hunc adolescentulum sapientem bonumque evadere. [283] Hæc equidem tunc edixi, o Crito, ac me ad sequentia attentione animi præparavi, observaturus quale dicendi exordium facerent, quave potissimum ratione Cliniam ad sapientiæ et virtutis studium exhortarentur. Statim vero qui natu grandior est, Dionysodorus, primus effari cœpit: in quem nos oculos omnes convertimus, tanquam mirificam quandam orationem protinus audituri: quod et nobis contigit. Mirum namque sermonem inceptavit, o Crito, qui sane dignus est qui abs te audiatur, quam belle provocet ad virtutem. Dic mihi, ait, o Socrates, vosque alii, quicunque adolescentem istum fieri sapientem curatis, utrum jocamini, an serio dicitis atque id re vera desideratis. Ego igitur arbitratus illos putasse nos ab initio secum fuisse jocatos, cum jussimus eos cum adolescentulo disputare, atque iccirco lusisse et illos nobiscum hactenus neque seria tractavisse, confestim dixi quam maxime nos et studiosissime exoptare. Tunc ita Dionysodorus: Vide, o Socrates, ne quæ nunc asseris aliquando neges. Scio, nunquam me negaturum. Quid utique dicitis, inquit? vultisne ipsum fieri sapientem? Volumus; quidni? Utrum sapiens nunc est Clinias, an non? Nondum ait, inquam. est enim minime jactabundus. Vos autem, inquit, sapientemne fieri vultis, ignorantem vero esse nequaquam? Admisimus. Ergo quod non est, fieri ipsum cupitis: quod vero nunc est, haud amplius esse. Quod quum audissem,

Digitized by Google

turbatus sum : et ille me turbatum animadvertens, Quoniam, inquit, vultis quod nunc est, non amplius esse : vultis, ut videtur, hunc interire. At vero quam cari habendi sunt hujus generis vel amici vel amatores, qui amatos omni cura perdere student. Hæc audiens Ctesippus, amati gratia graviter tulit : et indignatus, O Hospes, inquit, Thurie, nisi dictu rusticius esset, dixissem utique tibi in caput, quod adversus me et alios mentiris hac in re, quam vel dictu nefariam duco, quod ego hunc perire velim. Hic Euthydemus ad Ctesippum conversus ait, Videturne tibi fieri posse, ut aliquis mentiatur ? Per Jovem, inquit, nisi forte insanio. Qui vero mentitur, utrum rem ipsam de qua sermo est dicit, an non dicit ? Dicit, ait. [284] Si rem ipsam dicit, haud aliud quicquam dicit præter id quod dicit. Quonam pacto aliter fieri posset ? Ctesippus ait. Nunquid una quædam res est, quam dicit, ab aliis diversa ? Prorsus. Nonne qui illam dicit, id quod est profert ? Ita. Enimvero quicunque quod est quæve sunt dicit, vera loquitur. Quamobrem Dionysodorus, si quæ sunt dicit, vera prædicat, neque quicquam adversus te mentitur. Ita, inquit Ctesippus. Verum qui hæc loquitur, o Euthydeme, non ea quæ sunt dicit. Ad quem Euthydemus : Non existentia non sunt ? Non, ait. Nusquam vero, quæ non sunt, existentia sunt ? Nusquam. Fierine potest, ut aliquis circa ea, quæ non sunt, quicquam agat, ut illa faciat aliquis existentia nusquam ? Nequaquam mihi videtur, Ctesippus ait. Cum rhetores ad populum concionantur, nihilne agunt ? Agunt aliquid. Si agunt, ergo et faciunt ? Sequitur. Ergo ipsum dicere, agere est et facere. Consensit. Nullus igitur non existentia dicit : faceret namque aliquid. tu vero confessus es impossibile esse, ut aliquis non existentia faciat. Quapropter secundum orationem tuam falsa nullus loquitur : immo vero si loquitur Dionysodorus, vera et existentia loquitur. Sic est, Euthydeme, Ctesippus ait. nam existentia quidem quodammodo dicit, non tamen ita ut se habent, dicit. Qui vero istuc ais, Ctesippe ? Dionysodorus inquit. Suntne, qui res ipsas ut habent se dicant ? Sunt certe, respondit ille, viri boni, præclari atque veridici. Quid porro ? interrogavit alter, bona nonne bene se habent ? mala contra male ? Probavit. Bonos autem et præclaros homines confiteris res ipsas sic, ut se habent, eloqui ? Confiteor. Ergo boni viri, o Ctesippe, male mala dicunt, siquidem, ut sunt, enuntiant. Maxime per Jovem, et malos homines male : ex quorum numero ne sis, ipse cavebis, si mihi credes, ne boni viri male de te loquantur. Tunc Euthydemus adjecit, Nunquid illi et magnos magne et calidos calide ? Summopere, respondit Ctesippus. et frigidos frigide dicunt, aiuntque disserere frigide. Tunc Dionysodorus, Convitiaris, Ctesippe, ait, convitiaris. Non per Jovem, Dionysodore : nam te diligo, immo vero amice te moneo, et persuadere contendo, nunquam me coram usque adeo mordere, ut [285] dicas velle me hos perdi, quos carissimos habeo. Ego autem cum illos irritari jam invicem acriter persentirem, cum Ctesippo jocatus inquam, Decet nos, Ctesippe, ut mihi videtur, ab his hospitibus quæ dant accipere, si modo impartire quicquam velint, neque nominibus altercari. Nam si ita perdere sciunt homines, ut e malis et imprudentibus probos prudentesque efficiant, sive ipsi perditionis talis inventores extiterint, seu ab alio quodam didicerint, ut pro malo homine bonum restituant : patet autem eos scire : dixerunt enim artem nuper sibi compertam, qua bonos ex malis homines faciant : si hoc, inquam, sciunt ; permittamus utique, ut sic adolescentulum perdant, modo efficiant sapientem : immo etiam nos ipsos illis ita curandos tradamus. Quod si vos juniores reformidatis, ego certe, velut homunculus quidam ex Caria, discrimen hoc subeam, levius enim in me, utpote seniore, discrimen. me igitur Dionysodoro huic dedo, quasi Medeæ ex Colchis, ut me dissolvat, et si velit elixet, vel quodcunque aliud

Digitized by Google

mavult in me moliatur, modo optimum virum efficiat. Ctesippus quoque inquit: Ego item, o Socrates, meipsum hospitum voluntati committo; et si me magis etiam, quam nunc, excoriare velint, excorient: si modo pellis mihi mea non in utrem convertatur, ut Marsyæ, sed in virtutem. Atqui putat Dionysodorus hic ipsi me succensere, ego autem non succenseo quidem, sed adversus illa dico, quæ in me non recte is loquitur. Tu vero, Dionysodore, contradictionem ipsam ne convitium nomines. aliud namque est contradicere, aliud vero convitiari. Ad hæc conjecit Dionysodorus, Itane tu de contradicendo loqueris, quasi sit aliquid contradicere? Maxime quidem, Ctesippus ait. tu vero non putas esse aliquid contradicere? Neque tu, respondit Dionysodorus, istud ostenderes, cum nunquam alterum alteri contradicentem audiveris. Vera loqueris, ait. sed audiamus in præsentia, si tibi demonstro Ctesippum Dionysodoro contradicentem. Nunquid sermonem hujus vis polliceri? Prorsus, ait. Suntne, inquit, unicuique rerum sermones rationesque? Sunt. Ut est unaquæque res, an ut non est? Ut est. Si recordaris, [286] Ctesippe, ait, paulo ante monstravimus neminem quod non est dicere. quod enim non est, nullus dicere nobis apparuit. Quid tum? Ctesippus ait. quid prohibet hoc, quo minus ego et tu contradicamus? Tum alter, Utrum contradiceremus, si utrique ejusdem rei sermonem rationem vecogitaremus? an potius sic eadem loquemur? Consensit. An forte cum neuter rei rationem profert, invicem contradicimus? vel sic neuter rei ipsius mentionem faceret? Id quoque admisit. Num, inquit, cum ego rei rationem pronuncio, tu vero alterius cujusdam, tunc demum contradicimus? vel potius ego tunc rem dico, tu autem omnino non dicis? non dicens autem dicenti quomodo contradiceret? Ad hæc Ctesippus obmutuit. Ego autem admiratus quæ dicebantur, Qua, inquam, ratione istud ais, Dionysodore? Equidem, cum sermonem hujusmodi sæpenumero ex multis audiverim, semper admirari soleo. hunc siquidem Protagoræ sectatores, eisque etiam antiquiores, frequenter usurpare consueverunt. Mihi vero semper mirabilis visus est, talisque esse, ut et alios et se ipsum pervertat. Reor autem veritatem ipsius me nunc abs te potissimum auditurum. num sibi id vult sermo, ut falsa dicere impossibile sit, oporteatque illum qui loquitur, vera proferre vel omnino non loqui? Asseruit. Utrum falsa loqui quidem impossibile est, opinari vero falsa possibile? Neque opinari, inquit. Ergo nulla est, inquam, falsa opinio. Nulla prorsus. Neque insciția insuper, neque homines inscii. an non inscitia esset, si modo esset istud, de rebus scilicet falsa sentire? Omnino. Istud autem non est, inquam. Non certe, respondit ille. Confabulandine gratia, o Dionysodore, hæc inducis, ut mirum aliquid inferas? an re vera tibi videtur nullus hominum inscius esse? At ipse, inquit, refelle. An refelli quicquam potest, cum nemo, ut asseris, mentiatur? Non potest, Euthydemus ait. Tum Dionysodorus: Non jussi igitur, ut refelleres. nam quo pacto quis quod non est, jubeat? O Euthydeme, inquam, scita hæc atque præclara haud multum edisco, sed quasi cursim attingo. forsitan ergo onerosum quod rogabo: sed ignosce, obsecro. Vide amabo, si neque mentiri quisquam potest, neque [287] opinari falsa, neque inscius esse: nemo etiam dum agit, quicquam aberrare potest. nullus enim ab eo quod agit, aberrat. nonne ita dicitis? Ita plane. Hæc est, inquam, onerosa illa quæstio. Si enim non erramus unquam, neque agendo neque loquendo neque etiam cogitando, quidnam vos huc docturi venistis? an non supra prædicabatis, vos præ ceteris omnibus optime virtutum volenti cuique tradituros? Usque adeo vanus es, o Socrates, inquit Dionysodorus, ut quæ a principio diximus, reminiscaris nunc: et si quid superiori anno dixerim, nunc quoque sis recordaturus: his autem, quæ in præsentia dicta sunt, quomodo utaris,

Digitized by Google

non habeas. Difficiles admodum sermones sunt, inquam, neque injuria. nam a viris sapientibus prædicantur. Quandoquidem et eo quod notissime dictum est, uti est difficillimum. Cum enim dicis non habere me quomodo utar, Dionysodore, quid potissimum vis inferre? an videlicet, quod non habeam qua ratione præsentem sermonem convincam? Nam mihi dicas, quid aliud tibi verbum istud intelligit, quod non habeo quomodo sermonibus utar. Aliud ipse ais, inquit, hoc quod valde difficile sit hoc uti: nempe responde. Ante quam tu respondeas, inquam, Dionysodore? Quid non respondes? ait. An par est? inquam. Par. Tum ego, Qua præcipue ratione? an forte ex eo quod ipse ad nos in disserendo sapientissimus advenisti, ac nosti quando respondendum sit, quando non respondendum; ideoque nunc respondes nihil, quod respondendum nihil esse cognoscis? Ad hæc ille, Nugaris, o Socrates, atque respondere negligis. sed, o bone vir, crede mihi, atque responde, postquam sapientem esse me confiteris. Parendum omnino; sic enim decet, cum tu præsideas. interroga igitur. Utrum, inquit, animam habent, quæcunque intelligunt aliquid? an et anima carent? Habent animam. Nostine verbum aliquid animam habens? Nullum equidem. Cur itaque nuper interrogabas, quid mihi verbum illud intelligeret? Non ob aliud, inquam, nisi ob ignaviam meam, quæ me errare coëgit. vel forsitan non erravi, immo recte locutus sum, cum dicerem quod verba intelligunt. tu vero utrum errasse me dicis, necne? Si enim non erravi, neque tu nunc redargues, sis licet sapiens, neque quomodo sermone utaris habebis. sin autem erravi, neque sic quidem recte tu loqueris, quando [288] dicis errare posse neminem. Atque hæc quidem non adversus illa, quæ anno superiori dicebas, nunc adduco: videtur autem mihi, o Dionysodore Euthydemeque, sermo hic eodem revolvi, et nunc etiam, ut et quondam solebat fieri, cum dejecerit, cadere. quod quidem ne ipsi accidat, ab arte vestra, licet circa acriorem sermonum diligentiam admirabili, nondum videtur esse provisum. Hic Ctesippus, Mirabilia dicitis, inquit, o viri Thurii, sive Chii, seu quodcunque aliud agnomen vendicare lubet: vobis enim deliramenta et nugæ nihil sunt curæ. Ego autem veritus ne ad contumelias deveniretur, Ctesippum rursus sic mitigavi: O Ctesippe, eadem tibi nunc dico, quæ Cliniæ quoque dicebam, quod nescis, quam mirabilis sit horum hospitum sapientia. Verum noluerunt serio agentes nobis illa ostendere, sed imitantes Proteum Ægyptium sophistam præstigiis quibusdam nos fallunt. nos igitur Menelaum imitemur, neque hos viros ante mittamus quam studia sua nobis aperiant. Arbitror enim pulcherrimum quiddam visum iri horum opus, cum seria tractare cœperint. Quapropter exhortationibus atque votis supplices exoremus, ut suum nobis studium patefaciant. Exponendum autem rursus mihi videtur, qualem studiorum ab illis figuram requiro. Conabor igitur inde deinceps continuare sermonem, ubi supra destitimus, si quo pacto eos provocare possim, ut mei misereantur circa gravia contendentis, ipsique deinde rem studiose tractent. Tu vero, Clinia, mihi memora, ubinam orationem in superioribus intermisimus. nam, ut ego arbitror, hic ovationem abrupimus, cum jam conclusum fuisset a nobis philosophandum esse. nonne? Cli. Profecto. So. Philosophia vero scientiæ acquisitio. Cli. Certe. So. Quam itaque potissimum adipisci scientiam decet? nonne, ut summatim dicam, illam quæ nobis prodest? Cli. Illam ipsam. So. An scientia illa maxime nobis prodesset, si sciremus quibus in terris aurum multum effoditur? Cli. Utique. So. Veruntamen supra id confutavimus, quia nihilo magis prodesset nobis scientia ista, etiamsi absque labore tellurisque effossione aurum omne comperiremus, vel etiam si lapides [289] efficeremus aureos, dum uti auro ignoraremus. non recordaris? Cli. Recordor, et maxime quidem. So. Neque ulla alterius cujusquam

Digitized by Google

scientiæ est utilitas, sive nummulariæ, seu medicinæ, sive cujusvis alterius, quæcunque facere quioquam docet, uti autem eo quod factum est minime. Nonne ita? Cti. Ita prorsus. So. Immo etiam si qua scientia esset, quæ homines immortales efficeret, uti vero immortalitate ipsa nequaquam, inutilis esset prorsus, si qua fides est superioribus adhibenda. Cli. Sic nobis hæc omnia videbantur. So. Ea igitur scientia opus est, ingenue puer, in qua et operis effectio et operis usus conveniant. Cli. Apparet. So. Permultum igitur abest ut lyrarum fabros esse nos oporteat talemque scientiam assequi. In his enim ars efficiens ab arte quæ utitur circa idem distinguitur. Nam ars quæ fabricat lyram, et quæ lyram pulsat, longe inter se differunt. an non? Cli. Sic est. So. Neque rursus tibiarum effectrice egemus. ea siquidem ab illa quæ utitur, discrepat. Cli. Sane. So. Num forte componendæ orationis exquirenda facultas, si quis beatus esse desiderat? Cri. Non arbitror. So. Quænam te ratio movet? Cli. Novi equidem quosdam orationum auctores, qui orationibus hisce quas condiderunt, uti perinde nesciunt, ac lyris fabri ipsi lyrarum, qui ad aliorum usum lyras construxerunt: quas et qui illis utuntur, facere nesciunt. Constat similiter et circa orationes aliam esse artem quæ condit, aliam quæ conditis utitur. So. Evidentissimo quodam argumento ostendisse videris, artem illorum, qui componunt orationes, ad beatitudinem nequaquam sufficere. quamquam ego putabam hoc in genere nos eam scientiam, quam jam dia quærimus, inventuros. Etenim viri hujusmodi, Clinia, orationum auctores, quotiens eos alloquor, supra ceteros homines sapientes mihi videntur, ipsaque eorum ars divina penitus atque excelsa. Neque id mirum. Est enim artis incantandi particula, paulo illa inferior. [290] incantationum porro facultas viperarum, aranearum, scorpionum ceterarumque ferarum atque morborum illectio et mitigatio est. Oratoria vero judicum, concionatorum aliarumque turbarum oblectamentum quoddam et delinitio. an vero tu aliter sentis? Cli. Non aliter: sed ita prorsus, ut ais. So. Quo ergo nos vertemus, ad quam videlicet artem? Cli. Ambigo. So. At ego invenisse arbitror. Cli. Quam? So. Præfectura exercitus ea potissimum esse mihi videtur, quæ beatum adeptione sua quemlibet efficit. Cli. Mihi vero non videtur. So. Quamobrem? Cli. Quia venatoria quædam ars hominum hæc esse videtur. So. Quid tum? Cli. Nullus sane venationis opus ulterius porrigit, quam ad investigandum capiendumque: postquam autem venatores, quod insecuti sunt, comprehenderunt, eo uti nequeunt: sed et qui venantur canibus, et qui piscantur, prædam coquis exhibent. Geometræ item, astronomi, computatores venatores quidam sunt. neque enim figuras descriptionesque hi faciunt, sed existentia hæc adinveniunt. Cum itaque uti illis ipsi nesciant, venari autem solum valeant, quicunque illorum mente capti non sunt, sua inventa dialecticis præbent, ut illi illis utantur. So. Eja, pulcherrime et sapientissime Clinia, est ita? Cli. Ita prorsus. Atque eadem ratione duces exercitus, postquam vel urbem vel exercitum occuparunt, viris civilibus prædam et spolia tradunt. nam ipsi his quæ comprehenderunt, uti nesciunt: quemadmodum aucupes, qui postquam ceperunt coturnices, nutritoribus tribuunt. Si igitur ea arte indigemus, quæ comparata seu in efficiendo sive in venando versetur, sciat et uti, ideoque beatos efficiat possidentes, aliam quandam præter militarem oportet inquirere. Cr. Quid ais, o Socrates? nunquid adolescentulus ille talia dixit? So. Non putas, Crito? Cr. Non, per Jovem. nam reor illum, si talia dixit, neque Euthydemi neque alterius cujuslibet hominis disciplina ulterius indigere. So. Forte vero Ctesippus hæc dixit, ego vero non memini. [291] Cr. Quis Ctesippus? So. Saltem hoc memini, neque Euthydemum attulisse hæc neque Dionysodorum. Sed, o beate Crito, suspicor præ-

Digitized by Google

stantiorem quempiam virum præsentem hæc dixisse. nam hæc me audivisse non dubito. Cr. Per Jovem, o Socrates, excellentior aliquis ista protulisse videtur. Verum post hæc quam artem perscrutati estis? invenistisne artem quam quærebatis, an non? So. Quæris an invenerimus? Risu quiddam dignum nobis accidit. etenim puerorum more, qui galeritas sive alaudas insequuntur, vehementi quodam affectu singulas scientias persequebamur: et illa semper quam capturos nos e vestigio putabamus, fallebat nos et repente subterfugiebat. Quid tibi multas referam? Regiam certe artem ingressi sumus, eam contemplati, utrum hæc ea esset quæ beatos efficiat. Sed velut in Labyrinthum delapsi, dum prope finem esse jam sperabamus, retrogradi rursus ad principium revertebamur, eodem modo affecti, quo in quæstionis initio fueramus. Cr. Quo pacto vobis hoc accidit? So. Dicam. Visa nobis est regia facultas eadem esse atque civilis. et cum res militaris ac omnes reliquæ facultates operum suorum imperium civili arti concedere viderentur, utpote quæ sola uti sciat: nihil nobis impedimento fore putavimus, quo minus hæc esset quam quærebamus, causaque recte in civitate agendi, et secundum illud Æschyli, sola puppi præsidens civitatis, totiusque gubernacula regens, dominaretur omnibus, singulaque utilia redderet. Cr. An non recte visum est vobis, o Socrates? So. Ipse judicabis, Crito, si audire volueris, quæ nobis deinceps contigerunt. nam rursus hunc in modum quæsivimus. Age, ars regia omnibus præsidens, opusne nobis aliquod efficit, an nullum? Omnino aliquod exhibere invicem omnes consensimus. Nonne et tu hæc, Crito, concederes? Cr. Absque dubio. So. Quod ergo illius opus esse diceres? quemadmodum si te rogarem, Medicina dum dominatur omnibus, quorum domina est, quodnam opus exhibet? an non sanitatem protinus responderes? Cr. Utique. So. Ars item vestra agricultura, dum dominatur omnibus quorum est domina, quod opus implet? nonne [292] alimoniam ex terra nobis porrigere diceres? Cr. Equidem. So. Regia ergo facultas, cum omnibus quorum est domina dominetur, quod opus explet? Forte id in promptu non habes. Cr. Non per Jovem, o Socrates. So. Neque nos, o Crito. sed hoc saltem nosti, si hæc ea est quam exoptamus, utilem esse hanc oportere. Cr. Summopere. So. Nonne igitur boni aliquid afferre nobis eam necesse est? Cr. Necesse omnino. So. Bonum autem nihil esse aliud quam scientiam quandam, ego et Clinias una consensimus. Cr. Ita certe dicebas. So. Opera quidem civilis gubernationis hæc esse plurimum quisque diceret, divites facere cives, liberos et concordes. hæc autem omnia neque bona neque mala apparuerunt. Oportet autem eam, ut constitit, sapientes efficere scientiamque tribuere, si modo ea futura sit quæ prosit et beatos efficiat. Cr. Vera narras. Sic enim tunc inter vos constitit, ut ipse recensuisti. So. Nunquid regia disciplina sapientes facit homines atque bonos? Cr. Quid prohibet, Socrates? So. Num et omnes, et in omnibus bonos, omnemque scientiam ipsa præbet? coriariam, fabrilem et reliquas universas? Cr. Haud equidem arbitror, o Socrates. So. At quam scientiam? et qua in re juvabimur? Operum quidem illorum, quæ neque bona sunt neque mala, opificem esse ipsam haud oportet: scientiam vero aliam præbere nullam quam ipsam seipsam convenit. Dicamus igitur quænam hæc sit, et quo juvemur. Visne eam dicamus, o Crito, qua bonos alios faciemus? Cr. Volo equidem. So. Quo boni nobis erunt? quove utiles? an dicemus iterum quod alios bonos facient? aliique illi alios iterum? Quo autem boni sint, nusquam apparent, postquam illa quæ civilis artis opera prædicantur, neglexerimus: et, quod proverbio fertur, cum aiunt Jovis Corinthus, nobis accidit: atque ut supra dixeram, æquo intervallo, immo etiam longiori quam antea ab ejus artis inventione distamus, quæ præstare nobis beatitudinem valeat,

Digitized by Google

Cr. Per Jovem, o Socrates, in ambigultatem plurimam incidisse videmini. So. Ego quidem, o Crito, cum in hanc dubitationem mersus essem, quam alta [293] potui voce protinus exclamavi, hospites illos tanquam Castorem et Pollucem Jovis filios suppliciter obsecrans, ut nos, me scilicet et adolescentulum ipsum, ex turbulenta fluctuatione sermonum eriperent, jocisque omissis, seria disputandi ratione nobis ostenderent, quæ potissimum scientia sit, quam adepti quod vitæ superest feliciter transigamus. Cr. Nunquid monstrare vobis Euthydemus voluit? So. Quidni? magnifice nimium, o amice, hunc in modum effari cœpit. Eu. Utrum te, o Socrates, banc quam jampridem quæritis scientiam, doceam, an habere te ipsam ostendam? So. O beate vir, tantane apud te est auctoritas? Eu. Valde. So. Ostende igitur me habere. facilius enim mihi istud, quam denno hac in ætate discere. Eu. Dic age, scisne quicquam? So. Scio equidem multa, sed parva. Eu. Sufficit. putasne aliquid eorum quæ sunt, idipsum quod est, non esse? So. Nullo pacto. Eu. An non scire te aliquid asseris? So. Profecto. Eu. An non es sciens, si modo scis? So. Sum equidem, sed illius ipsius quod scio. Eu. Nihil refert. non necesse est scire te omnia, si qua eorum quæ sunt scis. So. Non per Jovem: quandoquidem et alia multa minime scio. Eu. Si quid nescis, es nescius? So. Illius ipsius, o amice, quod nescio. Eu. Nihilominus nescius es, et paulo ante scium esse te prædicabas: atque ita fit, ut ille ipse sis qui et es, et rursus non sis, simul et secundum eadem. So. En, Euthydeme. ut proverbio fertur, quod Belle loqueris. qua igitur ratione scientiam illam quam quærimus, habeo? quia videlicet impossibile est, esse idem atque non esse. Unde si unum quiddam scio, cuncta scio. neque enim esse possum scius simul et nescius. quod si omnia scio, illam quoque scientiam habeo. An non ita loqueris? et hoc est ipsum sapiens? Eu. Ipse te redarguis, Socrates. So. Quid vero, Euthydeme, ubi nonne idem contigit? nam mihi quidem non multum molestum est, quod tecum una et cum Dionysodoro hoc, lepido capite, patiar. Dic mihi, nonne et vos quædam scitis, quædam nescitis? Dio. Minime quidem, o Socrates. So. Quid dicitis? an nihil scitis? Dio. Immo scimus. So. Omnia itaque [294] scitis, si aliquid scitis. Dio. Omnia certe: et tu quoque scis omnia, si unum aliquid scis. So. Pro Jupiter, quam mirabile dictu, quamve ingens hoc bonum! num et ceteri omnes sciunt omnia? vel nihil? Non enim dicendum videtur, scire eos aliqua, nescire alia, atque ita scientes esse simul et nescientes. Quid ergo dicemus? Dio. Omnes plane scire omnia, si quid unum sciunt. So. Dii boni, nunc demum, Dionysodore, serio loqui mihi videmini, et vix tandem ut studiose ageretis, nunc impetravi. Ipsi re vera scitis omnia? et fabrilem videlicet artem et coriariam? Dio. Omnia prorsus. So. Nunquid et nervis suere scitis? Dio. Certe, et calceos quidem. So. An et stellarum numerum et arenæ? Dio. Et ista. So. Putas nos ista concedere? Cte. Conjecturam nobis aliquam talem adducite, qua vera vos loqui conjiciamus. Dio. Qualem? Cte. Scisne, quot dentes Euthydemus habet? atque Euthydemus quot habes ipse cognoscit? Dio. Non tibi sat est, quod omnia scimus, audisse? Cte. Minime, sed unum hoc tantum nobis ostendite, quod vera loquamini. nam si dixeritis quot habet dentes uterque, nobisque postea numerantibus vera dixisse apparueritis, alia quoque vobis credemus. Illi vero cum mordere Ctesippum existimarent, respondere aliud noluerunt, nisi quod scirent omnia, de singulis a Ctesippo interrogati. Ctesippus siquidem aperte de unaquaque re, vel de minimis quibusque sciscitatus est, num scirent. Illi autem forti animo pariter contra responderunt, se omnia intelligere: instar aprorum, qui simul contra ictum innituntur. Quamobrem ipse quoque, o Crito, denique propter in-

Digitized by Google

credulitatem coactus sum Euthydemum interrogare, an etiam saltare Dionysodorus sciret. Ille vero consensit. Non tamen, inquam, super esses humi inclinato capite transilire, et super rotam volvi tam grandis natu, usque adeo sapientia superexcellens? Nihil est, inquit, quod nesciat. Tum ego: Num omnia nunc dumtaxat cognoscitis? an et semper. Et semper. Num a tenera ætate, statimque nati, omnia cognovistis? Omnia, responderunt simul uterque. Nobis utique res [295] incredibilis visa est. Tunc Euthydemus, Non credis, o Socrates? Excepto hoc, inquam, quod verisimile est vos sapientes esse. At si mihi voles respondere, ait, ostendam te quoque hæc mirabilia confitentem. Grata mihi, inquam, hæc redargutio erit, quod si qua in re me mea sapientia latuit, haudquaquam ostendes me omnia scire ac semper; quod enim majus lucrum in vita nanciscerer? Responde jam, inquit. Tanquam responsurum interroga. Nunquid alicujus scius es, o Socrates, an nullius? Alicujus. An eodem scis quo scius es, an alio quopiam? Quo scius sum. arbitror enim te animam dicere. hancne intelligis? Nonne te pudet, o Socrates, dum interrogaris, vicissim interrogare? At quid faciam? inquam. faciam equidem utcunque jusseris, quando quod quæris ignorem. jubes autem ut respondeam quidem, non interrogem. Cogitasne quoquo modo, inquit, id quod quæro? Equidem. Ad istud ergo responde, quod cogitas. Quid, inquam, si tu alia mente interroges, alia ego respondeam, cum aliud quam tu conceperim, satisne tibi factum putabis, si nihil ad rem ipsam respondero? Mihi quidem sat erit, inquit: tibi non, ut arbitror. Tum ego, per Jovem non prius respondebo, quam quo modo respondendum sit, intellexero. Non respondes, inquit, ad ea semper quæ mente concipis: quoniam nugaris, Socrates, et vanior es admodum quam oporteat. Agnovi tunc illum mihi jam subiratum, quod verba quibus me irretiri studebat, dispergerem. Venit mihi præterea in mentem Connus, qui adversus me sæpenumero indignatur, quotiens illi non pareo: deinde me spernit ut rudem. Postquam igitur cogitavi horum doctrinæ me tradere, arbitratus sum obsequi oportere, ne quis eorum me ut ineptum et indocilem respuat. Quocirca et illi inquam. Si tibi ita, Euthydeme, videtur agendum, ita agatur. tu namque me multo melius disputandi rationem intelligis, cum tu artem hanc teneas, ego vero sim rudis. Ideoque interroga iterum ab initio. Responde rursus, inquit, utrum scis aliquo quæ scis, an nullo? Anima, inquam. [296] Hic, ait ille, rem anticipat et plus quam rogatus sit, respondet. non interrogo, quo scias, sed utrum scias aliquo, necne. Ego ad hæc: plus quam decebat propter imperitiam meam respondi. sed ignosce mihi, obsecro. respondebo jam nunc simpliciter, quod scio aliquo semper quæcunque scio. Utrum, ait, hoc eodem semper, an tum hoc, tum alio? Semper, inquam, quando scio, hoc scio. Hic ille, Nondum prævaricari desinis? Ne forte, inquam, id quod semper dicitur, nos falleret, ita respondi. Non nos, inquit, dicas, sed te. sed responde, utrum semper hoc scias. Semper, inquam, postquam ipsum Quando oportet subtrahere. Nonne semper hoc scis? semper autem sciens utrum aliqua hoc scias, quo scis, aliqua alio, vel hoc ipso omnia? Hoc, inquam, cuncta quæcunque scio. Hic rursus transgrederis, Socrates. Excipiatur, inquam, quod dictum est, Quæcunque scio. Ut excipias nihil postulo. immo responde, possesne omnia scire, nisi scires omnia? Monstrum esset hoc, inquam. Adjice nunc jam, ait, quidquid lubet. cuncta namque scire fateris. Sic videor, inquam, postquam nullius momenti est quod dicitur, Quæcunque scio: omnia autem scio. Nonne et semper confessus es scire hoc quo scis; sive quando scis? seu quomodocunque placet. semper enim scire es confessus, ac omnia simul. constat ergo, quod puer sciebas, et quando genitus es, et quando natus: immo et antequam nascereris, et

Digitized by Google

ante cœli terræque ortum sciisti omnia, si modo semper scis. ac per Jovem semper scies, et omnia, si voluero. At voles, inquam, honorande nimium Euthydeme, si omnino vero dicis. sed posse te non multum confido, nisi idem tecum velit frater iste tuus Dionysodorus. sic enim forte valebis. Dicite porro. Cetera quomodo vobis non concedam nescio, tam mirabili atque nova sapientia præditi estis, quo minus ego omnia sciam, quandoquidem vos asseritis. Talia quædam qua ratione scire me dicam, Euthydeme, quod videlicet boni viri injusti sint? Dic, scione istud, an nescio? Scis utique. Quid? Quod viri boni injusti non sunt. Jampridem sciebam hoc, inquam. verum non istud [297] quæro, sed quod injusti sunt viri boni, quando didici? Nusquam, Dionysodorus ait. Non ergo, inquam, hoc scio. Tunc Euthydemus ad Dionysodorum conversus ait, Sermonem destruis: apparebitque iste si nesciat, sciens simul et nesciens. Dionysodorus quidem embuit. Sed ego, Tu vero quid ais, Euthydeme? non videtur tibi frater tuus vera loqui, cum noverit omnia? Frater ego sum Euthydemi, Dionysodorus ait. Mitte, inquam, o bone vir, quoad me Euthydemus doceat, quod sciam viros bonos injustos esse: neque hanc mihi doctrinam invideas. Fugis, o Socrates, ait Dionysodorus, neque vis respondere. Non injuria, inquam, fugio: nam cum alterutro sim imbecillior, cur non ambos fugiam? Hercule quidem multo sum imbecillior, qui pugnare simul non valuit adversus hydram sophisticam, cui propter sapientiam pro uno sermonis capite amputato multa repullulabant: ac etiam adversus Cancrum sophistam quendam ex mari adventantem et nuper, ut arbitror, advectum navi: a quo cum Hercules ad sinistram angeretur verbisque acriter morderetur, nepotis sui Jolai auxilium imploravit; qui summopere illi succurrit: meus autem Jolaus Patrocles si venerit, longe aliter faciet. Responde ergo, inquit Dionysodorus, postquam ipse hæc prædicas, utrum Jolaus Herculis magis nepos quam tuus fuerit. Operæ pretium fore arbitror, ut tibi respondeam, Dionysodore. neque enim desineres sciscitari, et propter invidiam quandam interturbare, ne Euthydemus sapiens illud me doceat. Responde igitur, inquit. Respondeo, inquam, Jolaum Herculis nepotem fuisse: meum autem, ut videtur, nequaquam. neque enim pater ipsi Patrocles fuit frater meus, sed aliquis nomine proximus Iphicles Herculis frater. Patrocles autem, inquit, tuus? Nimirum, sed ex matre eadem, non patre. Frater ergo tibi est et non frater. Non eodem ex patre, inquam, vir optime. illius enim pater Chæredemus, Sophroniscus autem meus. Pater autem, inquit, erat Sophroniscus atque Chæredemus? Omnino, ille meus, hic suus. [298] Nonne Chæredemus alius quam pater erat? Alius scilicet quam pater meus. 'Nunquid pater erat, cum alius quam pater esset? an tu idem es, quod lapis? Verebar, inquam, ne idem te asserente viderer: mihi vero non videor. Nonne igitur alius es quam lapis? Alius certe. Quod si alius es quam lapis, non es lapis: et si alius quam aurum, non es aurum. Sic est. An non eadem ratione Chæredemus, cum alius sit quam pater, pater non erit? Videtur, inquam, non esse pater. Ad hæc Euthydemus adjecit, Haud pater est Chæredemus, rursusque et Sophroniscus, cum alius sit quam pater, non est pater. Quapropter sine patre es, o Socrates. Sermonem vero suscipiens Ctesippus intulit, Pater autem vester, cum eadem sibi contigerint, alius est quam pater meus? Longe abest, Euthydemus ait. Num idem? Idem sane. Non consentirem. Sed utrum meus, Euthydeme, pater est dumtaxat, an et ceterorum hominum? Et ceterorum insuper. nunquid putas eundem hominem patrem existentem non esse patrem? Putaram equidem, Ctesippus ait. An et aurum, inquit, aurum existens non esse aurum? et hominem existentem hominem non esse? Tum Ctesippus, Non, ut fertur, Euthydeme, lino linum connectis. rem gravem dicis, si

Digitized by Google

pater tuus pater est omnium. Est tamen. Utrum hominum dumtaxat, an equorum etiam ceterorumque animalium omnium? Omnium prorsus. An et mater tua mater omnium? Et mater. Ergo tua mater echinorum marinorum mater est. Et tua, inquit. Et tu rursus frater es gobiorum, catulorum et porcellorum. Et tu, ait. Quin etiam tibi pater est canis. Et tibi insuper. Hic Dionysodorus, Si mihi respondere, Ctesippe, volueris, faciam ut ista concedas. dic age, est tibi canis? Et molestus admodum canis, Ctesippus ait. Habet catulos? Tales habet multos. An non illorum pater est canis? Prorsus. signa namque vidi, ex quibus illorum patrem esse conjicio. Nonne tuus est canis? Est. Nonne igitur pater existens tuus est? quare tuus pater fit canis, tuque catulorum frater. Sed ne quid Ctesippus anticiparet, repente adjecit Dionysodorus: Paulum quid ultra responde. Canem hunc verberas? Arridens Ctesippus ait, verbero. te autem nequeo. An non igitur tuum patrem verberas? [299] Longe, respondit, justius esset, ut patrem vestrum verberarem, qui disciplinam quandam adeptus, adeo sapientes filios genuit. profecto, Euthydeme, multa bona ex vestra sapientia vester et catulorum pater est consecutus. Neque ille bonis multis indiget, o Ctesippe, neque tu. Neque tu etiam, Euthydeme, neque alius quisquam hominum, inquit. Dic etenim, Ctesippe, mihi, utrum bonum esse censeas vel ægrotanti pharmacum bibere, quando indiget, an non? vel homini pugnaturo bonum esse ut armatus prodeat, an inermis? Arbitror equidem. nempe exspecto aliquid abs te egregium. Ipse videbis optime, inquit. Verum responde, postquam confessus es bonum esse, quando res postulat, pharmacum bibere, nunquid hoc bonum quam plurimum oportet bibere? optimumque erit, si quis terat et infundat poculo ellebori tantum, quantum curru aliquo vehitur? Prorsus ita, Ctesippus ait, si tantus sit qui bibiturus est, quanta est statua Delphica. Nonne similiter et in bello, inquit, si bonum est armis fulciri, plurima arma habenda sunt, jaculorumque et clipeorum circumferenda est sarcina? quandoquidem id bonum est. Et maxime quidem, Ctesippus ait. Tu vero non putas, Euthydeme, sed unum dumtaxat jaculum esse ferendum? Equidem, inquit. Ita Geryonem, inquit, Briareumque armares? ego autem putavi robustiorem te esse, sociumque similiter istum, utpote viros armigeros. Euthydemus quidem tacuit. Dionysodorus autem adversus ea quæ primum Ctesippus responderat, intulit: Bonum tibi esse videtur aurum habere? Valde quidem, respondit Ctesippus. An non et habere pecunias semper atque ubique? Maxime, inquit. Nonne bonum esse aurum confiteris? Confessi jam sumus. Semper ipsum habere et ubique oportet, et in seipso quam maxime? beatissimusque is esset, qui tria auri talenta in ventre haberet, talentum unum sub capitis osse, staterem autem, id est nummum quendam et pondus auri, utrisque in oculis. Ferunt, inquit Ctesippus, o Euthydeme, apud Scythas eos felicissimos optimosque viros esse, qui in sui capitis ossibus aurum multum continent, quemadmodum tu paulo ante canem dicebas patrem: quodque magis est mirum, suis ex capitibus deauratis bibunt, et hæc introspiciunt, verticem frontemque suam manibus attollentes. Ad [300] hæc Euthydemus, Utrum, Ctesippe, vident et Scythæ et ceteri homines, quæ possunt videre, vel quæ non possunt? Quæ possunt plane. Nonne et tu? Et ego similiter. Viden' nostras vestes? Video. Possunt igitur hæ videre? Mirifice, Ctesippus ait. Quid porro? inquit. Nihil. Ipse vero non putas has videre? usque adeo jucundus es vir. Videris mihi, Euthydeme, quodammodo extra somnum obdormisse, posseque te puto dicentem nihil dicere. Et tu istud facere videris. Nunquid impossibile est, Dionysodorus ait, tacentem dicere? Impossibile, Ctesippus inquit. Dicentem vero tacere? Possibile multo minus. Quando igitur lapidem dicis, nonne tacentem

Digitized by Google

dicis? et quando lignum et ferrum, similiter? Haud silere tibi ferrea concedam, Ctesippus ait. nam si quis pulset, sonare illa quidem et reboare dicuntur. Quare quam in hoc nihil diceres, te propter sapientiam latuit. Sed quod restat, ostendite, possibile videlicet esse, dicentem tacere. Certe mihi visus est tunc vehementer Ctesippus propter amicum contendere. Quando siles, inquit Euthydemus, nonne omnia siles? Equidem. Nonne et rem quamlibet dicentem siles? siquidem illa quæ dicunt, in numero omnium computantur. Quid vero, interrogavit Ctesippus, non silent omnia? Non, ait Euthydemus. An loquuntur omnia, vir optime? Immo certe, quæ loquuntur. Non istud quærebam, inquit, sed utrum omnia sileant vel loquantur. Tunc subripiens sermonem Dionysodorus ait, Neutra et utraque. certe enim scio, te quid huic responsioni objicias, ignoratorum. Statim Ctesippus, ut solet, effusius in risum erumpens clamavit, O Euthydeme, frater iste tuus contrarium sibimet sermonem ingeminavit eumque disperdidit, et ratio vestra succubuit. Clinias quoque admodum delectatus arrisit: quare Ctesippus gestiens longius quam in decuplum lætitia crevit. Visus autem mihi est Ctesippus hæc ipsa ab illis seductione quadam per astutiam extorsisse. neque enim sapientia talis apud alios est nostri temporis homines. Post hæc ego, Quid, inquam, rides, o Clinia, in rebus tam seriis tamque pulchris? Sed ad me conversus Dionysodorus, Tu vero aliquando rem pulchram vidisti, Socrates? Multas equidem, Dionysodore. Nunquid alias quam ipsum pulchrum? an easdem? [301] Ego vero passim hæsitavi: nec injuria me id perpessum fuisse sum arbitratus, quippe qui tacere diutius non potuerim: simul autem respondi, alias esse quam ipsum pulchrum, pulchritudinem tamen singulis quandam adesse. Si tibi adsit bos, inquit, nunquid ipse bos eris? et quia ego tibi nunc adsum, Dionysodorus es? Bona, inquam, verba queso. Sed ille, Quo pacto alterum adest alteri, cum alterum sit et alterum? Nunquid tu, inquam, de hoc dubitas? Nempe jam illorum imitari sapientiam contendebam, utpote cupiditate illius accensus. Cur non dubitem, inquit, et ego et ceteri omnes, quod nequaquam existit? Quid ais, Dionysodore? nonne pulchrum pulchrum est, turpeve turpe? Si mihi videatur, ait. Nonne videtur? Prorsus. Nonne et idem idem est, et alterum similiter alterum? non tamen quod est alterum, idem? At ego nec puerum quidem suspicari hoc arbitrabar, quin quod alterum est, sit alterum. Verum, o Dionysodore, sponte id omisisti. videmini autem mihi tanquam artifices, quibus conveniat peragere singula, disputandi rationem decore transigere atque tradere. Nostin', inquit, quid singulis opificibus peragere conveniat? principio quidem scis quem deceat ære cudere? Fabrum, inquam, ærarium. Quem vero luto fingere? Figulum. Quem rursus jugulare atque excoriare et in frusta incisas carnes assare vel elixare? Coquum. Nonne quisquis convenientia facit, recte agit? Maxime. Convenit autem, ut ais, coquum tundere et excoriare. concessisti hæc, necne? Concessi, inquam: sed ignosce, precor. Constat igitur, quod, si quis jugulans et incidens coquum elixet illum vel asset, convenientia faciet. quin etiam si quis fabrum ærarium ære cudat et figulum fingat, decentia similiter operabitur. O Neptune, inquam, jam sapientiæ finem apposuisti. nunquid ista mihi quandoque sic aderit ut propria fiat? Cognoscerosne, inquit, ipsam, o Socrates, propriam jam effectam? Si ipse velis, inquam, ego autem volo. Quid porro, tua putas cognoscere? Equidem, nisi forte tu aliud dixeris. abs te namque oportet incipere, in hunc autem Euthydemum desinere. An non tua illa esse putas, inquit, quorum es dominus, tibique uti arbitratu tuo licet, ut boves [302] et oves? hæcne tua existimas, quæ vendere potes atque largiri et cuivis deorum vovere? quæ vero non potes, non tua? Tunc ego, arbitratus præclaram aliquam inde quæstionem exorituram, et au-

Digitized by Google

diendi aviditate protinus inflammatus, Prorsus ita est, inquam. talia nempe quædam mea sunt. Nunquid animalia nominas illa quæ animam habent? Illa ipsa. Fateris igitur ex animalibus illa duntaxat esse tua, circa quæ potes hæc omnia facere, quæ modo dicebam? Fateor. Hic ille ironice admodum seipsum recepit, quasi magnum quiddam contemplaturus: deinde ait, Dic age mihi, o Socrates, estne tibi Juppiter patrius? Atqui ego suspicatus eo perventurum esse sermonem quo devenit, et per ambiguum quoddam diverticulum secedens, rete implicitus me convolvi, respondique, Non est, o Dionysodore. Miser, inquit, homo es, neque Atheniensis, cui neque dii patrii sunt neque sacra neque aliud quicquam præclarum atque magnificum. Mitte, inquam, ista, Dionysodore, ne male omineris, neque acriter eruditus. Sunt etenim mihi et ara et sacra domestica patriaque, et alia, quæcunque id genus Atheniensibus adsunt. Ceteris, inquit, Atheniensibus est patrius Juppiter? Non est, inquam, apud Ionas talis cognominatio, neque apud eos, qui hac ex urbe manarunt, neque apud nos: sed Apollo patrius propter Ionis genituram. Juppiter autem nobis patrius non vocatur, protector urbis tamen et curator tribus est dictus, et tribus curatrix Minerva. Sat est, inquit Dionysodorus. est enim tibi, ut videtur, Apollo, Juppiter et Minerva. Omnino. An non tui isti erunt dii? progenitores videlicet atque domini? Nonne tui? An non tuos esse confessus es? Confessus sum. quid tum? Nonne animalia isti dii sunt? concessisti porro quæcunque animam habent, animalia esse. isti vero dii non habent animam? Habent utique. Sunt igitur animalia? Sunt certe. Ex animalibus autem illa tua esse dicebas, quorum apud te esset potestas, ut pro arbitrio venderes, largireris diisque dicares. Recusare, Euthydeme, non possum, quin ista concesserim. Statim ille sic intulit: Postquam tuum esse Jovem tuosque esse et alios fateris deos, licetne tibi vendere illos atque [303] largiri et pro libidine tua, ut animalia cetera quæ tua sunt, tractare? Ego igitur, Crito, tanquam sermone percussus obmutui. Ctesippus autem succurrere mihi conatus ait, Papæ, pro Hercules, quam præclarissimus sermo! Ad quem Dionysodorus, Utrum Hercules papæus est, an papæus Hercules? Tunc ait Ctesippus, Pro Neptune, quam fortes durique sermones! desisto jam. inexpugnabiles viri sunt. Hic profecto, amice Crito, nullus præsentium continere ultra se potuit, quin illorum orationem laudibus summis extolleret: et hospites illi Dionysodorus Euthydemusque risu, strepitu et lætitia exultantes gestientesque ferme resoluti sunt. In superioribus namque, dum singula proferebantur, soli eorum sectatores protinus applaudebant. hic autem pæne ipse quoque Lycii columnæ conclamare, plaudere gestireque videbantur. Ego quidem sic affectus fui, ut assererem nullos unquam homines pari sapientia me vidisse. Atqui et illorum sapientiæ penitus mancipatus, laudare illos et celebrare summopere cœpi. O viri, inquam, ob miras dotes naturæ beati, quippe qui rem tantam tam facile tamque brevi tempore absolvistis! Multa quidem et alia sunt in vestris sermonibus, Euthydeme Dionysodoreque, præclara: in quibus id præcipue magnificum est, quod nulla vobis cura est multorum hominum, qui illustres habentur; sed similium vobis duntaxat. Equidem certo scio, sermones hujusmodi paucos admodum diligere, et illos quidem vobis similes: ceteros autem ita illos ignorare spernereque, ut erubescere vehementius illos putem, si ceteros illis convincant, quam si ipsi ab aliis convincantur. Hoc præterea populare et mansuetum vestri sermones habent, quod cum dicitis rem nullam bonam esse vel malam, neque albam, neque aliud quicquam talium, neque omnino aliquid ab aliis aliud, re vera, ut prædicatis, hominum ora contunditis. Quia vero non aliorum tantum ora, sed vestra insuper: gratiosa res est, et sermonis odium offensionemque audientium devitatis. Maximum vero hoc est,

Digitized by Google

quod hæc usque adeo vobis artificiose sunt adinventa atque instituta, ut brevi cuilibet tradere valeatis. Cognovi equidem, et Ctesippo mentem adhibeo, consideroque, quam subito imitari vos cœperit. [304] Hujus rei mysterium quam ocissime docere posse vobis præclarum est: neque tamen operæ pretium fore videtur, ut coram multis hominibus disseratis: immo vero, si mihi credideritis, cavebitis prorsus, ne in multorum cœtu loquamini; ne forte quamprimum ista percipientes gratias nequaquam habeant. Ista igitur inter vos tantum invicem communicate: neque alius quisquam ea, nisi argento expo·ito, audiat. Idem quoque, si sapitis, vestris discipulis consuletis, ne unquam cum aliis quam secum atque vobiscum de his loquantur. Quod enim rarum, Euthydeme, id honorandum. aqua enim vilissimo pretio emitur, cum res sit natura pretiosissima, ut ait Pindarus. Sed agite, inquam, Cliniam hunc meque suscipite. Cum hæc, o Crito, et alia quædam brevia disseruissemus, abivimus. Delibera igitur, ut mecum una ad hos viros accedas. nam pollicentur omnes se docturos, quicunque argentum dare parati sint: neque ingenium ullum vel ætatem excipiunt. quod vero tibi maxime audire expedit, aiunt nihil cumulandæ pecuniæ studium prohibere, quo minus quivis sapientiam illorum facile percipere possit. Cr. Equidem, o Socrates, audiendi cupidus sum, et libentissime discerem. videor tamen et ipse eorum unus esse, qui Euthydemi similes non sunt, sed illorum potius, quos tu paulo ante dicebas, qui captiunculis hujuscemodi redargui malunt ab aliis, quam alios redarguere. Enimvero ridiculus essem, si admonere te pergerem: nihil tamen prohibet, quæ ex iis, qui cœtu soluto a vobis discesserunt, audivi, tibi nunc referre. Deambulanti mihi obvius factus eorum quispiam, qui in judicialibus causis excellere plurimum æstimantur: O Crito, inquit, nihil ex istis sapientibus audivisti? Nihil per Jovem, inquam. audire enim me affectantem frequens turba tumultusque prohibuit. Res tamen, inquit, audita digna. Cur? Ut audisses eos homines disputantes, qui in hoc sermonum genere ceteris præstant. Ad hunc ego, Quid tibi visum est? Quid aliud, respondit ille, quam quæ semper ex iis hominibus audiuntur, dum nugantur ac de rebus nullius momenti indigno quodam studio invicem altercantur? Talibus ille mecum est usus nominibus. Tunc ego: Verumtamen gratiosa res est philosophia. Quid gratiosa, inquit, o vir beate? an forte nullius pretii? [305] Atqui si paulo ante interfuisses, erubuisses, ut arbitror, amici tui gratia: qui usque adeo ineptus erat, ut seipsum tradere hominibus cuperet, quibus nihil pensi est quid loquantur, sed singula captant objiciuntque vocabula; cum tamen illi, ut supra dicebam, ceteros tales nostræ ætatis viros excellant. Profecto, o Crito, et studium hoc vilissimum est, et qui in eo versantur, ridiculi. Mihi quidem, o Socrates, haud recte rem ipsam improbare visus est ille, vel quisquis alius improbet. Quod autem in cœtu multorum cum talibus viris disputare quis studeat, merito vituperasse ille mihi videtur. So. O Crito, admiratione digni sunt hi viri. verum nondum, quod dicturus sum, novi. Quorum ex numero erat, qui tibi obvius philosophiam vituperabat? utrum orator quispiam ex his, qui in judiciali concertatione vehementes sunt? an ex iis, qui tales mittunt et orationes conscribunt, quibus oratores in judicio certant? Cr. Minime quidem orator: neque arbitror illum in judicio unquam orasse: sed rem ipsam judicialem optime intelligere cum ferunt, et elegantes orationes atque facundas componere. So. Teneo jam. atqui et ipse idem modo dicturus eram. Nempe hi sunt, o Crito, quos Prodicus inter philosophum civilemque virum confines statuit. putant hi quidem se esse omnium sapientissimos, et videri præterea tales apud quamplurimos: solos autem philosophos impedimento sibi esse, quo minus ab omnibus æque probentur. Censent itaque, si communem adversus philosophos opi-

Digitized by Google

nionem hanc divulgent, quod nullius pretii sint, sine controversia sapientiæ gloriam se apud omnes summam reportaturos. esse namque se re vera sapientissimos: sed in privatis sermonibus, cum Euthydemi sectatores adversantur, impediri. Quod vero sapientes sint, ex eo consentaneum videri volunt, quod satis habeant philosophiæ, satis etiam civilis peritiæ, et quantum oportet sint utriusque participes, et extra turbulentos civilium negotiorum tumultus positi, sapientiæ fructibus jucunde fruantur. Cr. Nunquid dicere aliquid, o Socrates, tibi viri isti videntur? So. Nequaquam. Cr. Veruntamen horum hominum sermo habet aliquid verisimile. So. Habet, ut dicis, o Crito, verisimilitudinem potius quam veritatem. [306] Neque facile illis persuaderi potest, quod et homines et cetera omnia, quæcunque duorum quorundam media sunt et utrorumque participant, ita se habeant, quod quæ ex malo et bono sunt, hoc quidem meliora, illo deteriora fiunt: quæ vero ex duobus bonis non ad idem conducentibus, utrisque deteriora ad opus illud peragendum, ad quod spectant utraque illa quibus fit compositio. Quæ autem ex duobus malis sunt constituta, non ad idem tendentibus, hæc sola meliora sunt utrisque illis quorum participant. Si ergo philosophia bona est et civilis actio bona, sed ad aliud atque aliud utraque conferens, et hi utrorumque horum participes utrorumque in medio sunt constituti, nihil concludunt: nam utrisque deteriores sunt. Sin autem unum quidem horum bonum, malum vero alterum, hoc quidem meliores, illo deteriores. Quod si utrumque malum, ita demum vera dicerent, aliter vero nequaquam. Neque vero confessuros illos arbitror, mala esse utraque, neque unum quidem bonum, malum vero alterum. sed profecto utrorumque hi participes utrisque ineptiores sunt ad illud, ad quod philosophia et civilis actio pertinet: et cum tertium locum teneant, primum usurpare non dubitant. Ignoscendum quidem illorum desiderio, neque indignandum: tales tamen esse censendi, quales et sunt. Nam unumquemque diligere debemus, qui modo prudentiæ particeps aliquid dicit et viriliter peragit. Cr. Equidem, o Socrates, ut sæpe tecum loquor, ambigo, qua ratione filios meos educem. Minor quidem natu tenerior est adhuc quam exigat disciplina: Critobulus autem adultus est jam, et aliquo indiget, quo dirigatur. Quotiens tecum loquor, ita prorsus afficior, ut existimem insaniam esse, filiorum gratia contendisse primo circa conjugium, ut ex matre generosissima nascerentur, deinde ut amplum illis patrimonium relinqueretur: illorum autem educationem negligere. Verum cum ad eos respicio, qui erudire homines profitentur, absterreor: mihique consideranti unusquisque illorum longe ab ea re, quam prædicat, alienus esse [307] videtur. et ut verum tibi fatear, non habeo quo pacto filium meum ad philosophiam exhorter et provocem. So. O amice Crito, an ignoras, in quovis studio viles et nullius pretii homines permultos esse: probos vero paucos; eosque maximo in pretio habendos esse? Nonne tibi videtur pulchrum quiddam esse gymnastica, mercatura, rhetorica, res militaris? Cr. Mihi certe. So. Nonne vides in unaquaque harum artium multos ad opus unumquodque ineptos et deridendos? Cr. Ita est: ac vera nimium loqueris. So. Ergo hac de causa studiane fugies omnia, et illa filio dissuadebis? Cr. Haud decet, o Socrates. So. Cave ergo, ne quod dedecet, agas, o Crito. Mitte curam hanc, utrum boni sint homines philosophiæ studiosi, vel mali: rem vero ipsam diligenter examina. Si inquirenti res prava videbitur, non solum filios, sed omnes homines absterreto. sin autem tibi talis, qualis et mihi, appareat, sequere eam viriliter, et exerce, atque ad idem studium filios cohortare.

Digitized by Google

CRATYLUS.

HERMOGENES, CRATYLUS, SOCRATES.

[383] Visne sermonem nostrum cum hoc Socrate conferamus? Crat. Volo equidem, si tibi videtur. Herm. Cratylus hic, o Socrates, rebus singulis ait natura inesse rectam nominis rationem: neque id esse nomen, quod quidam ex constitutione vocant, dum vocis ipsorum particulam quandam pronuntiant: verum rectam rationem aliquam nominum et Græcis et Barbaris eandem cunctis innatam. Percontor itaque ipsum, num revera Cratylus ait ejus nomen. ipse fatetur. Socrati vero quod nomen? inquam. Socrates ait. Nonne singulis hominibus, inquam, id est nomen, quo quemque vocamus? Ille, Non tibi tamen, ait, Hermogenes nomen est, neque etiam si omnes homines te ita vocarint. [384] Dum vero obsecro, ut sciscitanti mihi quidnam dicat aperiat, nihil prorsus declarat: sed ironia quadam utens mecum simulat sese aliquid versare animo, quasi nonnihil hac de re intelligat, quod si vellet exprimere, cogeret me insuper assentiri, eademque dicere quæ ipse prædicat. Quamobrem libenter ex te audirem, si qua ratione Cratyli vaticinium potes conjicere. libentius tamen sententiam tuam de nominum rectitudine, si tibi placet, audirem. So. O Hipponici fili Hermogenes, veteri proverbio fertur, Pulchra esse cognitu difficilia. Atqui et nominum intelligentia haud parva res est. Equidem si ex Prodico quandoque audissem illam quinquaginta drachmarum demonstrationem, in cujus traditione perceptio ista consistit, ut ipse testatur: nihil prohiberet quin tu statim nominum rectitudinem intelligeres. eam porro nunquam audivi, sed drachmæ unius disciplinam duntaxat accepi. Quare quid in his verum sit, nescio: investigare autem tecum simul et cum Cratylo paratus sum. Quod autem dicit tibi non esse revera nomen Hermogenes, quod a lucro dicitur, mordere te suspicor; quasi pecuniarum avidus sis et impos voti. Verum, ut modo dicebam, difficilia hæc cognitu sunt. oportet autem rationes utrinque in medium adducendo perquirere, utrum ita sit, ut dicis ipse, an potius, ut Cratylus ait. Herm. Enimvero, o Socrates, licet frequenter eum hoc ceterisque permultis jam disputaverim, nondum tamen persuaderi mihi potest, aliam esse nominis rectitudinem quam conventionem ipsam consensionemque. Mihi quidem videtur, quodcunque nomen quis cuique imponit, id esse rectum. Ac si rursus commutat aliudque imponit, nihilominus quam primum, quod illi succedit nomen rectum existere: quemadmodum servis nomina commutare solemus: nulli quippe rei natura nomen inesse, sed lege et usu illorum qui sic vocare consueverunt. Quod quidem si aliter se habet, paratus sum non a Cratylo tantum, verum etiam a quovis alio discere atque audire. [385] So.

Digitized by Google

Forte aliquid dicis, Hermogenes: consideremus itaque. Quodcunque imponit quis cuique nomen vocatque, id illi nomen esse asseris? Herm. Mihi sane ita videtur. So. Et sive privatus vocet, sive civitas? Herm. Assero. So. Quid vero, si ipse rem aliquam vocem, veluti si quem nunc hominem vocamus, ego equum nominem; quemve equum, hominem? publice quidem erit eidem homo nomen, privatim equus; et privatim rursus homo, publice equus. ita loqueris? Herm. Ita videtur. So. Dic iterum, nam aliquid nuncupes vera loqui, aliquid loqui falsa? Herm. Equidem. So. Nonne illa quidem vera erit oratio, hæc autem oratio falsa? Herm. Ita prorsus. So. Illa vero oratio, quæ existentia dicit ut existunt, vera est; quæ ut non existunt, falsa? Herm. Certe. So. Est autem hoc, oratione ea quæ sunt et quæ non sunt dicere? Herm. Id ipsum. So. Oratio quæ vera est, utrum tota quidem est vera, partes non vera? Herm. Immo et partes veræ. So. Utrum partes magnæ veræ, exiguæ vero particulæ falsæ: an veræ sunt omnes? Herm. Omnes arbitror. So. Habes orationis partem aliquam minorem nomine? Herm. Nequaquam: hæc enim pars minima. So. Et nomen quidem hoc pars orationis vera? Herm. Procul dubio. So. Pars utique vera, ut ais ipse. Herm. Vera. So. Pars autem falsi falsa. Herm. Aio. So. Licet ergo nomen verum et nomen falsum dicere, siquidem et orationem. Herm. Quid prohibet? So. Quod quisque cuique nomen esse ait, id et cuique nomen est? Herm. Id ipsum. So. An etiam quotcunque quis nomina cuique tribuit, totidem erunt? ac etiam quandocunque tribuit? Herm. Haud equidem habeo, Socrates, aliquam præter hanc nominis rectitudinem, ut videlicet liceat mihi quidem alio rem vocare, quod ipse imposui, nomine: tibi autem alio, quod tu imposuisti. ita equidem in civitatibus video eorundem propria quædam haberi nomina, et Græcis ad alios Græcos, et Græcis ad Barbaros. So. Animadvertamus, Hermogenes, utrum res ipsæ ita se habere tibi videantur, ut propria rerum apud unumquemque essentia sit, quemadmodum Protagoras tradidit, rerum omnium dicens hominem esse mensuram, [386] ita ut qualia mihi quæque videntur, talia et mihi sint: item qualia tibi, et tibi talia? an potius quædam esse putes, quæ essentiæ suæ quandam habeant firmitatem. Herm. Quandoque, o Socrates, dubitans ad hæc deductus sum, quæ tradit Protagoras. ita tamen esse haud satis mihi persuadeo. So. Nunquid et ad hoc aliquando es deductus, ut tibi nequaquam videretur aliquem esse hominem omnino malum? Herm. Non, per Jovem. immo sæpenumero ita sum affectus, ut existimarem homines nonnullos omnino malos esse, et quidem plurimos. So. Prorsus autem boni nulli adhuc tibi visi sunt? Herm. Admodum pauci. So. Visi ergo sunt aliqui? Herm. Aliqui. So. Qua ratione hoc judicas? hacne? omnino quidem bonos esse, omnino prudentes: prorsus vero pravos et imprudentes omnino? Herm. Mihi sane ita videtur. So. Si Protagoras vera dixit, estque hæc ipsa veritas, ut qualiacunque singulis quæque videntur, talia sint: fierine potest, ut alii hominum prudentes sint, imprudentes alii? Herm. Nequaquam. So. Atqui hæc, ut arbitror, tibi omnino videntur: cum videlicet prudentia quædam et imprudentia sit, Protagoram haud omnino vera loqui posse. neque enim alter altero revera prudentior erit, si quæ cuique videntur, cuique vera erunt. Herm. Ita est. So. At neque Euthydemo assentiris, ut arbitror, dicenti omnia omnibus esse similiter ac semper. neque enim alii boni, alii mali essent, si semper et æque omnibus et virtus inesset et pravitas. Herm. Vera loqueris. So. Ergo si neque omnia omnibus insunt semper atque similiter, neque cuique proprium unumquodque: constat, res ipsas esse quæ essentiam quandam firmam in ipsis habent: neque quoad nos, neque a nobis per imaginationem sursum deorsumque distractæ, sed secundum se ipsas

Digitized by Google

quoad ipsarum essentiam, ut natura institutæ sunt, permanentes. Herm. Idem mihi quoque videtur, o Socrates. So. Utrum res ipsæ ita natura consistunt, actiones autem illarum non ita, sed aliter? an et actiones ipsæ una quædam rerum species sunt? Herm. Et ipsæ omnino. So. Ergo [387] actiones ipsæ secundum naturam suam, non secundum opinionem nostram, fiunt. Quemadmodum, si nos rem quampiam dividere statuamus, utrum dividenda a nobis res quæque, ut nos volumus et quo volumus? an potius, si unumquodque dividamus secundum naturam, qua dividere et dividi oportet, itemque eo quo secundum naturam divisio fieri debet, dividemus utique recte et aliquid proficiemus ac recte istud agemus? sin autem præter naturam, aberrabimus nihilque proficiemus? Herm. Mihi quidem ita videtur. So. Atque etiam si comburere aliquid aggrediamur, non secundum omnem opinionem comburere oportet, sed secundum opinionem rectam. hæc autem est, qua ratione naturaliter quodque comburi debet atque comburere, et quo debet. Herm. Vera hæc sunt. So. Nonne eadem de ceteris ratio? Herm. Eadem. So. An non et dicere una quædam operationum est? Herm. Est plane. So. Utrum recte dicet ille, qui, ut sibi dicendum videtur, ita dicat? an potius quisquis ita dicat, ut natura ipsa rerum dicere dicique requirit? et quo natura exigit, eo et dicat, aliquid dicendo proficiet: sin aliter, aberravit nihilque efficiet? Herm. Ita equidem, ut ais, existimo. An non dicendi pars est nominare? atque denominantes quodammodo sermones dicunt? Herm. Omnino. So. Et nominare actio quædam est? quandoquidem et dicere actio quædam circa res est. Herm. Prorsus. So. Actiones autem nobis apparuerunt haud ad nos respicere, sed propriam quandam sui habere naturam. Herm. Est ita. So. Nominandum itaque ea ratione, qua rerum ipsarum natura nominare ac nominari postulat, et quo postulat: non autem pro nostræ voluntatis arbitrio; si standum est in his quæ dicta sunt. Herm. Sic est. Crat. Atque ita aliquid peragemus nominabimusque, aliter vero nequaquam. Herm. Apparet. So. Quod incidendum est, aliquo incidendum? Herm. Aliquo. So. Et quod texendum, aliquo certe texendum? quodve perforandum, aliquo perforandum? Herm. Plane. So. Item quod nominandum, aliquo nominandum? [388] Herm. Sic oportet. So. Quid illud, quo aliquid perforare oportet? Herm. Terebrum. So. Quid quo texere? Herm. Radius pectenque. So. Quid quo nominare? Herm. Nomen. So. Bene loqueris: ideoque instrumentum aliquod nomen est. Herm. Est. So. Si quærerem, quod instrumentum est radius pectenque, responderes quo teximus? Herm. Non aliud. So. Texentes vero quid facimus? an non subtegmen et stamina confusa discernimus? Herm. Isthuc ipsum. So. Idem de terebro ac ceteris respondebis? Herm. Idem. So. Potes et circa nomen similiter declarare. quid facimus, dum nomine ipso, quod instrumentum est, aliquid nominamus? Herm. Nequeo. So. Nunquid docemus invicem aliquid, ac res ut sunt, discernimus? Herm. Nempe. So. Nomen itaque instrumentum docens est essentiamque discernens, ut pecten et radius ipse telæ. Herm. Sic est dicendum. So. Radius porro textorium est instrumentum. Herm. Quidni? So. Textor itaque radio ac pectine recte utetur. recte, inquam, secundum texendi rationem. Ille vero qui docet, nomine utetur; et recte. recte videlicet secundum docendi propriam rationem. Herm. Certe. So. Cujus artificis opere bene utetur textor, quando radio pectineque utetur? Herm. Fabri lignarii. So. Quisquene lignarius faber, an potiùs qui artem habet? Herm. Qui habet artem. So. Cujus item opere recte perforator utetur? Herm. Ærarii fabri. So. Num quisque est faber ærarius? an potius qui habet artem? Herm. Qui artem. So. Age ergo, dic, cujus opere ipse doctor utatur, quotiens nomine utitur. Herm.

Digitized by Google

Nescio. So. Assignare et hoc nescis? quis nobis tradit nomina quibus utimur? Herm. Ignoro et hoc. So. Nonne lex tibi videtur nobis nomina statuisse? Herm. Videtur. So. Ergo legislatoris utetur opere doctor, quando nomine ipso utetur. Herm. Opinor. So. Conditor legis quilibet tibi æque videtur, an qui arte est præditus? Herm. Arte præditus. So. Quare non cujuscunque viri est, Hermogenes, nomen imponere, verum cujusdam nominum auctoris. [389] hic autem etiam, ut videtur, nominum institutor: qui rarior omni artifice inter homines reperitur. Herm. Apparet. So. Animadverte, obsecro, quo respiciens nominum institutor nomina rebus imponit: immo superiorum exempla dijudica. quo respiciens faber radium pectenque conficit? nonne ad tale aliquid, quod ad texendum natura sit aptum? Herm. Prorsus. So. Si opere in ipso radius iste frangatur, utrum alium iterum fabricabit ad fracti istius imaginem? an potius ad speciem ipsam respiciet, ad cujus exemplar radium, qui fractus est, fecerat? Herm. Ad ipsam, ut arbitror, speciem. So. Nonne speciem ipsam merito ipsius radii rationem ipsumque radium maxime nominabimus? Herm. Opinor. So. Si quando oportet conficiendæ vesti tenui vel crassiori lineæ sive laneæ, sive cuivis alteri, radium apparare, radios singulos oportet speciem radii ipsius habere: qualis vero cuique naturaliter est accommodatissimus, talem ad opus peragendum, ut natura postulat, adhibere? Herm. Oportet sane. So. Eadem de ceteris instrumentis est ratio. nam quod natura cuique congruit, instrumentum adinveniendum est, atque id illi attribuendum, ex quo efficit, non qualecunque vult qui fabricat, sed quale natura ipsa exigit. Terebrum namque cuique accommodatum scire oportet in ferro perficere. Herm. Patet. So. Radium quin etiam singulis competentem in ligno. Herm. Vera hæc sunt. So. Quippe ipsa ratione naturæ alius radius telæ alteri competit: et in aliis eodem modo. Herm. Sane. So. Oportet quoque, vir optime, ut ille nominum institutor nomen natura rebus singulis aptum in vocibus et syllabis exprimat, ad idque respiciens quod ipsum nomen est, singula nomina fingat atque attribuat, si re vera nominum auctor est futurus. quod si non iisdem syllabis quisque nominum conditor nomen exprimit, animadvertendum est, quod neque fabri omnes ærarii eodem in ferro id faciunt, quotiens ejusdem gratia idem fabricant instrumentum. verum quatenus eandem ideam attribuunt, licet in alio et alio ferro, [390] eatenus recte se habet instrumentum, sive hic sive apud barbaros fabricent. nonne? Herm. Maxime. So. Nonne et eodem modo censebis, donec institutor nominum, qui apud nos est et qui apud barbaros, nominis speciem cuique competentem tribuerit in quibuslibet syllabis, nihilo deteriorem esse unum altero in nominibus imponendis? Herm. Equidem. So. Quis cogniturus est, utrum conveniens radii species cuicunque ligno sit impressa? num faber, qui efficit? an textor usurus? Herm. Probabile est, o Socrates, magis eum qui est usurus, cognoscere. So. Quis lyræ fabricatoris opere utitur? nonne ille qui fabricantem instruere potest et opus rectene an contra factum sit, judicare? Herm. Omnino. So. Quis ergo? Herm. Citharista. So. Quis autem opere structoris navium? Herm. Gubernator. So. Quis item nominum conditoris operi optime præsidebit et expletum dijudicabit, et apud Græcos et apud Barbaros? nonne et qui utetur? Herm. Is certe. So. An non is est qui interrogare scit? Herm. Iste. So. Idem quoque respondere? Herm. Nempe. So. Eum vero qui interrogare scit atque respondere, alium vocas quam dialecticum? Herm. Dialecticum profecto. So. Fabri itaque opus est temonem facere gubernatore præcipiente, si bonus futurus est temo. Herm. Apparet. So. Nominum quoque auctoris, nomen, monente dialectico viro, si modo recte ponenda sunt nomina. Herm. Vera hæc sunt. So. Apparet ergo,

Digitized by Google

Hermogenes, haud leve quiddam, ut ipse censes, nominis impositionem esse, neque id esse imperitorum et quorumvis hominum opus. Nempe Cratylus vera loquitur, cum nomina dicit natura rebus competere, neque unumquemque esse nominum auctorem, sed illum duntaxat, qui ad nomen respicit, quod natura cuique convenit, potestque ejus speciem literis syllabisque inserere. Herm. Nescio, Socrates, qua ratione his quæ dixisti, sit repugnandum. forte vero non facile est [391] subito sic persuaderi. videor autem mihi hunc in modum tibi potius assensurus, si ostenderis, quam dicas esse natura rectam nominis rationem. So. Equidem, o beate Hermogenes, adhuc nullam dico. ferme namque e memoria excidit quod dixeram supra, me videlicet hoc ignorare, verum una tecum perquirere. Nunc autem mihi et tibi simul investigantibus hoc duntaxat præter superiora compertum est, rectitudinem aliquam natura nomen habere, neque virum quemlibet scire ipsum rebus accommodare. nonne? Herm. Valde. So. Considerandum restat, si nosse desideras, quænam ipsius sit nominis rectitudo, id est ratio recta. Herm. Desidero equidem. So. Animadverte igitur. Herm. Qua vita investigandum monet? So. Rectissima est, o amice, consideratio, ab his qui sciunt, hæc perquirere, oblatis pecuniis et gratiis insuper actis. hi vero sophistæ sunt; quibus frater tuus Callias multis erogatis pecuniis, sapiens evasisse videtur. Postquam vero in res paternas jus non habes, reliquum est ut fratrem supplex exores, te doceat nominum rectitudinem, quam a Protagora didicit. Herm. Quam absurda hæc esset petitio, Socrates, si cum illam Protagoræ veritatem nullo modo recipiam, ea quæ ex veritate illa dicuntur, alicujus pretii æstimarem. So. At vero si tibi ista non placent, ab Homero ceterisque poëtis est discendum. Herm. Quid de nominibus et ubi Homerus, o Socrates, tradit? So. Passim multa: maxima vero et pulcherrima sunt illa, in quibus distinguit circa eadem quæ nomina homines et quæ dii ipsi inducunt. an non censes ipsum in his magnificum aliquid et mirandum de recta ratione nominum tradere? constat enim, deos nominibus illis ad rectitudinem ipsam uti, quæ natura consistant. an non putas? Herm. Certe equidem scio, si qua dii vocant, recte eos admodum nominare. verum quænam ista? So. An ignoras quod de Trojano flumine, quod singulari certamine cum Vulcano pugnavit, inquit? *Quod Xanthum dii vocant, viri Scamandrum.* Herm. Scio. So. An non censes [392] magnificum quiddam cognitu esse hoc, qua ratione rectius sit, flumen illud Xanthum quam Scamandrum nominare? Item, si vis, animadverte et istud, quod avem eandem dicit Chalcidem quidem a diis, Cymindin vero ab hominibus nominari. Levem cognitionem hanc putas, ut sciatur, quanto rectius sit eandem avem Chalcidem quam Cymindin nuncupare, vel Batieam atque Myrinen, aliaque permulta, et apud hunc poëtam et apud alios talia? Verum istarum rerum inventio acutius ingenium quam nostrum exigit. Scamandrus autem et Astyanax quid significent, humano ingenio, ut mihi videtur, comprehendi potest, et facile percipi potest, quam rectitudinem esse Homerus velit in his nominibus, quibus Hectoris filium nuncupat. Scis ea carmina quibus insunt, quæ dico? Herm. Omnino. So. Utrum istorum nominum putas Homerum existimasse convenire magis puero, Astyanactane an Scamandrum? Herm. Ignoro. So. Sic autem considera. si quis te interrogaret, utrum putes sapientiores rectius nomina rebus imponere, an minus sapientes, responderes utique sapientiores. Herm. Sic certe. So. Utrum mulieres in urbibus sapientiores esse tibi videntur, an viri? quantum ad genus attinet. Herm. Viri. So. Nescis quod inquit Homerus, Hectoris filium a Trojanis Astyanacta, a mulieribus Scamandrum nuncupatum? quandoquidem viri illum Astyanacta vocare consueverunt. Herm. Videtur. So.

Digitized by Google

Nonne Homerus Trojanos viros sapientiores quam mulieres eorum existimavit? Herm. Arbitror equidem. So. Astyanacta igitur rectius quam Scamandrum nominatum esse censuit. Herm. Apparet. So. Animadvertamus, quam ipse denominationis hujus causam affert. *Solus enim*, inquit, *civitatem ipsis tutatus est amplaque mœnia.* Quapropter decet, ut videtur, protectoris filium nominare Astyanacta, id est regem urbis; urbis, inquam, ejus, quam pater suus servavit, ut inquit Homerus. Herm. Idem mihi quoque videtur. So. Quod autem hoc maxime? porro et ipse nondum satis intelligo, o Hermogenes. tu vero percipis? Herm. Non per Jovem. [393] So. Atqui et Hectori, o bone vir, nomen ipse Homerus imposuit. Herm. Quamobrem? So. Quoniam mihi videtur id nomen Hector Astyanacti esse quamproximum: ferme enim idem significant; putantque Græci utraque hæc nomina regia esse. cujuscunque enim quis anax, id est rex existit, ejusdem est et hector, id est possessor. constat enim, dominari illi possidereque et habere. An forte nihil tibi dicere videor: meque fallit opinio, qua Homeri sententiam circa nominum rectitudinem ceu per vestigia quædam attingere confidebam? Herm. Nullo modo, ut arbitror. forte enim nonnihil attingis. So. Decet, ut mihi videtur, leonis filium leonem similiter nominare, equi filium equum. haud certe dico, si quid tanquam monstrum ex equo nascatur, aliud quiddam quam equus: sed cujus generis secundum naturam est, quod nascitur, hoc dico. Si enim bovis secundum naturam filius equum gignit, non vitulus qui nascitur, sed pullus equinus est nuncupandus. et si equus præter naturam gignit vitulum, non pullus equinus dicendus est iste, sed vitulus. Neque etiam si ex homine alia proles quam humana producitur, quod nascitur homo vocari debet. idemque est de arboribus deque ceteris omnibus judicandum. Probas hæc? Herm. Probo equidem. So. Observa me, ne quid defraudem. eadem quippe ratione, si quis ex rege nascitur, rex est nominandus. in aliis vero et aliis syllabis idem significari, nihil interest: neque refert, sive addatur litera aliqua, sive etiam subtrahatur, donec essentia rei significatæ in ipso nomine dominatur. Herm. Qui istuc ais? So. Nihil varium diversumque dico: verum ita ut in elementis fieri cernis. scis enim, quod elementorum nomina dicimus, ipsa vero elementa nequaquam, quatuor duntaxat exceptis, scilicet e, y, omicron, omega. ceteris autem tam vocalibus quam non vocalibus alias addentes literas, nomina constituimus, atque ita proferimus. verum quousque elementi ipsius vim declaratam inserimus, convenit, nomen illud vocare ipsum quod nobis significet elementum, ut in vita apparet, ubi additis i, t, a nihil obstitit, quin integro nomine natura elementi illius ostenderetur, cujus nominum auctor voluit: usque adeo scite literis nomina præbuit. Herm. Vera mihi loqui videris. So. Nonne eadem de rege ratio erit? [394] erit utique ex rege rex, ex bono bonus, ex pulchro pulcher, et in ceteris omnibus similiter ex quolibet genere alterum quiddam tale, nisi monstrum fiat, eademque dicenda nomina. Variare autem licet per syllabas, ut videantur homini rudi, quæ sunt eadem, esse diversa. quemadmodum pharmaca medicorum coloribus et odoribus variata sæpe, cum eadem sint, nobis diversa videatur: medico autem, vim pharmacorum consideranti, eadem judicantur, neque eum additamenta perturbant. Similiter forte, qui est in nominibus eruditus, vim illorum considerat, neque ejus turbatur judicium, si qua litera addita est vel transmutata vel dempta, vel in aliis literis ac multis eadem vis nominis reperitur. ut ea nomina, quæ supra diximus, Astyanax et Hector, literas omnino diversas præter t solum habent, idem tamen significant. item quod Archepolis, id est princeps civitatis dicitur, quam literarum communionem cum duobus superioribus habet? idem nihilominus infert. multaque sunt alia, quæ nihil aliud

Digitized by Google

quam regem significant. multa præterea sunt, quæ exercitus ducem significant, ut Agis, Polemarchus, Eupolemus. alia item quæ medicinæ professorem declarant, ut Iatrocles Acesimbrotusque. aliaque permulta reperiri possunt, syllabis et literis discordantia, vi autem significationis penitus consonantia. Sicne et ipse putas, an aliter? Herm. Sic certe. So. His profecto, quæ secundum naturam fiunt, eadem tribuenda sunt nomina. Herm. Omnino. So. Quotiens vero præter naturam homines aliqui fiunt in quadam specie monstri, velut cum ex bono pioque viro impius generatur, qui genitus est, non genitoris nomen sortiri debet, sed ejus in quo ipse est generis: quemadmodum supra diximus, si equus bovis profem generet, non equum ejus filium, sed bovem denominandum. Herm. Sic est. So. Homini igitur impio ex pio genito non parentis, sed generis nomen attribuendum. Herm. Vera hæc sunt. So. Neque igitur Theophilum, id est Dei amicum, neque Mnesitheum, id est Dei memorem, vel talem aliquem hujusmodi vocare filium talem decet, sed contraria significantibus nominibus appellare: si modo recte nomina instituta esse debent. Herm. Sic prorsus agendum, o Socrates. So. Profecto Oresti nomen recte, o Hermogenes, videtur impositum, sive aliqua sors illi nomen dedit, sive poëta quidam, ferinam ejus naturam agrestemque et montanam nomine eo significans. Herm. Sic apparet, [395] Socrates. So. Videtur et patri ejus secundum naturam nomen esse. Herm. Apparet. So. Apparet utique talis esse Agamemnon, ut sibi laborandum censeat tolerandumque et in iis quæ decrevit per virtutem perseverandum. Argumentum vero tolerantiæ suæ apud Trojam tanto cum exercitu perduratio præbuit. Quod igitur mirabilis perseverantia vir hic fuerit, nomen significat Agamemnon, quasi agastos, id est mirabilis, epimoni, id est perseverantia. Forte vero et Atreus recte est nominatus. nec enim Chrysippi et crudelitas adversus Thyesten noxium perniciosumque illum demonstrant. Unde cognominatio parumper declinat et clam innuit, ut non quibuslibet naturam hujus viri declaret: his autem qui nominum periti sunt, satis Atrei significatio patet. dicitur enim secundum ateres, atrepton, ateron, quasi indomitus, inexorabilis, noxius contumeliosusque fuerit. Videtur et Pelopi nomen haud ab re tributum. Hominem quippe, quæ prope sunt videntem, nomen istud congrue significat. Herm. Cur illi id convenit? So. Quoniam in Myrtili cæde, ut fertur, providere nihil potuit, neque eminus prospicere quanta toti generi ex hoc calamitas immineret: quæ enim ante pedes erant, et ad præsentia tantum respiciebat; hoc autem est prope aspicere: quod et fecit, cum *Hippodamiæ* conjugium omni conatu inire contendit. unde Pelopi nomen a pelas, id est prope, et opsis, quod ad visionem pertinet. Tantalo quin etiam nomen natura ipsa videtur impositum, si vera sunt, quæ circumferuntur. Herm. Quænam ista? So. Quod vivenți adhuc illi adversa plurima et gravia contigerunt, tandemque patria ejus omnis subversa est. defuncto præterea saxum in caput imminet, sors certe durissima. hæc prorsus cum nomine congruunt: perinde ac si quis nominare talantaton, id est infelicissimum voluisset, sed paulo locutus obscurius, pro Talantato Tantalum posuisset. Tale utique nomen fortuna ejus adversa ipso rumore gentium præbuisse videtur. Quin etiam patri ejus Jovi recte nomen est inditum, [396] neque tamen facile cognitu. Est enim velut cautio quædam Jovis nomen: quod quidem tifariam partientes, partim una, partim altera parte utimur. quidam Zina, id est viventem et vitam, quidam Dia, id est per et causam per quam, vocant. quæ partes una compositæ naturam Dei ipsius ostendunt: quod maxime debet nomen efficere posse. Nulla enim nobis cæterisque omnibus vivendi magis causa est, quam princeps rerque omnium. Quapropter decorus nomen est hic Deus sortitus, per quem vita semper viventibus omnibus inest. Sec-

Digitized by Google

tum autem in deo est unum, ut dicebam, nomen, in Dia videlicet atque Zina. Hunc Saturni filium subito cum quis audiat, forte insolentem contumeliosumque putarit. verum probabile est, magnæ cujusdam intelligentiæ prolem Jovem esse quod enim coros dicitur, non puerum significat, sed puritatem mentis ipsius et sinceram integritatem. Est autem is Oranu, id est Cœli filius, ut fertur. Quippe respectus ad supera merito Orania vocatur, quasi orosa, id est aspiciens, ano, id est ad supera. unde affirmant, Hermogenes, ii qui de rebus sublimibus agunt, puram mentem adesse et orano, id est cœlo, jure nomen impositum. si autem genealogiam deorum ab Hesiodo traditam mente tenerem, et quos istorum progenitores inducit, recordarer, haudquaquam cessarem ostendere tibi recte illis nomina inscripta fuisse, quoad hujus sapientiæ periculum facerem, si quid ipsa proficiat peragatque, et an deficiat necne, quæ mihi tam subito, ignoro equidem unde, nuper illuxit. Herm. Profecto mihi videris, o Socrates, instar eorum qui numine rapiuntur, protinus oracula fundere. So. Reor equidem, o Hermogenes, hanc in me sapientiam ab Euthyphrone Prospaltii filio emanasse. illi siquidem adstiti a matutino assiduus, auresque porrexi. Patet igitur eum deo plenum non modo aures meas beata sapientia implevisse, verum etiam animum occupasse. Sic itaque agendum arbitror, ut hodie quidem utamur ipsa, et reliqua, quæ ad nomina pertinent, indagemus. Cras vero, si in hoc consenserimus, excutiamus eam expiemusque, aliquem perscrutati sive sacerdotem seu sophistam, qui purgare hæc valeat. [397] Herm. Probo hæc maxime, Socrates. libentissime namque quæ de nominibus restant audirem. So. Ita prorsus agendum. Unde igitur potissimum exordiendum judicas, postquam formulam quandam præscripsimus: ut pernoscamus, si etiam nomina nobis ipsa testantur non casu quodam facta fuisse, verum rectitudinem aliquam continere? Nomina quidem heroum atque hominum nos forte deciperent. horum namque multa secundum cognomenta majorum posita sunt, et sæpe nequaquam conveniunt, quemadmodum in principio diximus. Multa vero ad votum homines nomina tribuunt, ut Eutychidem, Sosiam, Theophilum, id est prosperum, servatorem, deo carum, aliaque permulta. Talia itaque prætermittenda censeo. decens enim consentaneumque maxime reperire nos, quæ in rebus sempiternis et naturæ ordine constitutis recte sunt posita. nam circa ista in condendis nominibus studuisse maxime decet. Forte vero ipsorum nonnulla diviniore quadam potentia quam humana sunt instituta. Herm. Præclare mihi loqui videris, o Socrates. So. Nonne par est ab ipsis diis incipere, rationemque investigare qua dii thei vocati sunt? Herm. Nempe. So. Equidem ita conjicio. Videntur utique mihi Græcorum prisci deos solos putasse eos, quos etiam his temporibus barbarorum plurimi arbitrantur, Solem, Lunam, Terram, Stellas, Cœlum. Cum ergo hæc omnia perpetuo in cursu esse conspicerent, ab hac natura thin, id est currendi, theus, id est deos, nominasse videntur: deinde et alios animadvertentes, omnes eodem nomine nuncupasse. Habet quod dico verisimile aliquid, necne? Herm. Habet certe. So. Quid posthac investigandum? Constat, de dæmonibus heroibusque et hominibus quærendum esse. Herm. De dæmonibus primum. So. Procul dubio, Hermogenes, quid sibi vult dæmonum nomen? animadverte num aliquid dicam. Herm. Dic modo. So. Scisne quos Hesiodus dæmones esse inquit? Herm. Non. So. Neque etiam, quod aureum genus hominum inquit in principio extitisse? Herm. Hoc equidem novi. So. Ait enim, ex hoc genere post præsentis vitæ fata fieri [398] dæmones sanctos, terrestres, optimos, malorum expulsores et custodes hominum. Herm. Quid tum? So. Nempe arbitror vocare illum aureum genus non ex auro constitutum, sed bonum atque præclarum. quod inde conjicio. genus nostrum fer-

Digitized by Google

reum esse dicit. Herm. Vera narras. So. An non putas, si quis nunc ex nostris bonus sit, aurei hunc generis ab Hesiodo æstimari? Herm. Consentaneum est. So. Boni autem alii quam prudentes? Herm. Prudentes. So. Iccirco, ut arbitror, eos dæmones præcipue nuncupat, quia sapientes demonesque, id est intelligentes. et ex nostra istud prisca lingua nomen existit. Quamobrem et is et ceteri poëtæ permulti præclare loquuntur, quicunque aiunt videlicet, postquam bonus aliquis vita functus est, maximam dignitatem præmiumque sortitur, fitque dæmon, secundum sapientiæ cognomentum. Ita et ipse assero, daimona, id est sapientem, omnem esse hominem, quicunque sit bonus, eumque dæmonicum esse, id est sapientem et felicem, viventem atque defunctum, recteque dæmonem nuncupari. Herm. Videor mihi, o Socrates, in hoc tecum maxime consentire. So. Heros autem quid significat? Id nequaquam inventu difficile. paulo enim heroum nomen ab origine distat, indicans generationem illorum ab erotos, id est amore, manasse. Herm. Qua ratione id ais? So. An ignoras, semideos heroas esse? Herm. Quid tum? So. Omnes utique heroes vel ex amore deorum erga mulieres humanas vel amore virorum erga deas sunt geniti. Præterea si hoc secundum priscam Atticorum linguam consideraveris, magis intelliges. reperies enim, quod paulisper mutatum est nominis gratia ex erotos, id est amore, unde sunt heroes geniti: quodve aut hinc heroum nomen est ductum, aut ex eo quod sapientes rhetoresque fuerunt, facundi videlicet et ad interrogandum disserendumque promptissimi. erin namque dicere est. Quare, ut modo dicebamus, Attica voce heroes rhetores quidam et disputatores et amatorii videntur. Unde rhetorum sophistarumque genus heroica proles existit. Verum non istud quidem difficile cognitu: immo illud obscurum, quam ob causam homines anthropi nominantur. habes ipse quid afferas? Herm. Unde id habeam, bone vir? quin si reperire quoquo modo possim, non contendo ex eo quod te melius faciliusque quam me reperturum sperem. [399] So. In Euthyphronis inspiratione confidere mihi videris. Herm. Absque dubio. So. Et merito quidem confidis. nam belle nimium mihi nunc videor cogitasse: ac periculum est, nisi caveam, ne hodie sapientior quam deceat videar evasisse. Attende ad ea, quæ dicam. Hoc in primis circa nomina animadvertere decet, quod sæpe literas addimus, sæpe etiam demimus, pro arbitrio dum nominamus, et acuta sæpenumero transmutamus: ut cum dicimus Dii philos, id est Jovi amicus. hoc ut pro verbo nomen nobis foret, alterum iota inde excerpsimus, et pro acuta syllaba media gravem pronuntiamus. in aliis quibusdam literas interserimus: et graviora proferimus. Herm. Vera refers. So. Hoc et in nomine hominis anthropo contingit, ut mihi quidem videtur. nam ex verbo nomen constitutum est, uno a excepto, gravioreque fine effecto. Herm. Quomodo istud ais? So. Ita. hominis nomen illud significat, quod cetera quidem animalia, quæ vident, non considerant neque animadvertunt neque contemplantur: homo autem et videt simul et contemplatur animadvertitque quod videt. Hinc merito solus ex omnibus animantibus homo anthropos est nuncupatus, quasi anathron, id est contemplans, quæ opopen, id est vidit. Quid post hæc quæram? an videlicet quod libenter perciperem? Herm. Maxime. So. Succedere statim superioribus mihi videtur de anima et corpore consideratio. nam anima et corpus aliquid hominis sunt. Herm. Sine controversia. So. Conemur hæc quemadmodum superiora distinguere. Quærendum primo de anima, putas, ut recte psychi nominata fuerit? deinde de corpore? Herm. Equidem. So. Ut igitur subito exprimam quod primum mihi nunc se offert, arbitror illos qui eic animam vocitarunt, hoc potissimum cogitasse, quod hæc quotiens adest corpori, causa est illi vivendi, respirandi et refrigerandi vim exhibens: et cum primum de-

Digitized by Google

sierit quod refrigerat, dissolvitur corpus et interit. unde psychim nominasse videntur: quasi anapsychon, id est respirando refrigerans. At vero, si placet, iste paruuper. Videor mihi aliquid inspicere probabilius apud eos qui Euthyphronem sequuntur. [400] nam istud quidem aspernarentur, ut arbitror, et durum quiddam esse censerent. sed vide, an hoc tibi sit placiturum. Herm. Dic modo. So. Quid aliud quam anima tibi videtur corpus continere, vehere, ut et vivat et gradiatur? Herm. Nil aliud. So. Au non Anaxagoræ credis, rerum naturam omnium mente quadam et anima exornari simul et contineri? Herm. Credo equidem. So. Par est igitur eam potentiam nominare physechin, quæ physim, id est naturam, ochi et echi, id est vehit et continet. politius autem psychi profertur. Herm. Sic est omnino. Videturque mihi istud artificiosius esse. So. Est profecto. Ridiculum autem quid appareret, si ita ut positum fuit, nominaretur. Herm. Quod vero post hoc sequitur, corpus nonne soma nuncupas? Certe. So. Atqui videtur mihi in hoc nomine paulisper ab origine declinari. nempe corpus hoc animæ sima, id est sepulcrum, quidam esse tradunt: quasi ipsa præsenti in tempore sit sepulta: atque etiam quia anima per corpus simegni, id est significat, quæcunque significat, iccirco et sima jure vocari. Videntur mihi præterea Orphei sectatores nomen hoc ob id potissimum posuisse, quod anima in corpore hoc delictorum det pœnas: et hoc circum septo valloque claudatur, velut in carcere quodam, ut sosite, id est servetur. esse itaque volunt hoc ita, ut nominatur, animæ soma, servandi gratia claustrum, quoad debita quæque expendat: neque literam aliquam adjiciendam putant. Herm. De his satis dictum, o Socrates, arbitror. verum de nominibus aliquorum deorum possemusne ita, ut de Jove actum est, considerare, secundum quam rectitudinem nomina sint imposita? So. Per Jovem, nos quidem si mentem haberemus, Hermogenes, præcipuum rectitudinis modum arbitraremur, fateri nihil nos de diis cognoscere, neque de ipsis inquam, neque de ipsorum nominibus quibus ipsi se vocant. constat enim, illos quidem veris se nominibus nuncupare. Secundum vero rectæ denominationis modum existimo, ut quemadmodum lex in votis statuit precari deos, quomodocunque nominari his placet, ita et nos ipsos vocemus, tanquam nihil aliud [401] cognoscentes. recte namque, ut mihi videtur, est decretum. Quare, si vis, ad hanc investigationem pergamus, primo quidem diis præfati, nos nihil de ipsis consideraturos: neque enim posse confidimus: sed de hominibus potius, qua potissimum opinione circa deos affecti nomina ipsis instituerunt. hoc enim a divina indignatione procul. Herm. Modeste loqui videris, o Socrates: atque ita prorsus agendum. So. Nonne a Vesta secundum legem incipiendum? Herm. Sic utique decet. So. Qua ratione Hestiam hanc nominatam dicemus? Herm. Per Jovem, haud facile istud inventu. So. Videntur, probe Hermogenes, primi nominum auctores non bebetes quidam fuisse, verum acuti sublimium rerum investigatores. Herm. Quamobrem? So. Talium quorundam hominum inventione nomina apparent imposita. ac si quis peregrina consideret nomina, nihilominus quod sibi vult, unumquodque reperiet. quemadmodum hoc quod nos usiam, id est essentiam, nominamus, quidam hestiam nuncupant, alii osiam. Primo quidem secundum alterum nomen istorum, haud procul a ratione videtur, rerum essentiam hestiam vocari. et quia nos quod est essentiæ particeps hestiam vocamus, ex hoc recte hestia posset denominari. Superiores nostri quondam usiam, id est essentiam, essiam vocabant. Quin etiam si quis sacrorum ritus animadvertit, existimabit sic eos putasse qui hæc posuerunt. Etenim ante deos omnes Vestæ sacra facere decet eos, qui essentiam omnium Vestam cognominarunt. qui item osiam nominarunt, hi ferme secundum Heraclitum censuerunt fluere omnia semper nihilque consistere. causam igitur et

Digitized by Google

ipsorum originem ducem ipsum esse othun, id est quod impellit. quapropter merito ipsum osiam, id est impellentem causam, nominari. De his hactenus ita sit dictum, velut ab iis qui nihil intelligunt. Post Vestam autem de Rhea atque Saturno considerare convenit: quamquam de Saturni nomine in superioribus diximus. forte vero nihil dico. Herm. Curnam, o Socrates? So. O bone vir, sapientiæ quoddam examen animadverti. Herm. Quale istud? So. Ridiculum dictu. habet tamen [402] nonnihil probabile. Herm. Quid ais, et quo pacto probabile? So. Inspicere mihi Heraclitum videor jampridem sapienter nonnulla de Saturno Rheaque tradentem, quæ et Homerus dixerat. Herm. Qui istud ais? So. Ait enim Heraclitus fluere omnia nihilque manere: rerumque ipsarum progressum amnis fluxui comparans, haud fieri posse inquit, ut bis eandem in aquam te mergas. Herm. Vera hæc sunt. So. An videtur tibi ille ab Heraclito dissentire, qui aliorum deorum progenitoribus inseruit Rheam atque Saturnum? nunquid putas temere illum nomina istis imposuisse? Quin et Homerus Oceanum deorum originem instituit et Tethydem genitricem. idemque voluit, ut arbitror, et Hesiodus. ait præterea Orpheus, Oceanum primum pulchrifluum conjugium inchoasse, qui cum Tethyde germana se sua commiscuit. Vide, quam maxime hæc invicem consonant, omniaque in opinionem Heracliti redeunt. Herm. Videris mihi aliquid dicere, Socrates. Tethydis autem nomen haud satis, quid sibi velit, intelligo. So. Hoc utique idem ferme significat: quoniam fontis nomen est reconditum. nam diattomenon et ethumenon, id est scaturiens et transiliens, fontis imaginem præ se ferunt, ex utrisque vero hisce nominibus nomen Tethydis est compositum. Herm. Hoc quidem bellissimum est, o Socrates. So. Quidni? verum quid deinceps? De Jove profecto diximus. Herm. Sic est. So. Fratres autem ejus dicamus, Neptunum atque Plutonem, nomenque aliud quo ipsum vocant. Herm. Prorsus. So. Videtur Neptunus ab eo qui primum nominavit, iccirco Posidon vocatus fuisse, quia eundem ipsum maris natura detinuit neque progredi ultra permisit, sed quasi vincula pedibus ipsius injecit. Maris itaque principem Posidona vocavit, quasi posi, id est pedibus, desmon, id est vinculum, habeat. e vero decoris gratia forte adjectum fuit. Forsitan non hoc sibi vult, sed pro s geminum l primo fuit appositum, quasi dicatur pollidon, id est multa [403] noscens Deus. Fortassis ab eo quod dicitur sim, id est quatere, sion, id est quatiens est nominatus, cui p ac d fuit adjectum. Plutonem autem quasi plutu, id est divitiarum datorem dicimus, quoniam divitiæ ex terræ visceribus eruuntur. Adim vero multitudo interpretatur quasi aidem, id est tristem tenebrosumve. atque hoc nomen horrentes Plutonem vocitant. Herm. Tu vero quid sentis, Socrates? So. Videntur mihi homines circa potentiam dei istius multifariam erravisse, eumque exhorruisse semper, cum minime deceat. Nam quisque ex hoc pertimescit, quod nemo postquam defunctus est, huc redit, quodve anima nudata corpore illuc abit. Ceterum hæc omnia, et regnum et nomen hujus dei, eodem tendere mihi videntur. Herm. Quo pacto? So. Dicam quod sentio. dic age: Utrum horum validius vinculum est ad quodvis animal alicubi detinendum, necessitasne an cupiditas? Herm. Longe, o Socrates, præstat cupiditas. So. An non plurimi Adim quotidie subterfugerent, nisi fortissimo vinculo eos qui illuc descendunt, vinciret? Herm. Videlicet. So. Quare cupiditate quadam eos, ut videtur, potius quam necessitate devincit, si modo vinculo nectit fortissimo. Herm. Apparet. So. Nonne rursus multæ cupiditates sunt? Herm. Multæ. So. Ergo vehementissima omnium cupiditate nectit eos, si modo debet insolubili nodo connectere. Herm. Certe. So. Estne vehementior ulla cupiditas, quam ea qua quisque afficitur, dum alicujus consuetudine meliorem se virum sperat evadere? Herm.

Digitized by Google

Nulla mehercle, Socrates. So. Hac de causa dicendum, Hermogenes, neminem hoc illinc velle reverti, neque etiam Sirenes ipsas: immo et eas et ceteros omnes suavissimis Plutonis orationibus demulceri. Estque, ut ratio hæc testatur, deus hic sophista procul dubio disertissimus, et ingentia confert his qui penes ipsum habitant beneficia: qui usque adeo divitiis affatim abundat, ut tanta nobis bona suppeditet, unde et Pluton est nuncupatus. An non philosophi tibi videtur officium, quod nolit hominibus corpora habentibus adhærere, sed tunc demum admittat eos, cum animus illorum est [404] corporeis omnibus malis cupidinibusque purgatus? excogitavit nempe hic deus, hac ratione se animos maxime detenturum, si virtutis eos aviditate vinciret. eos autem, qui stupore et insania corporis sunt infecti, ne pater quidem Plutonis Saturnus ipse suis illis vinculis coërcere valeret secumque tenere. Herm. Noninihil loqui videris, o Socrates. So. Longe abest, Hermogenes, ut nomen Hadis quasi aidis, id est triste tenebrosumve, sit dictum: immo ab eo trahitur, quod est idenai, id est nosse omnia pulchra. ex hoc itaque deus iste a nominum conditore Adis est nuncupatus. Herm. Esto. Quid præterea dicimus de Cereris nomine Junonisque, Apollinis et Minervæ Vulcanique et Martis ceterorumque deorum? So. Ceres quidem Dimiter nuncupatur ab ipsa alimentorum largitione, quasi didusa miter, hoc est exhibens mater. Era vero, id est Juno, quasi erate, id est amabilis, propter amorem quo Jupiter in eam afficitur. Forte etiam sublime spectans qui hoc nomen instituit, aërem Eram denominavit, et obscure locutus est, ponens in fine principium: quod quidem patebit tibi, si nomen illud frequenter pronuntiaveris. Pherephattam, id est Proserpinam, et Apollinem nominare nonnulli verentur, propterea quod illis ignota est nominum rectitudo. enimvero permutantes Phersophonen ipsam considerant, graveque id illis apparet. hoc autem deæ ipsius sapientiam indicat. sapientia utique est quæ res fluentes attingit et assequi potest. Quamobrem Pherepapha merito dea hæc nominaretur, propter sapientiam et epaphen, id est contactum, pheromenu, id est ejus quod fertur, vel tale aliquid. Quocirca adhæret illi sapiens ipse Pluton, quia ipsa talis est. Nunc autem nomen hoc declinant, pluris facientes prolationis gratiam quam veritatem, ut Pherephattam nominent. Idem quoque circa Apollinis nomen accidit: nam plerique id nomen exhorrent, quasi terribile aliquid præ se ferat. an nosti? Herm. Vera penitus loqueris. So. Hoc autem, ut arbitror, hujus dei potentiæ maxime convenit. Herm. Qua ratione? So. Conabor sententiam meam exprimere. Nullum profecto [405] nomen aliud unum quatuor hujus dei potentiis reperiri convenientius potuisset, quod et comprehenderet omnes, et ipsius quodammodo declararet musicam, vaticinium, medicinam et sagittandi peritiam. Herm. Aperias jam. mirum quiddam nomen esse id ais. So. Congrue quidem compositum est consonatque, utpote quod ad deum pertinet musicum. Principio purgatio purificationesque et secundum medicinam et secundum vaticinium, item quæ medicorum pharmacis peragantur, ac vatum incantationes expiationesque, lavacra et aspersiones, unum hoc intendunt, purum hominem et corpore et anima reddere. nonne? Herm. Sic omnino. So. Nonne deus qui purgat, ipse erit apoluon et apolyon, id est abluens a malis solvensque: quod Apollon ipse significat? Herm. Absque dubio. So. Quatenus itaque diluit atque solvit, ut talium medicus, apolyon merito nuncupatur. Secundum vero divinationem verumque et aplum, id est simplex, quod idem est, recte more Thessalicorum nominare hunc possumus. hi nempe omnes deum hunc aplon vocant. Quatenus autem ai vallon, id est, semper jaculando arcu, vehemens est, ai vallon dici potest, hoc est perpetuus jaculator. Secundum vero musicam de hoc est cogitandum, quemadmodum de eo quod dicitur

Digitized by Google

acoluthos et achitis, id est pedisseqnus, comes, et uxor: in quibus a, ut et in aliis multis, idem quod simul significat, in his quoque a et polleo significant versionem, quæ simul et una peragitur, quam conversionem dicamus: per hæc in cœlis significatur conversio, quæ per eos fit quos polos vocamus: et in cantu harmonia, quam dicimus symphoniam, quia in his, ut tradunt musicæ et astronomiæ periti, harmonia quadam simul omnia convertuntur. hic autem deus harmoniæ præsidet homopolon, id est simul vertens hæc omnia, et apud deos et apud homines. Quemadmodum igitur homocheleuton et homobatin, id est simul euntem et simul jacentem, vocavimus acoluthon et achitin, e in a permutantes: ita Apollinem nominavimus eum qui erat homopolon, altero l interjecto: quia æquivocum fuisset duro cum nomine. quod et his temporibus suspicati plerique ex eo quod non recte vim nominis hujus animadvertunt, perinde hoc metuunt, ac si perniciem quandam significaret. sed re vera nomen istud [406] omnes hujus dei vires complectitur, quemadmodum supra diximus. significat enim simplicem, perpetuum jaculatorem, expiatorem et convertentem. Musarum vero et musicæ nomen, ab eo quod dicitur mosthæ, id est inquirere, indagationeque et studio sapientiæ, tractum est. Leto, id est Latona, a mansuetudine dicitur, quia sit ethelemon, id est prompta et exposita et libens ad id quod petit quisque exhibendum. forte vero, ut peregrini vocant. multi namque Litho nominant. quod nomen tribuisse videntur, quia non rigida illi mens, sed mitis: ideo Litho, quasi lion ethos, id est mos lenis et mitis, ab illis cognominatur. Artemis, id est Diana, ex eo quod artemes, quasi integra modestaque sit, propter virginitatis electionem. Forsitan etiam quasi aretis histora, id est virtutis consciam, vocavit nominis institutor. Fortassis etiam dicta est Artemis, quasi aroton misisasis, id est quasi illa congressum oderit viri cum muliere. vel enim propter istorum aliquid vel propter omnia hujusmodi nomen est institutum. Herm. Quid vero Dionysius et Aphroditi? So. Magna petis, Hipponici fili. Atqui est nominum ratio his diis impositorum gemina: seria videlicet et jocosa. Seriam quidem ab aliis quære: jocosam autem nihil prohibet recensere. Jocosi sane et dii sunt: Dionysiusque est dus inon, id est vini dator, quasi Didinysos joco quodam cognominatus. Vinum autem merito vocari potest ionus, quod efficiat ut bibentes plerique mente alienati, iesthæ nun echin, id est mentem habere se putent. De Venere Hesiodo repugnare non decet, sed concedere, propter ipsam ex aphro, hoc est ex spuma, generationem Aphroditin vocari. Herm. At vero Minervam, o Socrates, Vulcanumque et Martem, cum sis Athenionsis, silentio non præteribis. So. Haudquaquam decet. Herm. Non certe. So. Alterum quidem ejus nomen quamobrem sit impositum, haud difficile dictu. Herm. Quod? So. Palladem eam vocamus. Herm. Plane. So. Nomen hoc censendum est a saltatione in bello ductum fuisse. porro vel sese vel aliud a terra attollere, seu manibus aliquid efferre, dicimus [407] pallin et pallesthæ, id est vibrare agitareque et agitari, et saltare et saltationem perpeti. Herm. Absque controversia. So. Palladem hac ratione vocamus. Ac merito. Herm. Alterum ejus nomen quo pacto interpretaris? So. Athenam quæris? Herm. Id ipsum. So. Gravius istud, amice. videntur prisci Athenam existimare, quemadmodum hi qui his temporibus in Homeri interpretationibus sunt eruditi. nam istorum plurimi Homerum exponunt, Athenam tanquam mentem cogitationemque finxisse. et qui nomina invenit, tale aliquid de illa sensisse videtur: immo etiam altius eam extollens, ut Dei mentem induxit, perinde ac si diceret ethenoe hæc est, utens a pro e externo quodam ritu, i vero et s detrahens. Forte vero non ita, sed thia noesis, id est utpote quæ divina cognoscat; præ ceteris omnibus Theonem, id est divina cognoscentem vocavit. Neque ab re

Digitized by Google

erit, si dixerimus voluisse illum appellare eam Ethenoen, quasi ipsa in more intelligentia sit. ipse postmodum, vel etiam posteriores, in pulchrius, ut videbatur, aliquid producendo, Atheneam denominarunt. Herm. Quid de Vulcano quem Ephæston nominant? So. Quid ais? num generosum ipsum phæos histora, id est luminis præsidem, quæris? Herm. Hunc quæsisse videor. So. Hic, ut cuique patere potest, Phæstos est, et e sibi vendicat. unde Ephæstos, id est luminis præses, est dictus. Herm. Apparet: nisi tibi quoquo modo adhuc aliter videatur. So. At ne videatur aliter, de Marte interroga. Herm. Interrogo. So. Si placet, Ares, id est Mars, dicitur secundum arren, id est masculum, et andrion, id est forte. Quin etiam, si volueris ob naturam quandam asperam, duram atque invictam immutabilemque, quod totum arraton appellatur, Aren vocatum fuisse, hoc quoque Deo penitus bellicoso conveniet. Herm. Prorsus. So. Deos jam mittamus, per deos obsecro. nam de his disserere vereor. Ad alia vero quæcunque vis, me provoca, ut quales Euthyphronis equi sint, noveris. Herm. Faciam ut petis, si unum de me quæsivero. me siquidem Cratylus Hermogenem esse negat. investigemus itaque quid Hermu, id est Mercurii nomen significet: ut si quid veri hic loquitur, videamus. So. Hermes, id est Mercurius, ad sermonem pertinere videtur, quatenus hermineus est, hoc est interpres et nuntius, furtivus in loquendo seductor, ac [408] vehemens concionator. totum id circa sermonem versatur. profecto, quemadmodum in superioribus diximus, irin sermonis est usus. Sæpe vero de hoc Homerus ait, emesato, id est machinatus est. ex utrisque igitur nomen hujus dei componitur, tum ex eo quod loqui est, tum ex eo quod machinari et excogitare dicenda: perinde ac si nominis auctor nobis præciperet, Par est, o viri, ut deum illum qui irin emesato, id est loqui machinatus est, Iremen vocetis. Nos autem, arbitrati sic elegantius eloqui, Hermen vocamus. Quin etiam Iris ab eo quod irin, id est loqui, nomen habet, propterea quod nuntia est. Herm. Probe medius fidius Hermogenem esse me Cratylus negavisse videtur. ad orationis enim inventionem hebes sum. So. Consentaneum quoque, amice, Pana biformem filium esse Mercurii. Herm. Qua ratione? So. Scis, quod sermo pan, id est omne, significat, circuitque et volvit semper, estque geminus, verus videlicet ac falsus. Herm. Equidem. So. An non id quod in sermone verum, leve est atque divinum, supraque in diis habitans? contra quod falsum, infra in hominum multis, asper atque tragicus? hinc enim fabularum commenta et falsa quam plurima circa tragicam vitam reperiuntur. Herm. Sic est omnino. So. Merito igitur qui est pan, id est totum, nuntians et ai polon, id est semper volutans, Pan æpolos, biformis Mercurii filius diceretur, ex superioribus partibus lenis ac delicatus, ex inferioribus asper atque hircinus. Estque Pan vel ipse sermo vel sermonis frater; siquidem est Mercurii filius. Fratrem vero fratri similem esse quid mirum? Ceterum jam, o beate, ut et paulo ante rogabam, sermonem de diis hunc abrumpamus. Herm. Tales quidem deos, si vis, mittamus, o Socrates. hujusmodi vero quædam percurrere quid prohibet, Solem, lunam, stellas, terram, ætherem, aërem, ignem, aquam, ver et annum? So. Multa sunt ac magna quæ postulas. si tamen gratum tibi futurum est, obsequar. Herm. Pergratum plane. So. Quid primum poscis? an, ut ipse narrabas, inprimis helion, id est Solem? Herm. Profecto. So. Manifestius id fore videtur, si Dorico nomine quis [409] utatur. Dorici enim halion vocant: atque ita vocatur secundum halizin, id est ex eo quod congregat in unum homines, cum exoritur. item ex eo, quod circa terram ai hilin, id est semper revolvitur. præterea quia variat circuitu suo quæ terra nascuntur. variare autem et æolin idem est. Herm. Quid vero de selene, id est Luna, dicendum? So. Nomen hoc videtur Anaxagoram premere. Herm. Cur?

Digitized by Google

So. Quoniam pro se aliquid fert antiquius, quod ille nuper dixit, quod Luna a Sole lumen haurit. Herm. Quo pacto? So. Selas idem est, quod lumen. Herm. Idem. So. Lumen hoc perpetuo circa lunam neon et henon est, id est novum ac vetus, si modo Anaxagorici vera loquuntur: nam circumlustrans eam continue renovatur. vetus autem est mensis præteriti lumen. Herm. Utique. So. Lunam quidem selanæam multi nominant. Herm. Certe. So. Quoniam vero lumen novum ac vetus semper habet, merito vocari deberet selaenneoaia. nunc autem conciso vocabulo selanæa vocatur. Herm. Dithyrambicum nomen hoc est, o Socrates, verum mena, id est mensem, et astra quomodo interpretaris? So. Mensis quidem mies recte ab miusthæ, a minuendo, jure nuncuparetur. Astra vero astrapes, id est coruscationis cognomentum habent. astrape autem, quia opa anastrephi, id est, visum ad se convertit, anastrope dici deberet. nunc concinniori vocabulo astrape nominatur. Herm. Unde nomen trahit pyr et hydor, id est ignis et aqua? So. Ambigo equidem: videturque aut Musa me Euthyphronis deseruisse, aut hoc arduum quiddam esse. adverte obsecro, quo confugiam in omnibus, quæcunque dubito. Herm. Quonam? So. Dicam tibi. scis ipse qua ratione pyr nominatur? Herm. Non hercle. So. Vide quid de hoc suspicer. Reor equidem, multa nomina Græcos a Barbaris, eos præsertim qui sub Barbaris sunt, habuisse. Herm. Quorsum hæc? So. Si quis rectam istorum impositionem secundum Græcam vocem quærat, non secundum eam qua est nomen inventum, nimirum ambiget. Herm. Verisimile id quidem. [410] So. Vide itaque, ne nomen hoc pyr barbaricum sit. neque enim facile est istud Græcæ linguæ accommodare, constatque ita hoc Phrygios nominare parum quid declinantes: et hydor et cynas, id est canes, aliaque permulta. Herm. Vera hæc sunt. So. Ergo distrahere ista nihil oportet, quandoquidem de ipsis nihil dicere quisquam potest. Quapropter nomina illa ignis et aquæ hunc in modum rejicio. Aer autem sic est dictus, Hermogenes, quia quæ circa terram sunt æri, id est elevat: vel quia ai ri, hoc est semper fluit: vel quia ejus fluxu spiritus concitatur. poëtæ quippe flamina æras nuncupant. forte igitur aër dicitur quasi pneumatorrum, aetorrum, id est spiritus fluens, vel fluens flamen. Ætherem præterea sic exponendum arbitror, quoniam ai thi circa aera reon, id est semper currit circa aerem fluens, quocirca aitheer dici posset. Ge autem, id est terra, planius sensum exprimit, si Gæa dicatur. gæa enim recte genetira, id est genitrix dici potest, ut ait Homerus. nam quod gegaasi dicitur, genitum esse inquit. Quid restat deinceps? Herm. Ver et annus, o Socrates. So. Horæ quidem, id est veris tempora, prisca et Attica voce dicenda sunt, si vis quod conveniens est, cognoscere. horæ namque vocantur, quia horizusi, id est terminant hiemem atque æstatem ventosque et fructus ex terra nascentes. Eniautos autem et etos, id est annus, idem esse videtur. Quod enim in lumen vicissim educit, quæcunque nascuntur fiuntque ex terra, ipsumque in seipso examinat et discernit, annus est: et ut supra Jovis nomen diximus in duo sectum, aliquibus Zena, ab aliis Dia vocari; ita et annum quidem eniauton vocant, quia in seipso; quidam etos, quia examinat. integra vero oratio est, ipsum quod in se ipso examinat. Unde ex oratione una nomina duo selecta sunt. quod enim simul dicitur, ... , id est in seipso examinans, distinctum dicitur eniautos et etos, id est annus. Herm. At vero, o Socrates, jam longe progrederis. So. Longius equidem in philosophia videor evagari. Herm. Quin immo. So. Forte magis concedes. [411] Herm. Verum post hanc speciem libentissime contemplarer, qua ratione recte nomina ista præclara virtutum sint imposita: ut phronesis, id est prudentia, synesis intelligentia, dicæosyne justitia, ac reliqua hujus generis omnia. So. Haud contemnendum genus nominum suscitas, o amice. verumtamen, postquam

Digitized by Google

leontinam pellem sum indutus, haud deterreri decet: immo præclara ipsa, ut ais, nomina prudentiæ, intelligentiæ, cogitationis, scientiæ ceterorumque hujusmodi considerare. Herm. Quin profecto prius desistere nullo modo debemus. So. Ædepol, non male mihi de eo conjicere videor, quod modo considerabam, antiquissimos videlicet illos nominum auctores, ut et sapientum nostrorum plurimis accidit, ob frequentem ipsam in rebus pervestigandis revolutionem, præter ceteros in cerebri vertiginem incidisse: quo factum puto, ut res ipsæ perferri et vacillare illis apparerent. Opinionis autem hujus causam haud interiorem vertiginem, sed exteriorem ipsarum rerum circuitum arbitrantur: quas ita natura habere se putant, ut nihil in eis firmum et stabile sit, sed fluant omnes feranturque et omnifariam agitentur semperque gignantur et defluant. quod quidem in his nominibus, quæ nunc relata sunt, conspicio. Herm. Quo pacto, Socrates? So. Haud advertisti superiora nomina rebus quasi delatis, fluentibus et jugi generatione translatis imposita fuisse? Herm. Non satis percepi. So. Principio quod primum retulimus, omnino ad aliquid hujus generis attinet. Herm. Quale istud? So. Phronesis, id est prudentia, est phoras et rhu noesis, id est lationis et fluxus animadversio. significare quoque potest, recipere onesim phoras, id est lationis utilitatem. tandem circa ipsam agitationem versatur. Quin etiam si vis, gnome, id est cogitatio, significat gones nomesin, id est generationis considerationem. noman quippe considerare est. Noesis autem, id est intellectio, est neu esis, id est novi desiderium. noeas vero res esse, significat eas fieri semper. atque hoc desiderare et aggredi animum, indicat qui nomen illud invenit neoesim. principio namque noisis non dicebatur, sed pro i duo e proferenda erant, ut neoesis, quasi neu, id est novi, ἔσις, appetitio et aggressio. Sophrosyne, id est temperantia, illius quod modo diximus phroneseos, id est prudentiæ, salus et conservatio est. [412] Episteme, id est scientia, ab eo quod instat et sequitur tractum est, quasi res fluentes solers animus persequatur, instetque et comitetur, at neque ex mora posterior, neque præcursione sit prior. quare e interjecto epistemen vocare decet. Synesis, tanquam syllogismus, id est ratiocinatio quædam, esse videtur. cum autem synienæ dicitur, idem intelligitur ac si diceretur epistasthæ. nam ostendit cum rebus animum coagredi. Sophia, id est sapientia, agitationis est tactus. Obscurius autem et alienius istud a nobis. verum animadvertendum est in poëtis, quotiens volunt adventantem aliquem et irruentem exprimere, esythe, id est erupit, prosiliit, dicere. Quin et illustri cuidam apud Lacedæmonios viro nomen erat Sus, id est, præpes. sic enim Lacedæmones concitationis impetum indicant. Quasi itaque omnia perferantur, hujus ipsius agitationis, quæ eo quod sus dicitur, significatur, epaphen, id est tactum perceptionemque, sophia demonstrat. Agathon, id est bonum, cujusque naturæ agaston, id est admirabile, amabile, delectabile, significat. Enimvero postquam fluunt omnia, partim celeritas, partim tarditas inest. est igitur non omne velox: sed ipsius aliquid agaston, quod quidem agathon ipsius agathon nomine declaratur. Dicæosyne, id est justitia, quod dicæu synesim, id est justi intelligentiam, importet, facile conjicere possumus. Quid autem ipsum dicæon sibi velit, difficile cognitu. videtur autem hucusque a multis quod dictum est concessum: reliquum vero dubium. Etenim quicunque totum mobile arbitrantur, plurimum agitari ipsum existimant: perque omne aliquid permanare quo singula fiant, quodve tenuissimum sit et velocissimum. neque enim per omnia discurrere posse, nisi adeo tenue sit, ut nihil possit obsistere penetranti; et adeo velox, ut ceteris quasi stantibus utatur. Quoniam igitur gubernat omnia diaion, id est discurrens et permanans, merito dicæon est appellatum, e uno politioris prolationis gratia interjecto. Hactenus, quod modo diximus, inter plurimos

Digitized by Google

constat hoc esse justum. [413] Ego autem, Hermogenes, utpote discendi desiderio flagrans, hæc omnia perscrutatus sum, et in arcanis percepi, quod hoc ipsum justum sit, et causa. quo enim res ipsæ fiunt, hoc est causa: proprieque ita vocari istud debere quispiam tradidit. Cum vero ab his, jam auditis istis, nihilominus diligenter exquiro, quid ipsum justum sit, quandoquidem ita se habet: videor jam ulterius quam decet exigere, et caveam, ut dicitur, vallumque supergredi. satis enim superque rogasse me et audisse respondent: meque volentes explere, alius aliud afferre conantur, neque ultra consentiunt. Quidam ait justum hoc Solem esse. solum quippe solem discurrendo calefaciendoque omnia gubernare. Cum vero istud alacer cuiquam, quasi præclarum aliquid audiverim, refero, statim ille me ridet, quæritque, nunquid existimem post solis occasum justum nihil hominibus superesse? Percontanti itaque mihi quid ille sentiret, ipsum sit ignem justum existere. neque id cognitu facile. quare alius inquit, non ignem ipsum, sed ipsum potius innatum igni calorem. Alius hæc omnia pro nihilo habet. esse enim justum mentem illam, quam induxit Anaxagoras. Dominam certe illam suapte natura, nec alicui mixtam, exornare omnia inquit, per omnia penetrantem. Hic quidem, o amice, in majorem ambiguitatem sum prolapsus, quam antea, dum nihil de justitia sciscitabar. Ceterum, ut redeamus ad id cujus gratia disputamus, nomen illi tale propter hæc, quale diximus, est tributum. Herm. Videris, o Socrates, ex aliquo audisse hæc, neque ex tua officina ruditer deprompsisse. So. Quid alia? Herm. Non ita. So. Attende igitur. forte nanque in reliquis te deciperem, quasi quæ afferam non audiverim. Post justitiam quid restat? Andriam, id est fortitudinem, nondum peregimus. Injustitia sane obstaculum ejus est quod discurrit per omnia. andria in pugna versa tur. pugna in rebus, si quidem fluunt, nihil aliud est quam fluxus ipse contrarius. Quapropter si quis d subtraxerit ex nomine hoc andria, nomen quod restat anria, opus ipsum declarat. Constat plane, quod non fluxus cujusque contrarius rhoe, id est fluxus, fortitudo est, sed oppositus illi, qui præter justum sit, fluxui. [414] neque enim aliter fortitudo esset laudabilis. Arren autem, id est mas, et aner, vir, a simili quodam ducunt originem, scilicet ab ano rhoe, id est sursum fluxu. Gyne vero, id est mulier, quasi gone, id est fœcunda et generatrix: thely, id est femina, ab theles, id est papilla dicitur. thele autem videtur, Hermogenes, dici, quia thelenin, id est germinare pullulareque facit, ut irrigans ea quæ irrigantur. Herm. Sic apparet, o Socrates. So. Thallin, id est virescere, adolescere, florescere, augmentum juvenum repræsentant, quasi velox quiddam et subitum, quod innuit ille qui nomen conflavit ex thin, id est currere, et hallesthæ, id est saltare. animadvertis, me velut extra cursum delatum, postquam plana ac pervia nactus sum? Multa quoque supersunt, quæ ad seria pertinere videntur. Herm. Vera loqueris. So. Quorum unum est, ut videamus, quid techne, id est ars, importet. Herm. Prorsus. So. Nonne hoc bexin nu, id est habitum mentis, ostendit, si t demitur, interseritur autem o medium inter ch et n et e? Herm. Aride nimium, Socrates, et inculte. So. An ignoras, beate vir, nomina vetera distracta jam esse atque confusa a sermonis tragici studiosis, elegantiæ gratia addentibus et subtrahentibus literas, ac partim temporis diuturnitate, partim exornationis studio undique pervertentibus? ut ecce in catoptro, id est speculo, quam absurdum est r ipsius additamentum. talia certe, ut arbitror, faciunt, quod oris illecebras pluris æstimant quam veritatem. Quamobrem cum multa nominibus ipsis adjecerint, tandem effecerunt, ut nemo jam nominum sensum animadvertat, quemadmodum dum sphinga, id est monstrum quoddam, proferunt, cum phisga pronuntiare deberent, ac cetera multa. Profecto si daretur cuique arbitratu suo et demere et addere, magna utique esset licentia, et

Digitized by Google

quodlibet nomen cuique rei unusquisque tribueret. Herm. Vera narras. So. Vera plane. sed enim mediocritatem quandam atque decorum servare te decet præsidem sapientem. Herm. O utinam. So. Atqui et ipse, o Hermogenes, opto. verum ne exacta nimium discussione, vir felix, exquiras, [415] ne vim meam prorsus exhaurias. Ascendam quippe ad supra dictorum apicem, postquam post artem consideraverimus mechanem, id est machinationem excogitationemque solertem. videtur autem significare idem quod multum pertingere et ascendere. componitur ergo ex his duobus, mechus, id est longe et multum, et aniti, id est ascendere, penetrare, pertingere. Sed, ut modo dicebam, ad summum dictorum perveniendum est: quærendumque, quid nomina ista significent, arete, id est virtus, et cacia, id est pravitas. Alterum quidem nondum reperio: alterum patere videtur. nam superioribus omnibus consonat. nempe tanquam eant omnia, cacos ion, id est male vadens, cacia, id est pravitas erit. quare cum anima male ad res ipsas accedet, communiter prava dicetur. proprie vero ac maxime procedendi hæc facultas in dilia, id est timiditate patet, quam nondum declaravimus; prætermisimus enim. oportebat autem continuo post fortitudinem ipsam inferre. multa insuper alia præterisse videmur. dilia significat durum animæ vinculum. desmos enim vinculum est. lian vero forte quiddam durumque significat. quare timiditas vehemens ac maximum est animæ vinculum: quemadmodum et aporia, id est defectus, inopia, dubium, malum quiddam est, ac summatim quodcunque progressus ipsius impedimentum: idque male esse videtur ostendere, in ipsa videlicet motione impediri atque detineri. quod cum anima subit, pravitate plena dicitur. Quod si illud pravitatis nomen talibus quibusdam competit, contrarium ἀρετή, id est virtus, significabit. in primis quidem facultatem agilemque progressum, deinde solutum et expeditum animæ bonæ impetum esse oportet. Quamobrem absque impedimento obstaculoque ai rheon, id est semper fluens, jure cognominari posset airite. forte vero et hæreten vocat quis, quia sit habitus iste hæretotatos, id est maxime eligendus. verum conciso vocabulo arete denominatur. Forsitan me fingere dices. ego autem assero, si modo nomen illud pravitatis, quod retuli, recte est inductum, recte quoque et istud virtutis nomen induci. Herm. At cacon, id est malum, per quod [416] in superioribus multa dixisti, quid sibi vult? So. Extraneum quiddam per Jovem, ac inventu difficile. itaque ad hoc etiam machinamentum illud superius afferam. Herm. Quid istud? So. Barbaricum quiddam et hoc esse dicam. Herm. Probe loqui videris. So. Ceterum hæc jam, si placet, mittamus: nomina vero ista calon et æschron, id est pulchrum et turpe, consideremus. Quid æschron innuat, satis mihi patere videtur. nempe cum superioribus convenit. Videtur qui nomina statuit, passim agitationis impedimentum vituperare. ut ecce, ai ischonti rhun, id est semper impedienti fluxum, nomen dedit aischorum. nunc vero perstringentes æschron appellant. Herm. Quid calon, id est pulchrum? So. Hoc cognitu difficilius: quanquam ipsum ita deducitur, ut harmoniæ duntaxat et longitudinis gratia ipsum a sit productum. Herm. Quo pacto? So. Nomen istud cogitationis cognomentum quiddam esse videtur. Herm. Qui istud ais? So. Quam tu causam appellationis rei cujusque censes? an non quod nomina tribuit? Herm. Omnino. So. Nonne causa hæc cogitatio est, vel deorum vel hominum vel amborum? Herm. Nempe. So. Ergo calcsan, id est quod vocat res, et calon idem ac cogitatio sunt. Herm. Apparet. So. Quæcunque mens et cogitatio agunt, laudanda sunt: quæ non, vituperanda. Herm. Prorsus. So. Quod medicinæ particeps, medicinæ opera efficit: quod fabrilis artis, fabrilia. tu vero quid sentis? Herm. Idem. So. Pulchrum itaque pulchra? Herm. Decet. So. Est autem hoc, ut

Digitized by Google

diximus, cogitatio. Herm. Maxime. So. Nomen itaque hoc calon, id est pulchrum, merito erit prudentiæ cognomentum, talia quædam agentis, qualia affirmantes pulchra esse, diligimus. Herm. Sic apparet. So. Quid ultra generis hujus restat investigandum? Herm. Quæ ad bonum et pulchrum spectant, conferentia videlicet, utilia, conducibilia, [417] emolumenta, horumque contraria. So. Quid sympheron, id est conferens sit, ex superioribus ipse invenies. Nam nominis illius quod ad scientiam attinet, germanum quiddam apparet. nihil enim præ se fert aliud quam phoram, id est lationem animæ simul cum rebus; quæve hinc proveniunt, vocari sympheronta et symphora, id est conferentia, ex eo quod simul circumferuntur. Herm. Videtur. So. Cerdaleon autem, id est emolumentum, ab cerdos, id est lucro. cerdos vero, si quis n pro d nomini huic inserat, quod vult exprimit. nam bonum alio quodam modo nominat. quod enim omnibus immiscetur, diffusum per omnia, hanc ipsam ejus vim significans nomen illud excogitavit, d pro n apponens, ac cerdos pronuntiavit. Herm. Quid autem lysitelun, id est utile? So. Videtur, o Hermogenes, non sicut caupones hoc utuntur, iccirco lysitelun vocari, quia analoma apolye, id est sumptus vitat et minuit: verum quia cum velocissimum sit, res stare non simit, neque permittit lationem telos, id est finem progressionis accipere atque cessare, sed solvit semper ab illa fugatque, si quis terminus superveniat; ipsamque indesinentem immortalemque præbet. hac ratione bonum lysitelun vocatum arbitror. ipsum enim motionis lyon telos, id est solvens terminum, lysitelun vocari videtur. Ophelimum vero, id est conducibile, peregrinum nomen est, quo sæpenumero Homerus est usus. est autem hoc augendi faciendique cognomentum. Herm. Quid de horum contrariis est dicendum? So. Quæ per negationem istorum dicuntur, tractare nequaquam oportet. Herm. Quænam ista? So. Asymphoron, anopheles, alysiteles, acerdes. Herm. Vera loqueris. So. Sed vlaveron et semiodes, id est noxium et damnosum. Herm. Certe. So. Vlaveron quidem vlapton rhum esse dicit. βλάπτον autem significat βουλόμενον ἅπτειν, id est, quod vult aptin, id est impedire et coërcere, rhum, id est fluxum. hoc autem passim vituperat. quodque vult aptin rhum, recte vulapterum appellaretur. verum ornatus gratia vlaveron arbitror nominatum. Herm. Varia tibi suboriuntur, o Socrates, nomina. atqui mihi videris in præsentia quasi Palladiæ legis præludium quoddam præcinuisse, dum nomen hoc [418] vulapterum pronuntiares. So. Non ego in causa sum, Hermogenes, sed qui nomen ipsum instituerunt. Herm. Vera loqueris. verum semiodes quid? So. Quid esse debeat semiodes, dicam, Hermogenes: et vide quam vere loquar, quotiens dico quod addentes ac dementes literas longe nominum sensum variant, adeo ut sæpe exiguum quid mutantes, contrariam significationem inducant. quod apparet hoc in nomine deon, id est opportunum. venit hoc mihi nuper in mentem, de eo quod dicturus sum cogitanti: Recens profecto vox ista nobis pulchra, coëgitque contrarium sonare nobis deon et semiodes, sensum ipsum confundens vetus autem, quid nomen utrumque vult, explicat. Herm. Quid isthuc ais? So. Dicam equidem. Haud te præterit, majores nostros frequenter i et d uti solitos: nec rarius mulieres, quæ maxime priscam vocem servant. nunc autem pro i vel ipsum e vel . . adhibent: pro d vero z, quasi hæc magnificentius quiddam præferant. Herm. Quo pacto? So. Ut ecce vetustissimi viri himeram diem vocabant: posteriores autem partim emeram, partim hoc himeram vocant. Herm. Vera hæc sunt. So. Scis igitur, vetusto illo nomine tantum mentem ejus qui nomen imposuit declarari. nam ex eo quod himirusin, id est desiderantibus hominibus gratulantibusque, e tenebris lumen emicuit, diem himeram cognominarunt. Herm. Apparet. So. Nunc autem ita

Digitized by Google

more tragico decantatum est, ut quid sibi velit hemera, nequaquam intelligas. quanquam arbitrantur nonnulli himeram dici, quod himera, id est mansueta quæque efficiat. Herm. Ita mihi videtur. So. Neque te fugit, veteres zygon, id est jugum, dyogon vocavisse. Herm. Plane. So. Enimvero zygon nihil aperit. at dyogon dyin agogen, id est duorum conductionem ligandi simul gratia, monstrat, idemque est de multis aliis judicandum. Herm. Patet. So. Eadem ratione deon ita pronuntiatum contrarium nominum omnium quæ ad bonum spectant ostendit. nam boni species existens deon, desmo, id est vinculum quoddam et impedimentum processionis esse videtur, tanquam vlaveru, id est noxii, affine quiddam. Herm. Ita maxime apparet, o Socrates. So. Verum non sic in nomine veteri: quod verisimilius est recte institutum fuisse, quam nostrum, [419] nempe cum superioribus bonis consentiens, si pro e i vetus restituas. neque enim deon, sed dion bonum illud significat, quod semper nominum laudat inventor. atque ita secum ipse non dissidet, immo ad idem spectant deon quasi dion, ophelimon, lysiteluñ, cerdaleon, agathon, sympheron, euporon, id est facile ad progressum. universum hoc diversis nominibus innuit aliquid per omnia penetrans omniaque perornans, idque ubique laudatum. quod vero obstat et detinet, improbatum. Quin etiam in nomine hoc semiodes, si veterum more d pro s posueris, apparebit tibi nomen istud dunti ion, id est liganti sistentique quod pergit, impositum. unde et demiodes cognominandum. Herm. Quid hidone, lype, epithymia, voluptas scilicet, dolor, cupiditas, Socrates, et hujus generis reliqua? So. Haud nimis obscura mihi videntur, Hermogenes. Hidone, id est voluptas, siquidem actionis illius nomen est, quæ ad onisim, id est utilitatem emolumentumque tendit. d vero adjectum facit, ut pro eo quod est ionisis, hidone proferatur. Lype, id est dolor, a dialyseos, id est dissolutione corporis, trahi videtur. nam in hujusmodi passione corpus dissolvitur. Ania, id est tristitia, quod impedit ienæ, id est ire, demonstrat. Algedon, id est cruciatus, peregrinum nomen videtur, ab alginu dictum. Odine, id est dolor et afflictio, ab endyseos, id est ingressione doloris denominatur. Herm. Videtur. So. Achthedon, id est mœror languorque, lationis gravedinem tarditatemque significat. achthos enim onus est: ion vero pergens. Chara vero, id est lætitia gaudiumque, a diachyseos, id est profusione, et euporias, id est facilitate, rhoes, id est motionis animæ, dicitur. Terpsis, id est delectatio, ab terpnu, id est oblectamento ducitur. terpnon autem a pnoi, id est inspiratione delectationis in animam. quare merito vocaretur empnum, id est inspirans. temporis autem intervallo ad terpnon deventum est. Euphrosyne, id est hilaritas et alacritas, quam ob causam dicatur, assignare nihil opus. nam cuique patet hoc nomen trahi ab eo quod dicitur eu, id est bene, sympheresthæ, id est una sequi, quasi dicatur anima bene res assequi. unde eupheresyne vocari deberet: tamen euphrosynem appellamus. Sed neque difficile est assignare, quid epithymia, id est cupiditas, sibi velit. nomen quippe istud vim tendentem in thymon, id est animum et iram et furorem ostendit. thymos autem a thyseos et zeseos, id est flagrantia, fervore et impetu animæ. proinde himeros, id est suavis et blanda perfusio, dicitur, rho, id est fluxu animam vehementer alliciente. ex eo enim quod hiemenos rhi, id est incitatus rerumque appetens fluit, [420] animam vehementer attrahit propter impetum sive incitamentum fluxus. ab hac tota vi himeros est nuncupatus. Præterea pothos vocatur, id est desiderium, quod sane præsentem suavitatem non respicit, quemadmodum himeros, sed absentem ardet. unde pothos dicitur, quasi apontos, id est absentis concupiscentia. idemque ipse in id quod gratum est animi nixus, præsente eo quod cupitur himeros, absente pothos denominatur. Eros autem, id est amor, quia isrhi, id est

Digitized by Google

influit extrinsecus, neque propria est habenti rhoe, id est fluxio ista, sed infusa per oculos. quapropter ab esrhin, id est influere, esros, id est influxio, amor ab antiquis nostris appellabatur. nam omicron pro omega utebantur. nunc autem eros dicitur, omega pro omicron interposito. Verum quid deinceps considerandum praecipis? Herm. Doxa, id est opinio, et talia quaedam, unde nomen habent? So. Doxa vel a dioxi, id est persecutione dicitur, qua pergit et prosequitur anima, conditionem rerum investigans: vel a toxu vole, id est arcus jactu. videtur autem hinc potius dependere. oiesis, id est existimatio, huic consonat. ostendit quippe isin, id est ingressum animae in unumquodque considerandum, oion, id est quale sit: quemadmodum et vule, id est voluntas, a vole, id est jactu dicitur: et vulesthae, id est velle, propter ipsum attingendi nixum significat etiam ephiesthae, id est cupere: et vuleuesthae, id est consulere. omnia haec opinionem sequentia, voles ipsius, id est jactus et nixus, imagines esse videntur. quemadmodum contrarium avulia, id est privatio voluntatis, defectus quidam consequendi impos apparet: quasi non contendat; neque etiam quod intendit, vult, cupit, investigat, adipiscatur. Herm. Frequentiora haec congerere videris, o Socrates. Quare finis jam sit favente deo. Volo tamen adhuc anancem et ecusion, id est necessarium et voluntarium declarari. nempe superioribus ista succedunt. So. Ecusion equidem est icon, id est cedens neque renitens. hoc siquidem nomine declaratur icon ionti, id est cedens eunti, quodve ex voluntate perficitur. Anancæon vero, id est necessarium et obsistens, cum praeter voluntatem sit, circa errorem inscitiamque versabitur. describitur autem ex processu secundum necessitatem, quoniam invia, aspera, densa incessum prohibent. unde anancæon dictum est, quasi per ancus ion, id est per vallem vadens. Quousque vero viget robur, ne deseramus. quamobrem interroga amabo, neque desistas. Herm. Ecce, rogo quae maxima sunt [421] et pulcherrima: alethiam, id est veritatem, et pseudos, id est mendacium, et on, id est ens, et quare id quo de hic agimus, onoma, id est nomen, dicitur. So. Quid vocas maiesthae? Herm. Voco equidem inquirere. So. Videtur nomen hoc ex sermone illo conflatum, quo dicitur on, id est ens esse, cujus nomen inquisitio est. Quod clarius certe comprehendes in eo quod dicimus onomaston, id est nominandum. hic enim exprimitur nomen quid sit, entis videlicet inquisitio. Alethia vero, sicut et alia, componi videtur. nam divina ejus quod est latio nomine hoc includitur alethia, quasi existens thia ale, id est divina quaedam vagatio. pseudos autem contrarium motionis. rursus hic vituperatur agitationis obstaculum, quodve sistere cogit. nam a catheudo, id est dormio, ducitur. ps vero adjectum sensum nominis occulit. On vero et usia, id est ens et essentia, cum alethia, id est veritate, congruunt, si i apponatur. nam ion, id est vadens, significat. At ucon, id est non ens, quidam nominant ucion, id est non vadens. Herm. Haec mihi videris, o Socrates, fortiter admodum discussisse. Verum si quis te percontetur, quae sit recta istorum interpretatio, quae dicuntur ion, id est vadens, rheon, id est fluens, dum, id est ligans ac detinens, quid illi potissimum respondebimus? habesne? So. Habeo equidem. profecto nuper succurrit nobis aliquid, cujus responsione quicquam videamur afferre. Herm. Quale istud? So. Ut quod minime cognoscimus, barbaricum esse dicamus. forte enim partim re vera talia sunt. forte vero partim ac praesertim nomina prima temporum confusione inscrutabilia. Etenim cum passim vocabula distrahantur, nihil mirum esset, si prisca lingua cum nostra collata nihilo a barbarica voce differret. Herm. Haud alienum est a ratione quod dicis. So. Consentanea quidem affero. non tamen iccirco certamen excusationem videtur admittere. Sed conemur ista disquirere, atque ita consideremus: si quis semper

Digitized by Google

verba illa, per quæ nomen dicitur, quæreret, rursusque illa, per quæ dicuntur verba, sciscitaretur, pergeretque ita perquirere: nonne qui respondet, defagitari tandem et renuere cogeretur? Herm. Mihi sane videtur. [422] So. Quando itaque qui responsum denegat, merito cessabit? an non postquam ad nomina illa pervenerit, quæ ceterorum sunt et sermonum et nominum elementa? hæc utique si elementa sunt, ex aliis nominibus composita videri non debent. quemadmodum supra agathon, id est bonum, diximus ex agastu, id est jucundo amabilique, et thou, id est veloci, compositum. thoon rursus ex aliis constare dicemus, illaque ex aliis. sed postquam ad id pervenerimus, quod ultra ex aliis nominibus non cónstituitur, merito nos ad elementum pervenisse dicemus, nec ulterius hoc in alia nomina referendum. Herm. Scite mihi loqui videris. So. An non ea de quibus paulo ante interrogabas nomina elementa sunt? oportetque rectam illorum rationem aliter quam reliquorum investigare? Herm. Probabile id quidem. So. Probabile certe, Hermogenes. superiora itaque omnia in hæc redacta videntur. ac si ita se res habet, ut mihi videtur, rursus age hic una mecum considera, ne forte delirem, dum rectam primorum nominum rationem exponere tento. Herm. Dic modo. ego namque pro viribus meditabor. So. Arbitror equidem in hoc te consentire, unam esse rectam et primi et ultimi nominis rationem, nullumque illorum eo quod nomen est, ab alio discrepare. Herm. Maxime. So. Etenim omnium quæ supra retulimus nominum recta ratio in hoc constitit, ut qualis quæque res sit indicaretur. Herm. Procul dubio. So. Hoc utique non minus prioribus quam posterioribus competere debet, si nomina futura sunt. Herm. Prorsus. So. Atqui posteriora nomina per priora hoc efficere poterant. Herm. Apparet. So. Prima vero, quibus alia non præcedunt, quo pacto quam maxime res ipsas nobis ostendent, si nomina esse debent? Ad hoc mihi responde. Si voce et lingua caruissemus, voluissemusque res invicem declarare, nonne perinde ac nunc muti, manibus capiteque et ceteris membris significare tentavissemus? Herm. Haud aliter, Socrates. [423] So. Ergo supernum quippiam ac leve demonstraturi, cœlum versus manum extulissemus, ipsam rei naturam imitantes: inferiora vero et gravia dejectione quadam humi innuissemus. quin etiam currentem equum vel aliud quicquam animalium indicaturi, corporum nostrorum gestus figurasque ad illorum similitudinem quam proxime quisque finxisset. Herm. Necessarium quod ais esse mihi videtur. So. Hunc in modum, ut arbitror, his corporis partibus ostensum esset: corpore videlicet quod quisque monstrare voluerat imitante. Herm. Ita certe. So. Postquam vero voce, lingua et ore declarare voluimus, nonne ita demum per hæc ostensio fiet, si per ea circa quodlibet facta fuerit imitatio? Herm. Necessarium puto. So. Nomen itaque est, ut apparet, imitatio vocis, qua quisquis aliquid imitatur, per vocem imitatur et nominat. Herm. Idem mihi quoque videtur. So. Nondum tamen recte dictum existimo. Herm. Quamobrem? So. Quoniam istos ovium et gallorum ceterorumque animalium imitatores fateri cogeremur nominare eadem, quæ imitantur. Herm. Vera loqueris. So. Decere id censes? Herm. Nequaquam. sed quamnam, o Socrates, imitatio nomen erit? So. Non talis imitatio, qualis quæ per musicam fit, quamvis voce fiat. neque etiam eorundem quorum et musica imitatio est: neque enim per musicam imitationem nominare videmur. Dico autem sic: adest rebus vox et figura colorque plurimis. Herm. Omnino. So. Videtur mihi, si quis hæc imitetur, neque circa imitationes istas nominandi facultas consistere. hæ siquidem sunt partim musica, partim vero pictura. nonne? Herm. Plane. So. Quid ad hoc? nonne essentiam esse cuique putas, quemadmodum colori et ceteris quæ supra diximus? An non inest colori ac voci essentia quædam,

Digitized by Google

et aliis omnibus quæcunque essendi appellatione sunt digna? Herm. Mihi quidem videtur. So. Si quis cujusque essentiam imitari literis syllabisque valeret, nonne quid unumquodque sit declararet? [424] Herm. Maxime quidem. So. Quem hunc esse dices? superiores quidem partim musicum, partim pictorem cognominabas: hunc vero quomodo vocabis? Herm. Videtur hic mihi, o Socrates, quem jamdiu quærimus, nominandi auctor. So. Si verum hoc est, considerandum jam de nominibus illis, quæ tu exigebas, rhoes, id est fluxu, ienæ, id est ire, schesеos, id est detentione, utrum literis syllabisque suis re vera essentiam imitantur, necne. Herm. Prorsus. So. Age videamus, nunquid hæc sola prima nomina sint, an sint et alia præter ista. Herm. Alia equidem arbitror. So. Consentaneum est. ceterum quis distinguendi modus, unde imitari incipit imitator? nonne quandoquidem literis ac syllabis essentiæ fit imitatio, præstat primum elementa distinguere? quemadmodum qui rhythmis dant operam, elementorum primo vires distinguunt, deinde syllabarum tantum, rhythmos tandem ipsos aggrediuntur, priusvero nequaquam. Herm. Utique. So. An non ita et nos primo oportet literas vocales distinguere, postea reliquas, secundum species, mutas et semivocales? ita enim in his eruditi viri loquuntur. ac rursus vocales quidem, non tamen semivocales? et ipsarum vocalium species invicem differentes? et postquam hæc bene omnia discreverimus, rursus inducere nomina, considerareque, si sunt in quæ omnia referuntur, quemadmodum elementa: ex quibus cognoscere licet et ipsa, et si in ipsis species continentur eodem modo, sicut in elementis. His omnibus diligenter excogitatis, scire oportet afferre secundum similitudinem unumquodque, sive unum uni sit admovendum, seu multa invicem commiscenda: ceu pictores, similitudinem volentes exprimere, interdum purpureum duntaxat colorem adhibent, interdum quemvis alium colorem: quandoque multos commiscent, veluti cum imaginem viri quam simillimam effingere volunt, vel aliud quiddam hujusmodi, quatenus imago quæque certis coloribus indiget. haud secus et nos elementa rebus accommodabimus, et unum uni, quocunque egere maxime videatur: symbolaque, id est conjecta, conficiemus, quas syllabas vocant. quas ubi junxerimus, [425] ex eisque nomina verbaque constituerimus, rursus ex nominibus ac verbis magnum jam quiddam et pulchrum et integrum construemus: et quemadmodum totum ipsum compositum pictura animal vocat, ita nos contextum hunc integrum, orationem, vel nominandi peritia vel rhetorica fabricatam, vel alia quavis quæ id efficiat arte. Immo non nos istud agemus. modum nanque loquendo transgressus sum. quippe veteres ita conflarunt, si ita est constitutum. nos autem oportet, si modo artificiose consideraturi sumus, ipsa omnia sic distinguentes, sive ut convenit prima nomina et posteriora sint posita, sive non, ita excogitare. Aliter autem connectere videndum est, o amice Hermogenes, ne forte sit error. Herm. Forte per Jovem, o Socrates. So. Nunquid ipse confidis ita te posse distinguere? ego enim me posse diffido. Herm. Multo igitur magis ipse diffido. So. Dimittemus igitur? an vis utcunque valemus, experiamur, et si parum quid horum nosse possumus, aggrediamur, ita tamen, ut supra diis, præfati, utque illis ediximus Nihil nos veri intelligentes, opiniones hominum de illis conjicere, ita et nunc pergamus nobis ipsis similiter prædicentes, quod si quam optime distinguenda hæc fuissent, vel ab alio quopiam vel a nobis, sic certe distinguere oportuisset. nunc autem, ut fertur, pro viribus ista nos tractare licebit. Admittis hæc? vel quid ais? Herm. Sic prorsus opinor. So. Ridiculum visum iri, o Hermogenes, arbitror, quod res ipsæ imitatione per literas syllabasque facta manifestæ fiant. necessarium tamen. neque enim melius hoc habemus quicquam, ad quod respicientes de veritate primorum nominum judice-

Digitized by Google

mus: nisi forte quemadmodum Tragici, quotiens ambigunt, commentitiis quibusdam machinamentis ad deos confugiunt, ita et nos ocius rem expediamus, dicentes deos prima nomina posuisse, et iccirco recte instituta fuisse. Nunquid potissimum nobis hic sermo? an ille, quod ipsa a barbaris quibusdam accepimus? (nobis quippe antiquiores sunt barbari) vel quod ob vetustatem ita ea [426] discerni nequeunt, ut et barbara? Tergiversationes istæ sunt, et bellissimæ quidem, illorum quicunque nolint de recta impositione primorum nominum reddere rationem. Etenim quisquis rectam primorum nominum rationem ignorat, sequentium cognoscere nequit. hæc porro ex illis declaranda sunt: illa autem is ignorat. quin potius necesse est sequentium peritiam profitentem, multo prius et absolutius antecedentia comprehendisse, posseque ostendere. aliter autem scire debet, se in sequentibus deliraturum. an aliter ipse censes? Herm. Haud aliter, Socrates. So. Quæ ego sensi de primis nominibus, insolentia ridiculaque admodum esse mihi videntur: eaque tecum, si velis, communicabo. si quid vero tu melius inveneris, mecum et ipse communica. Herm. Efficiam. sed dic jam forti animo. So. Principio ipsum r velut instrumentum omnis motus esse videtur. cur autem motus cinisis appelletur, non diximus. patet tamen quod iesis, id est itio, esse vult. non enim ita quondam, sed e utebamur. principium autem a ciin, id est ire, quod peregrinum nomen est, et icnæ, id est ire, significat. Quare si priscum ejus nomen reperiatur, in vocem nostram translatum, recte iesis appellabitur. nunc autem ab ciin, nomine peregrino, et ipsius ita commutatione et n ipsius interpositione cinisis nuncupatur. oportebat autem cinisim vel isim dicere. Stasis, id est statio, negatio ipsius icnæ, id est ire, esse vult. sed ornatus causa stasis denominatur. Elementum utique ipsum r, opportunum motus instrumentum, ut modo dicebam, visum est nominum auctori ad ipsam lationis similitudinem exprimendam. passim itaque r ad motus expressionem utitur. In primo quidem ipso rhin et rhoe, id est fluere fluxuque, per literam r lationem imitatur: deinde in tromo, id est tremore, et trachi, aspero, item in verbis hujusmodi, cruin percutere, thrauin vulnerare, erycin trahere, thriptin frangere enervareque, cermatizin incidere, rhembin vacillare, irritare et circumversare. hæc omnia ut plurimum per r ad similitudinem motionis effingit. Mitto enim quod lingua in hac litera pronuntianda minime immoratur, quin potius maxime concitatur. Quocirca ad istorum expressionem ipso r potissimum usus fuisse videtur. Usus est et i, scilicet iota, ad tenuia quæque, per omnia maxime penetrantia. iccirco [427] ienæ et iesthæ, id est ire progredique, per i imitatur. Quemadmodum per f, ps, s, z, quæ literæ vehementioris spiritus sunt, talia quædam nominum auctor exprimit, psychron frigidum, zeon fervens, siesthæ concuti, et communiter concussionem quassationemque. quotiensque vehemens quippiam et spiritu plenum imitari vult nominum institutor, tales ut plurimum literas adhibet. Quin etiam ipsius d compressionem ac t, et linguæ velut hærentis retractionem peropportunam existimasse videtur ad vinculi et stationis potentiam exprimendam. Et quia in lavda proferendo maxime lingua prolabitur, iccirco per hoc velut ex similitudine quadam nominavit lia, id est lenia, et olisthænin labi, et collodes liquidum, liparon pingue, ceteraque hujusmodi. Quia vero labentem linguam g remoratur, eo interjecto formavit glischron lubricum, glycy dulce, gliodes viscosum, lutulentum. Animadvertens quoque ipsius n sonum imo in gutture detineri, eo nominavit endon et entos, id est quod intus est et quæ intrinsecus sunt, ut res per literas repræsentaret. Ipsum vero a megalo, id est magno, tribuit, et ipsum ita mici, id est longitudini, quoniam magnæ literæ sunt. in nomine autem strongylon, id est rotundum, ipso o indigens, o ut plurimum miscuit. Eademque ratione cetera secundum literas

Digitized by Google

ac syllabas rebus singulis accommodare videtur nominum auctor, signum nomenque constituens: ex his deinde species jam reliquas per similitudinem constituere. Hæc mihi, Hermogenes, recta videtur esse nominum ratio, nisi quid aliud Cratylus hic afferat. HERM. Etenim, o Socrates, sæpe me turbat Cratylus iste, ut a principio dixi, dum esse quandam asserit rectam nominum rationem, quæ vero sit, non explicat: ut discernere nequeam, utrum de industria necne adeo sit obscurus. In præsentia igitur, o Cratyle, coram Socrate dicas, utrum placeant ea tibi, quæ Socrates de nominibus prædicat, an præclarius aliquid afferre possis. quod si potes, adducas in medium, ut vel a Socrate discas vel nos ambos erudias. CRAT. Videturne tibi, Hermogenes, facile esse tam brevi percipere quodvis atque docere, nedum rem tantam, quæ maximum quid de maximis æstimatur? HERM. [428] Non mihi per Jovem. quin immo scite locutum Hesiodum arbitror, quod operæ pretium sit parvum parvo addere. Quare si quicquam, licet exiguum, perficere vales, ne graveris: sed et Socratem istum juva et me insuper. debes enim. So. Equidem, o Cratyle, nihil eorum quæ supra commemoravi, assererem. nempe, utcunque visum est, cum Hermogene hoc indagavi. Quocirca aude, si quid melius habes, exprimere, tanquam sim libenter, quod dixeris, susceptorus. Neque enim mirarer, si quid tu hisce haberes præclarius. videris porro et ipse talia quædam considerasse, et ab aliis didicisse. Si quid ergo præstantius dixeris, me inter discipulos tuos circa rectam nominum rationem unum connumerato. CRAT. Certe mihi, o Socrates, ut ais, cura ista fuerunt, ac forte discipulum te efficerem. vereor tamen, ne contra omnino se res habeat. convenit mihi nunc idem erga te dicere, quod adversus Ajacem in sacris Achilles inquit: *Generose*, ait, *Ajax, Telamonie, populorum princeps, omnia mea ex sententia protulisti.* ita tu quoque, o Socrates, nostra ex mente vaticinari videris, sive ab Euthyphrone fueris inspiratus, sive Musa quædam tibi pridem inhærens nunc te protinus concitaverit. So. O vir bone, Cratyle, ego quoque sapientiam meam jampridem admiror, neque nimis confido. Quare examinandum quid dicam, existimo. Nam a seipso decipi gravissimum est. nimis enim periculosa res est, cum seductor abest nunquam, semperque deceptum proxime comitatur. Oportet itaque superiora frequenter animadvertere, et, ut poëta ille ait, ante illa retroque conspicere. Atqui et in præsenti videamus, quid a nobis sit dictum. Rectam diximus nominis rationem, quæ qualis quæque res sit, ostendit. Nunquid sufficienter esse dictum asserimus? CRAT. Ego quidem assero. So. Doctrinæ igitur gratia nomina ipsa dicuntur? CRAT. Prorsus. So. An non et artem esse hanc dicimus, et ipsius artifices? CRAT. Maxime. So. Quos? CRAT. Quos [429] a principio tu legum et nominum conditores cognominabas. So. Utrum hanc artem similiter atque alias inesse hominibus, an aliter arbitramur? id autem est quod volo. pictores quidam deteriores sunt, quidam præstantiores? CRAT. Sunt. So. Nonne præstantiores opera sua pulchriora faciunt, figuras videlicet animalium? ceteri contra? ædificatores quoque similiter partim pulchriores, partim turpiores domos efficiunt? CRAT. Sic est. So. Nonne et legum ipsarum auctores partim opera sua pulchriora, partim turpiora efficiunt? CRAT. Haud amplius istud admitto. So. Non ergo leges alias meliores, deteriores alias tibi videntur. CRAT. Non. So. Neque etiam nomen, ut apparet, aliud melius, aliud deterius impositum arbitraris. CRAT. Neque istud. So. Ergo omnia nomina recte posita sunt. CRAT. Quæcunque videlicet nomina sunt. So. Quid de hujus Hermogenis, quod supra dictum est, nomine? utrum dicendum, non esse illi istud impositum, nisi quid Hermu geneseos, id est Mercurii generationis, illi competat? an impositum quidem, non tamen recte? CRAT.

Digitized by Google

Neque impositum esse, o Socrates, arbitror; sed videri: esse autem alterius cujusdam nomen, cui natura inest, quæ nomine continetur. So. Utrum neque mentitur, quisquis Hermogenem esse eum dicit? neque enim hoc est dubitandum, quin eum dicat Hermogenem esse, cum non sit. Crat. Qua ratione id ais? So. Nunquid ex eo, quod non datur dicere falsa, sermo tuus constat, et circa istud versatur? permulti nempe id, o amice Cratyle, et nunc prædicant et quondam asseruerunt. Crat. Quo pacto, o Socrates, dum dicit quis quod dicit, quod non est dixerit? an non hoc est falsa dicere, quæ non sunt dicere? So. Præclarior hic sermo, amice, quam conditio mea et ætas exigat. attamen mihi dicas, utrum loqui falsa non posse aliquis tibi videtur, fari autem posse? Crat. Neque fari. So. Ac etiam neque dicere neque appellare salutareque? quemadmodum si quis tibi obvius hospitalitatis jure manu te prehendens, dicat, Salve, hospes Atheniensis, Smicrionis filii, Hermogenes: ille loqueretur ista, vel fari diceretur, vel diceret vel salutaret appellaretque ita non te quidem, sed hunc Hermogenem? aut nullum? Crat. Videtur mihi, o Socrates, incassum hæc iste vociferare. So. Sat habeo. Utrum [430] vera vociferat, qui ita clamat, an falsa? aut partim vera, partim falsa? nam hoc quoque sufficiet. Crat. Sonare hunc ego dicam, seipsum frustra moventem, ceu si quis æra pulset. So. Animadverte, Cratyle, utrum quoque modo conveniamus. nonne aliud nomen, aliud cujus nomen est, esse dicis? Crat. Equidem. So. Et nomen rei ipsius imitationem quandam esse? Crat. Maxime omnium. So. Et picturas alio quodam modo rerum quarundam imitationes? Crat. Certe. So. Age vero, forte ego, quid dicas, non satis intelligo: tu autem forsitan recte loqueris. Possumus has imitationes utrasque, et picturas et nomina, rebus his quarum imitationes sunt, attribuere, necne? Crat. Possumus. So. Adverte istud in primis. nunquid possit aliquis viri imaginem viro et mulieri mulieris tribuere, et in aliis eodem pacto? Crat. Sic certe. So. Num et contra, viri imaginem mulieri et mulieris viro? Crat. Et hoc. So. An utræque distributiones hujusmodi rectæ sunt? vel potius altera, quæ cuique proprium simileque attribuit? Crat. Mihi quidem videtur. So. Ne igitur ego ac tu, cum simus amici, in verbis pugnemus, adverte quod dico. Talem ego distributionem in imitationibus utrisque, tam nominibus quam picturis, rectam voco: et in nominibus non rectam modo, sed veram. Alteram vero dissimilis ipsius tributionem illationemque non rectam, et in nominibus præterea falsam. Crat. At vide, o Socrates, ne forte in picturis duntaxat id contingere possit, ut quis male dispertiat: in nominibus autem minime, sed necessarium sit recte semper ascribere. So. Quid ais? quo ab illo hoc differt? nonne fieri potest, ut cuipiam viro quis obvius dicat, Hæc tua figura est: ostendatque illi forte viri illius figuram, forte etiam mulieris? ostendere inquam, sensibus oculorum offerre. Crat. Certe. So. Nonne iterum, ut eidem factus obviam [431] dicat, Nomen id tuum est? imitatio quippe aliqua nomen est, quemadmodum et figura. Dico autem ita: nonne licebit illi dicere, Nomen hoc tuum est? deinde in aure se idem infundere, forte ejus imitationem dicendo quod vir est, forte vero feminæ cujusdam humanæ imitationem, dicendo, quod mulier? non videtur tibi hoc aliquando fieri posse? Crat. Concedere tibi volo, o Socrates. sic esto. So. Recte facis, amice. ac si id ita se habet, controversia jam tolletur. Porro si in his hujusmodi quædam partitio fit, alterum vere loqui, alterum loqui falsa vocamus. Si hoc accidit, et possumus non recte nomina distribuere, et quæ non propria sunt cuique reddere: similiter in verbis aberrare licebit. Sin autem verba nominaque ita congerere datur, necesse est et orationes similiter. oratio quippe, ut arbitror, est verborum et nominum compositio. Quid ed ista, Cratyle? Crat. Quod et tu. probe namque loqui videris. So. Quin etiam, si prima nomina ad literas ipsas quædam

Digitized by Google

imitatione referimus, contingere potest in his, quemadmodum in picturis, in quibus accidit, ut congruas omnes figuras coloresque adhibeamus: itemque ut non omnes; sed partim superaddamus, partim subtrahamus, pluraque et pauciora exhibeamus. nonne fieri hoc potest? CRAT. Procul dubio. So. Qui convenientia omnia tribuit, pulchras literas et imagines reddit. qui vero addit vel aufert, literas quidem ac imagines et ipse facit, sed malas. CRAT. Nempe. So. Qui autem per literas ac syllabas rerum essentiam imitatur, nonne eadem ratione, si competentia omnia tribuit, pulchram imaginem efficit? (id autem nomen existit) sin autem in paucis deficiat vel excedat, imago quidem efficietur, sed non pulchra? Quamobrem nomina quædam bene instituta erunt, quædam contra. CRAT. Forte. So. Forsitan ergo unus nominum bonus erit artifex, malus alter. CRAT. Profecto. So. Nonne huic nomen erat nominum conditor? CRAT. Plane. So. Erit itaque in hoc, quemadmodum in ceteris artibus, conditor nominum bonus unus, alius vero non bonus, si modo superiora illa inter nos constant. CRAT. Vera hæc sunt. Verum cernis, o Socrates, quotiens has literas a et b et quodvis elementorum nominibus per artem grammaticam attribuimus, [432] si quid auferimus vel addimus vel etiam permutamus, quod nomen quidem scribimus, non tamen recte, immo vero id nullo modo scribimus: quin potius statim aliud quiddam est, cum primum istorum aliquid patitur. So. Videndum, Cratyle, ne forte minus recte hoc pacto consideremus. CRAT. Quo pacto? So. Fortassis quæcunque aliquo ex numero constare vel non constare necesse est, id quod ais perpetiuntur: quemadmodum decem aut quivis alius numerus. nam quilibet numerus, quocunque addito vel ablato, alius statim efficitur. Forte vero qualitatis cujuslibet et imaginis haud eadem ratio est, sed diversa. neque enim omnia imago habere debet, quæcunque illud cujus imago est, si modo est imago futura. Animadverte, num aliquid dicam. An duo quædam hæc erunt, Cratylus videlicet et ipsius imago, si quis deorum non modo colorem tuum figuramque expresserit, ut pictores solent, sed interiora quoque omnia similia tuis effecerit, mollitiem eandem caloremque, motum, animam, sapientiam, et, ut brevi complectar, talia prorsus effinxerit omnia, qualia tibi insunt? Utrum, inquam, alterum istorum Cratylus erit, alterum Cratyli ipsius imago? an Cratyli potius gemini? CRAT. Cratyli, o Socrates, ut arbitror, duo. So. Cernis, amice, aliam imaginis rationem esse quærendam, quam illorum quæ paulo ante diximus: neque cogendum esse, si quid vel additum vel ablatum fuerit, ut non amplius sit imago? an non sentis quantum deest imaginibus, ut eadem habeant quæ et illa quorum imagines sunt? CRAT. Equidem. So. Ridiculum aliquid, Cratyle, ex nominibus contingeret his quorum nomina sunt, si prorsus illis similia redderentur. gemina quippe omnia fierent, neutrumque illorum utrum esset potius dici posset, resne ipsa an nomen. CRAT. Vera loqueris. So. Ingenue itaque fatearis, o vir generose, nominum aliud bene, aliud contra positum esse: neque cogas omnes literas continere, adeo ut penitus tale sit, quale et id cujus est nomen: sed mitte literam quoque minus congruam afferri quandoque: si literam, et nomen similiter in sermone: si in sermone nomen, sermonem insuper nequaquam convenientem rebus tribui, et rem ipsam nihilominus nominari dicique, quoad rei ipsius, cujus sermo est, figura insit: quemadmodum in [433] elementorum nominibus, quæ nuper ego et Hermogenes commemoravimus, si recordaris. CRAT. Recordor equidem. So. Bene hercle. Igitur quandocunque hoc inerit, quamvis non omnia convenientia prorsus adsint, dicetur bene quidem, cum omnia: male vero, cum pauca. Dici itaque, o beate, mittamus: ne quemadmodum qui in Ægina noctu circumvagantur, sero iter peragunt, ita et nos hoc pacto ad res ipsas re vera serius quam deceat, pervenisse videamur. vel saltem aliam quandam exquiras rectam nominis rationem: neque

Digitized by Google

confitearis declarationem rei literis ac syllabis factam nomen esse. porro si ambo hæc dixeris, tibi ipse constare et consentire non poteris. CRAT. Videris mihi probe loqui, o Socrates: atque ita pono. So. Postquam de his consentimus, quod restat, discutiamus. Si bene nomen positum esse debet, oportere diximus literas sibi convenientes inesse. CRAT. Plane. So. Convenit autem ut literæ rerum similes insint. CRAT. Omnino. So. Quæ igitur recte sunt posita, ita posita sunt. Si quid autem non recte positum est, ut plurimum quidem ex convenientibus similibusque literis constat, si quidem imago est: habet autem et aliquid non conveniens, propter quod non rectum est, neque recte nomen est institutum. sicne, an aliter, dicimus? CRAT. Nihil est, o Socrates, ut arbitror, contendendum: neque enim mihi placet, ut nomen quidem esse dicatur, non tamen recte positum. So. Utrum hoc tibi non placet, quod nomen rei ipsius declaratio sit? CRAT. Placet. So. At vero nomina partim ex primis constituta esse, partim esse prima, non probe dictum putas? CRAT. Probe. So. Enimvero prima si quorundam declarationes esse debent, habesne modum commodiorem quo id fiat, quam si talia fiant, qualia illa sunt quæ declarari volumus? an modus iste potius tibi placet, quem Hermogenes aliique plurimi tradunt, quod videlicet nomina conventiones quædam sint, iis qui ita constituerunt ac res ipsas præcognovere, aliquid referentes; rectaque nominis ratio in conventione consistat: neque intersit, utrum quis ita ut nunc statutum est decernat, an contra: ut videlicet o, quod nunc o parvum vocatur, o magnum cognominetur; o vero quod modo o magnum, o parvum dicatur? uter istorum magis tibi modus placet? CRAT. Præstat omnino, [434] o Socrates, similitudine referre quod quis ostendere vult, quam quovis alio. So. Scite loqueris. Nonne, si nomen rei simile est, necesse est elementa ex quibus prima nomina componuntur, natura ipsa rebus esse similia. Sic autem dico: an aliquis quandoque picturam, quam supra diximus, rei cujusquam similem effinxisset, nisi colores ipsi quibus constat imago, essent natura rei illius similes, quam pictoris studium imitatur? an non impossibile? CRAT. Impossibile plane. So. Eadem ratione nomina ipsa nunquam alicujus similia fierent, nisi illa quibus nomina componuntur, similitudinem aliquam haberent earum rerum, quarum nomina imitationes sunt. Ea vero quibus constant nomina, elementa sunt. CRAT. Sane. So. Jam tu sermonis ejus esto particeps, cujus nuper Hermogenes. An recte dicere tibi visi sumus, quod ipsum r lationi, motui, asperitati congruit? CRAT. Recte mihi quidem. So. Ipsum autem l leni et molli ac ceteris quæ narravimus? CRAT. Profecto. So. Scisne quod idem, id est asperitatem ipsam nos quidem sclerotes vocamus, Eretrienses vero scleroter? CRAT. Utique. So. Utrum ambo hæc, r et s, ejusdem similia sunt, idemque ostendunt tam illis per ipsius r determinationem quam nobis per s novissimum: vel quibusdam nostrum nihil referunt? CRAT. Utrisque plane demonstrant. So. Utrum quatenus similia sunt r et s, vel quatenus dissimilia? CRAT. Quatenus similia. So. Nunquid penitus similia sunt? Ad lationem æque significandam. Quin et ipsum l injectum, cur non contrarium asperitatis ipsius significat? CRAT. Forte non recte injectum est, o Socrates, quemadmodum ea quæ tu in superioribus cum Hermogene, isto tractabas, dum et auferebas et inferebas literas ubi maxime oportebat. ac recte mihi facere videbaris. et nunc forte pro l r apponendum est. So. Probe loqueris. Quid vero nunc, ut loquimur, nihil percipimus invicem, quando quis scleron pronuntiat? neque tu quid nunc ego dicam, intelligis? CRAT. Intelligo equidem propter consuetudinem. So. O vir lepidissime, cum consuetudinem dicis, quid aliud præter conventionem dicere putas? an aliud consuetudinem vocas, quam quod ego cum id pronuntio, illud cogito: tu quoque quod ipse cogitem, percipis? non hoc dicis?

Digitized by Google

[435] Crat. Hoc ipsum. So. Si id me pronuntiante cognoscis, per me tibi fit declaratio, ex dissimili videlicet ejus quod ipse cogitans profero: quandoquidem ipsum l dissimile est ejus quod tu sclerotcta, id est asperitatem, vocas. si hoc ita se habet, profecto ipse ad id te ipsum assuefacis, et ex hac conventione rectam tibi nominis rationem proponis, postquam tibi idem tam dissimiles quam similes literæ repræsentant, propter ipsum consuetudinis et conventionis accessum. Sin autem consuetudo conventio minime sit, haud adhuc recte dici poterit, similitudinem esse declarationem: immo consuetudinem dicere oportebit. Siquidem ex similitudine et dissimilitudine consuetudo declarat. His utique concessis, o Cratyle, (nempe silentium tuum pro concessione ponam) necesse est, consuetudinem aliquid conventionemque conjicere conferreque ad eorum quæ sentimus et loquimur expressionem. nam si velis, optime vir, ad numerorum considerationem descendere, quo pacto speras, adeo propria reperturum te nomina, ut singulis numeris simile nomen attribuas, si non permiseris, concessionem tuam conventionemque auctoritatem aliquam circa nominum rationem habere? Mihi quidem et illud placet, ut nomina, quoad fieri potest, rebus similia sint. Vereor tamen, ne forte, ut dicebat Hermogenes, scutica quodammodo sit istius similitudinis usurpatio, cogamurque et onerosa hac re, conventione videlicet, uti ad rectam nominum rationem: quoniam tunc forte pro viribus optime diceretur, cum vel omnino vel maxima ex parte similibus, id est convenientibus, diceremus: turpissime vero cum contra. Hoc autem post hæc insuper mihi dicas: Quam nobis vim habent nomina, quidve pulchrum per hæc effici nobis asserimus? Crat. Docere mihi quidem nomina videntur, o Socrates: idque simpliciter asserendum, quod quisquis nomina scit, et res itidem sciat. So. Forte, o Cratyle, tale quiddam dicis, quod cum noverit aliquis quale sit nomen, (est autem tale qualis et res existit) rem quoque ipsam agnoscet, quandoquidem nominis est res similis. ars autem una eademque est omnium inter se similium. Hac ratione inductus dixisse videris, quod quisquis nomina cognoscit, res quoque ipsas agnoscet. Crat. Vera loqueris. So. Age, videamus quis modus docendarum rerum iste sit, quem ipse nunc dicis: et utrum alius præterea sit, hic tamen potior habeatur: vel alius præter hunc nullus. utrum istorum potius arbitraris? Crat. [436] Hoc certe, quod nullus videlicet alius sit; sed hic solus et optimus. So. Utrum vero et res ipsas ita reperiri censes, ut quicunque nomina reperit, ea quoque quorum nomina sunt, inveniat? an quærendum potius alium modum quendam, istumque discendum? Crat. Maxime omnium secundum ista hunc ipsum et quærendum et inveniendum. So. Age ita consideremus, o Cratyle: si quis, dum res investigat, nomina ipsa sequitur, rimaturque quale unumquodque vult esse, vides quam maximum deceptionis periculum subit? Crat. Quo pacto? So. Quoniam qui principio nomina posuit, quales esse res opinatus est, talia quoque nomina, ut dicebamus, effinxit, nonne ita? Crat. Ita prorsus. So. Si ergo ille non recte sensit, et ut sensit, instituit, nonne et nos sequentes ejus vestigia deceptos iri existimas? Crat. Haud ita est: immo necesse, scientem fuisse illum, qui nomina posuit. aliter autem, ut jamdudum dicebam, nomina nequaquam essent. Evidentissimo autem argumento id esse tibi potest, haud a veritate aberravisse nominum auctorem, quod, si male sensisset, nequaquam sibi ita omnia consonarent. an non advertisti et ipse, cum diceres, omnia in idem tendere? So. Nihil ista, o bone Cratyle, valet defensio. quid enim mirum est, si primo deceptus nominum institutor sequentia rursus ad primum vi quadam traxit, et ipsi consonare coëgit? quemadmodum circa figuras interdum exiguo quodam primo ignoto falsoque existente, reliqua deinceps multa invicem consonant. Debet enim quisque circa rei cujusque principium statuendum

Digitized by Google

disserere multa, diligentissimeque considerare, utrum recte decernat necne. quo quidem sufficienter examinato, cetera jam principium sequi debent. Miror tamen, si nomina sibimet congruunt. Consideremus iterum, quæ supra retulimus. Diximus profecto, ita nomina esseatiam significare, quasi omnia currant, ferantur, et defluant. itane significare censes? Crat. Ita certe: et recte [437] quidem. So. Videamus itaque, ex illis aliqua repetentes. Principio nomen hoc episteme, id est scientia, ambiguum est, magisque significare videtur, quod estesin, id est sistit in rebus animam, quam quod cum rebus pariter circumfertur: rectiusque esse videtur, ut principium ejus ut nunc dicamus, quam per e ipsius injectionem, et pro e iota potius adjiciamus. Deinde vevæon, id est firmum, dicitur, quoniam baseos et staseos, id est firmamenti et status, potius quam lationis est imitatio. Præterea historia id forte, quod histesi rhun, id est sistit fluxum: et ipsum piston, id est credendum, histan, id est firmare omnino significat. Quin etiam mneme, id est memoria, ostendit prorsus quod in anima non agitatio est, sed mone, id est quies stabilisque permansio. Atqui si quis nomina ipsa observet hamartia et symphora, id est error et contingentia casusque, idem videbuntur inferre, quod synesis et episteme, id est intelligentia atque scientia, et cetera nomina quæ præclaris sunt rebus imposita. Item hamathia et acolasia, id est inscitia et intemperantia, proxima his videntur. hamathia quidem importare videtur hama theo iontos porian, id est simul cum deo euntis progressum. acolasia vero omnino quandam ipsarum rerum acolasiam, id est prosecutionem atque congressum. Atque ita quæ rerum turpissimarum nomina esse putamus, nominum illorum quæ circa pulcherrima sunt, quam simillima videbuntur. Arbitror et alia multa reperiri posse, si quis ad hæc incumbat: ex quibus iterum judicabit, nominum auctorem non currentes delatasque res, immo stabiles indicare. Crat. Veruntamen multa, o Socrates, secundum agitationis significationem vides illum constituisse. So. Quid agemus, o Cratyle? nunquid suffragiorum calculorumque instar nomina ipsa dinumerabimus? atque ad hanc normam de recta ratione nominum judicabimus, ut ea tandem vera sint, quibus significationes plurium nominum suffragantur? [438] Crat. Haud decet. So. Non certe, amice. Sed his jam omissis redeamus illuc, unde digressi sumus. Dixisti nuper, si recordaris, necessarium esse, illum qui nomina statuit, prænovisse ea quibus nomina tribuebat. perstas adhuc in sententia, necne? Crat. Adhuc. So. Nunquid et illum, qui prima nomina posuit, novisse ais dum poneret? Crat. Novisse. So. Quibus ex nominibus res vel didicerat vel invenerat, quando necdum prima nomina fuerant instituta? cum dictum sit, impossibile esse res vel invenire vel discere, nisi qualia nomina sunt, didicerimus vel ipsi nos invenerimus? Crat. Videris mihi nonnihil, o Socrates, dicere. So. Quo igitur pacto dicemus eos scientes nomina posuisse? vel legum et nominum conditores ante positionem cujuslibet nominis exstitisse, eosque res antea cognovisse, si quidem non aliter quam ex nominibus disci res possint? Crat. Reor equidem, Socrates, verissimum eum esse sermonem, quo dicitur, excellentiorem quandam potentiam quam humanam prima rebus nomina præbuisse: quo necessarium sit, ut recte fuerint distributa. So. Nunquid putas, contraria sibi ipsi posuisse nominum auctorem, si demon aliquis vel deus exstitit? an nihil tibi supra dixisse videmur? Crat. Forte nondum alterum istorum nomina erant. So. Utra igitur erant, vir optime? num quæ ad statum vergunt? an quæ ad motum potius? neque enim, ut modo diximus, multitudine judicabitur. Crat. Sic decet, Socrates. So. Cum itaque dissentiant contendantque de veritate invicem nomina, et tam hæc quam illa vero propinquiora esse se asserant: cujus ad normam dijudicabimus? quo nos vertemus? neque enim ad alia nomina confugiemus,

Digitized by Google

quia præter hæc nulla. Verum alia quædam præter nomina quærenda sunt, quæ nobis ostendant absque nominibus, utra istorum vera sint, rerum videlicet monstrantia veritatem. Crat. Ita mihi videtur. So. Si hæc vera sunt, Cratyle, possunt, ut videtur, res sine nominibus percipi. Crat. Apparet. So. Per quid potissimum aliud speras res ipsas percipere? nonne per quod consentaneum ac decens est? per mutuam illarum communionem scilicet, si quo modo invicem cognatæ sunt, et per se ipsas maxime? quod enim aliud est ab illis, aliud quiddam, non illas significat. Crat. Vera loqui videris. [439] So. Dic, obsecro, nonne jam sæpe concessimus, nomina quæ recte posita sunt, similia illorum esse, quorum sunt nomina? rerumque imagines esse? Crat. Concessimus plane. So. Si ergo licet res per nomina discere, ac etiam per se ipsas: quæ præstantior erit lucidiorque perceptio? num si ex imagine cogitetur, et imago ipsa utrum recte expressa sit, et veritas, cujus hæc est imago? an potius si ex veritate tam veritas ipsa quam ipsius imago, nunquid decenter imago ad eam fuerit instituta? Crat. Si ex veritate. So. Qua ratione res vel per doctrinam vel per inventionem comprehendendæ sint, judicare, majoris quam meum ac tuum sit, ingenii opus esse videtur. Sufficiat autem nunc inter nos constitisse, quod non ex nominibus, immo ex se ipsis potius, discendæ quærendæque sunt. Crat. Sic apparet, o Socrates. So. Animadvertamus et hoc præterea, ne multa hæc nomina in idem tendentia nos decipiant, cum qui illa imposuerunt, currere omnia semper fluereque putaverint, atque ea consideratione posuerint: videntur nempe mihi ita existimasse: quorum tamen opinio si talis exstitit, falsa habenda est. profecto illi, velut in quandam delapsi vertiginem, et ipsi vacillant jactanturque, et eos in eandem rapientes immergunt. Considera, vir mirifice Cratyle, quod ego sæpenumero somnio. utrum dicendum est, esse aliquid ipsum pulchrum ac bonum, et unumquodque existentium ita, necne. Crat. Mihi quidem, o Socrates, esse videtur. So. Illud igitur ipsum consideremus, non si vultus quidam aut aliquid talium pulchrum est, quippe hæc omnia fluunt: sed ipsum pulchrum dicimus, nonne semper tale quale est perseverat? Crat. Necesse est. So. Nunquid possibile est ipsum recte denominare, si semper subterfugit, ac primo quod illud sit, deinde quale sit dicere? vel necessarium est, dum loquimur aliud ipsum statim fieri jugiterque diffugere nec tale amplius esse? Crat. Necessarium. So. Quo pacto aliquid illud erit, quod nunquam eodem modo se habet? Si enim quandoque eodem modo se habet, eo in tempore minime permutatur. sin autem semper eodem modo se habet idemque existit, quomodo transit vel movetur, cum ideam suam non deserat? Crat. Nullo pacto. So. Præterea a nullo cognosceretur. dum enim cognitura vis [440] ipsum aggrederetur, aliud alienumque fieret. quare quid sit aut quale, cognosci non posset. nam cognitio nulla ita rem percipit, ut nullo modo se habentem percipiat. Crat. Est ut ais. So. Sed neque cognitionem ipsam esse affirmandum est, o Cratyle, si decidunt omnia nihilque permanet. Si enim cognitio ex eo quod cognitio est, non decidit, permanebit semper, ac semper erit cognitio: sin autem cognitionis species ipsa discedit, simul et in aliam cognitionis speciem delabetur, neque cognitio erit. Quod si perpetuo migrat, semper non erit cognitio. atque hac ratione neque quod cogniturum est, neque quod cognoscendum, semper erit. Sin autem semper est quod cognoscit, est quod cognoscitur, est pulchrum, est et bonum, estque denique existentium unumquodque: quæ in præsentia dicimus, fluxus lationis similia non videntur. Utrum vero hæc ita sint, an ut dicebant Heraclíti sectatores aliique permulti, haud facile discerni potest. neque hominis sanæ mentis est, se ipsum animumque suum nominibus credere, et auctorem nominum sapientem asseverare: atque ita de se ipso rebusque omnibus male

Digitized by Google

sentire, ut putet nihil integrum firmumque existere, sed omnia velut fictilia fluere atque concidere, et quemadmodum homines destillationibus capitis ægrotantes, similiter quoque res ipsas affici judicet, adeo ut destillatione et fluxu omnia comprehendantur. Forte, o Cratyle, ita est, forte etiam aliter. Forti animo et diligenti studio investiganda res est; neque enim facile assentiendum. juvenis adhuc es, atque tibi sufficit ætas. et si quid inveneris indagando, mihi quoque impertiri debes. CRAT. Navabo operam, Socrates. ac certe scito, me etiam in præsentia non torpere: immo cogitanti mihi et multa animo revolventi, multo magis ita, ut dicebas ipse, quam ut Heraclitus, res sese habere videntur. So. Deinceps, amice, postquam redieris, me doceto. Nunc autem, ut constituisti, in agrum perge. Atqui et Hermogenes iste te comitabitur. CRAT. Fiet ut mones, Socrates. verum tu quoque jam de his cogita.

Digitized by Google

SOPHISTA.

THEODORUS, SOCRATES, HOSPES ELEATES, THEÆTETUS.

[216] Venimus, o Socrates, oportune, quemadmodum heri inter nos convenit, atque hospitem hunc nobiscum ducimus, qui Eleates ex familiaribus Parmenidis atque Zenonis, et vir apprime sapientiæ studiosus. So. Forte, o Theodore, dum virum hospitem tecum ducere credis, deum quendam ducis. Inquit enim Homerus, cum deos alios tum maxime hospitalem deum inter homines, qui justi pudoris participes sunt, versari, et hominum contumelias injuriasque inspicere. Te forsitan et hic e superis unus huc secutus est, ut nos, qui a disputandi rationibus aberramus, examinet atque corripiat: atque ipse redargutionis est deus. Theo. Haud mos iste, o Socrates, hujus hospitis: sed modestior est illis, qui controversiis student: mihique nullus hominum deus, sed divinus aliquis esse videtur. omnes equidem philosophos divinos appello. So. Et recte quidem, amice. Genus autem philosophorum haud multo facilius, ut ita dixerim, quam deorum discernitur. Omnes enim, quicunque non ficte, sed vere philosophantur, propter aliorum inscitiam omniformes apparent, dum civitates circumeunt, et quasi ab excelsa quadam specula inferiorum vitam prospectant. Atque hi a quibusdam nullius æstimantur, a nonnullis summopere honorantur. Et interdum quidem civiles apparent, alias sophistæ; nonnunquam aliquorum opinione insani prorsus habentur. Quapropter percontari hunc hospitem cupio, si modo gratum illi futurum sit, quid de his familiares ejus Eleates sentiant; quid esse dicant, [217] et quomodo nominent. Theo. Quænam ista? So. Sophistam, inquam, civilem, philosophum. Theo. Quid potissimum, et quale circa hæc in dubitationem venit quærendumve existimas? So. Hoc, utrum unum hæc omnia an duo esse velint: an, quemadmodum nomina tria, tria quoque genera distinguentes, singula nomina generibus singulis ascripserint. Theo. Nulla invidia, ut arbitror, prohibebit, quo minus hæc vobis exponat. tu vero quid ais, hospes? Ho. Quod et tu. nulla certe invidia, neque dictu difficile est, quod tria esse putaverint: singulatim vero distinguere, et quid unumquodque sit definire, neque parvum opus est neque facile. Theo. In eandem forte quæstionem, o Socrates, incidisti, in quam et nos, antequam huc accederemus, hic autem quæ tibi nunc, eadem tunc nobis respondit, audisse se quidem et recordari. So. In eo igitur, quod primum rogavimus, gratificari nobis debes, o hospes. Verum nobis id in primis declara, utrum per te ipse perpetua oratione, quod inferre velles, exponere consueveris, an potius interrogando, quemadmodum solebat Parmenides: quem ego adolescens audivi quondam ita disputantem admo-

Digitized by Google

dum senem, rationesque pulcherrimas afferentem. Ho. Si facile quis et apte respondeat, facilius est cum alio interrogando discernere: sin contra, per seipsum quisque facilius disputat. So. Licet igitur, quemcunque vis, ex istis eligere. omnes enim libentissime obsequentur. Ego vero tibi consulo, ut juvenem quempiam eligas, vel hunc Theætetum, vel alium, quicunque tibi aptior videatur. Ho. Pudor quidam, o Socrates, me et verecundia detinet, cum nunc primum vobiscum loquar, non vicissim verbum verbo reddere, sed prolixum sermonem inceptare, sive solus ipse per me, sive cum alio respondente, demonstrationis gratia disputem. Quod enim modo quæsitum est, nemo leviter explicari posse confidat. longa namque disputatione indiget. Contra vero, si tibi et istis, præsertim cum tam modeste rogaveris, non obtemperem, agreste quiddam et ab hospitis mansuetudine alienum mihi fore videtur: quippe cum disputationis comitem Theætetum [218] hunc ex his quæ et ego dicebam et tu modo jussisti, sim habiturus. Thr. Ita certe, o hospes, quemadmodum inquit Socrates, cunctis gratificaberis. Ho. Nihil adversus hæc ulterius, Theætete, dicendum. tecum deinceps agendum mihi. quod si forte sermonis prolixitas tibi fastidiosa continget et labore gravaberis, non me, obsecro, sed hosce tuos familiares, qui in causa sunt, accusato. Thr. Nihil molestum fore arbitror. nam si forte me defatigari contigerit, hunc Socratem adhibebimus, Socrati quidem in nomine similem, mihi in exercitatione socium, et æqualem, qui mecum laboriosa multa peragere consuevit. Ho. Probe loqueris. et de his quidem procedente sermone tecum ipse deliberabis. communiter vero mecum tibi nunc considerandum, incipiendumque, ut mihi videtur, ab ipso Sophista, et quid est, in primis definiendum. in præsentia porro tu, simul ac ego, hujus commune solum nomen habemus: rem vero ipsam, quæ nomine designatur, aliter forte utenque nostrum cogitat. Præstat autem in singulis rem ipsam cum rationibus, quam nomen solum absque ratione perspicere. Quod profecto nunc inquirimus, Sophistæ genus, haud facile definiri potest. Vetus est omnibusque communis sententia, si quis ea, quæ magna sunt, recte transigere velit, in parvis quibusdam prius illa facilioribusque, quam in maximis, considerare debere. Equidem Sophistæ genus arbitratus difficile posse comprehendi, nobis, o Theætete, consulo, ut ante in aliquo quodam faciliori progressum illius præmeditemur. nisi tu forte commodiorem viam ostendas. Thr. Nullam habeo commodiorem. Ho. Visne exiguum quiddam et vile in medium adducamus, majoris ipsius exemplum? Thr. Volo. Ho. An non proponendum notum quiddam atque exile, quod nihilominus ad majorum intelligentiam conferat? qualis hamo piscator est. leve enim quiddam est et exile. Thr. Certe. Ho. Viam tamen et [219] rationem ad id, de quo agimus, aptam habere videtur. Thr. Optime ita se res haberet. Ho. Age, hinc exordiamur. dic, utrum ipsum tanquam artificiosum, an artis expertem, alterius vero potentiæ cujusdam participem ponere debeamus. Thr. Nullo modo artis expertem. Ho. Artium ferme omnium species duæ sunt. Thr. Quæ? Ho. Agricultura et cujuslibet mortalis corporis cura, et facultas omnis, quæ circa compositum quodlibet fictumve versatur, quæ communiter supellectilia dicuntur, et quæ hæc imitatur: universa, inquam, facultas hujusmodi uno quodam communi nomine nuncupari debet. Thr. Quonam pacto? et quo nomine? Ho. Quotiens quod antea non erat, in esse quis deinde perducit: quod agit, facere; quod agitur, fieri dicimus. Thr. Recte. Ho. Cuncta, quæ paulo ante retulimus, ad hoc vim habent. Thr. Habent certe. Ho. Summatim itaque illa effectricem facultatem denominemus. Thr. Esto. Ho. Disciplinæ vero et cognitionis species universa, et quæstus certaminisque ac venandi peritia, ars acquirendi summatim vocanda videtur: quippe cum nihil ex istis quicquam fabricet; quæ vero sunt et

Digitized by Google

fuerunt, comparet, partim sermonibus actionibusque capiens, partim capientibus non concedens. THE. Decet. Ho. Cum quælibet ars aut in faciendo aut in acquirendo versetur, quo in genere peritiam piscandi ponemus? THE. In eo videlicet, quod acquirit. Ho. Nonne ejus, quod acquirit, duæ sunt species? una inter volentes commutatio, dono, emptione, mercede: altera mancipatio, vel opere vel sermone facta. THE. Ex his, quæ dicta sunt, sic esse constat. Ho. Mancipatio vero duplex. THE. Qua ratione? Ho. Una quidem patens, quæ certando capit: altera latens, quæ venando. THE. Ita est. Ho. Venatoriam quoque bifariam dividere decet. THE. Quomodo bifariam? Ho. Aut enim rem expertem animæ, aut animatam venatur. THE. Quidni? si quidem ambo hæc sunt. Ho. Sunt profecto. et oportet quod [220] ad inanimum pertinet, equivocum dimittere; præter quasdam natatoriæ potentiæ partes, et alia hujusmodi exigua prætermittere; animatorum vero capturam, animalium venationem vocare. THE. Sic esto. Ho. Venationis hujusmodi merito duæ sunt species: una quidem gressibilium animalium venatio, variis speciebus nominibusque distincta; altera vero agilium, quæ fiscentium venatio nominatur. THE. Omnino. Ho. Agilium vero quædam pennis per aërem, quædam per aquam vagantur. THE. Certe. Ho. Volantium venatio aucupium nominatur. THE. Procul dubio. Ho. Aquatilium vero fere summatim piscatio. THE. Omnino. Ho. Piscationem autem nonne in duo maxima membra dividimus? THE. Quænam ista? Ho. Aut enim retinaculis aut percussione piscamur. THE. Quonam pacto utrumque distinguis? Ho. Quicquid coërcendi gratia cohibet aliquid comprehendendo, retinaculum nominatur. THE. Prorsus. Ho. Nassam, retia, laqueos, verriculum, ceteraque hujusmodi, nunquid aliter quam retinacula vocabis? THE. Haud aliter. Ho. Hic igitur et alius similis venandi modus, qui cohibendo perficitur, piscationis species quædam est. THE. Est. Ho. Exstat species altera, quæ hamis et fuscinis captat. THE. Hanc percutientem piscationem communiter appellare decet, nisi tu forte quid pulchrius afferas. Non est mihi curæ nomen: hoc porro sufficit. Ho. Alii quidem nocte hoc efficiunt ad ignis lumen; quapropter igniferа piscatio nuncupatur. THE. Prorsus. Ho. Alii die, in extremo virgæ cujusdam ferentes uncum, tridentibus usi. unde contorta et unca omnis hæc piscatio nominatur. THE. Constat. Ho. Qui piscando percutit retorto quodam instrumento, et fuscinam in superiori parte ad inferiorem demittit, tridentea et fuscinali piscatione uti dicitur. THE. Ferunt. Ho. Restat species altera. THE. Quænam? Ho. Percussio quædam hamo facta, contra ac superior, neque in qualibet piscium parte, [221] sed in capite et ore duntaxat, ab inferiori parte ad superiorem virgis et calamis retrahens. hujus quid potissimum, o Theætete, nomen esse dicemus? THE. Videmur quod supra proposuimus exquirendum, nunc jam perfecisse. Ho. Nunc igitur piscationis non modo nomen ego ac tu communi sententia instituimus, verum etiam rationem ipsius operis sufficienter accepimus. universæ porro artis dimidium in divisione fuit, quæ in acquirendo versatur, hujus quæ capit et mancipat: hujus venatoria: venatoriæ, animalium præda: hujus agilis animalis captura, agilis universaliter piscatoria: piscatoriæ, percutiens atque tundens piscatio: percutientis, quæ unco piscatio fit: hujus denique percussio, quæ sursum versus ab inferiori parte conficitur retrahendo, et inde nomen sortita, retrahens et hamatoria piscatio dicitur. THE. Abunde hoc ostensum est. Ho. Atqui secundum hoc exemplum, quid est sophista, invenire] statuimus. THE. Prorsus. Ho. Illudque in primis quæsitum est, utrum ipsum, qui hamo piscatur, rudem penitus an artis alicujus participem ponere debeamus. THE. Ita est. Ho. Et nunc quidem sophistam rudemne an callidum appellabimus? THE. Nullo modo

Digitized by Google

rudem. intelligo equidem, non oportere illum, qui ita vocatur, inertem esse, sed arte quadam instructum. Ho. Qua igitur arte? nunquid hactenus cognationem istorum mutuam ignorabimus? Thr. Quorum? Ho. Hamatoris atque sophistæ. Thr. Quemadmodum? Ho. Venatores quidam esse mihi ambo videntur. Thr. Quam prædam hic alter insequitur? de altero namque diximus. Ho. Prædam universam bifariam partiti sumus, in natantem atque gressibilem. Thr. Profecto. Ho. Et venationem, quæ natantia aquatiliaque persequitur, prosecuti sumus: eam vero, quæ gressibilia, prætermisimus, quodve multiplex esset, adjunximus. Thr. [222] Procul dubio. Ho. Hactenus hamator et sophista ab arte venatoria æque proficiscuntur. Thr. Videntur sane. Ho. Ab animalium venatione quidam in mare descendit, fluminaque et lacus, et in his animalia ipsa venatur. Thr. Quidni? Ho. Quidam autem in terras et alios fluvios, velut in prata quædam juventute et divitiis abundantia, in his animalia captaturus. Thr. Quo pacto? Ho. Venationis, quæ terra fit, duæ maxime partes sunt. Thr. Qualis utraque? Ho. Una domesticorum; agrestium altera. Thr. An est ulla domesticorum venatio? Ho. Pone quæ dicam, ut lubet. aut enim est homo domesticum animal, aut nullum animal est domesticum: vel aliud quoddam mansuetum, homo autem animal ferum: sive mansuetus homo quidem, sed hominis venatio nulla. Ex his quod magis tibi consonat, in præsentia determina. Thr. Arbitror equidem, hospes, et mansuetum et venabile animal esse hominem. Ho. Duplicem præterea domesticorum venationem statuimus. Thr. Qua ratione? Ho. Eam quæ demonstratione cogit, et quæ redigit in servitutem, tyrannidem insuper, et militarem captivitatem, cuncta hæc violentam communiter venationem asserimus. Thr. Optime. Ho. Quæ vero judicando fit vel concionando vel conciliando, summatim persuasionis artificium nuncupamus. Thr. Recte. Ho. Hujus duo sunt genera. Thr. Quænam? Ho. Publicum et privatum. Thr. Exstat species utraque. Ho. Privatæ rursus persuasionis venatio aut mercede fit aut muneribus. Thr. Haud intelligo. Ho. Amatorum venationem nunquam considerasse videris. Thr. Qua in re? Ho. Quod illis, quos ceperunt, munera insuper exhibent. Thr. Vera narras. Ho. Hæc itaque artis amatoriæ species esto. Thr. Esto. Ho. Sed ea, quæ mercede fit, aut versatur ad gratiam, voluptatisque illecebras parat, ut inde alimenta pro mercede duntaxat accipiat; quam adulationem vocamus, artem [223] voluptatum machinatricem. Thr. Certe. Ho. Aut virtutis ostendendæ gratia conversari se profitetur, et pro mercede pecunias exigit; idque genus alio nomine nuncupandum videtur. Thr. Quidni? Ho. Quonam? exprimere tenta. Thr. Constat plane. Sophistam namque jam reperisse videmur: et hoc nomen huic maxime congruere arbitror. Ho. Ut ex hac disputatione colligitur, constat, o Theætete, sophisticam facultatem appellandam esse artem, quæ in conciliando comparandoque versatur, animaliumque gressibilium et terrenorum domesticorumque venatio est, hominum videlicet privata captura ob nummorum mercedem et juvenum divitum atque nobilium opinione virtutis disciplinæque irretitio. Thr. Prorsus ita dicendum. Ho. Præterea hoc modo consideremus. Non enim simplicis artis, quod nunc quæritur, sed variæ particeps. Etenim ex iis, quæ supra diximus, per imaginem quandam conjectare licet, non hujus generis, quod diximus, sed alterius esse. Thr. Cujus igitur? Ho. Artis profecto, quæ in acquirendo versatur, duæ species relatæ sunt, venatio et commercium. Thr. Certe. Ho. Commercii vero duæ sunt species: una in largitione, altera in emptione venditioneque consistit. Thr. Sic est profecto. Ho. Eam rursus, quæ ad emendum vendendumque pertinet, bifariam dividimus. Thr. Quo pacto? Ho. Qui opera sua venalia facit, propriorum venditor nominatur: qui aliena vendit, commutator. Thr. Omnino. Ho. Commutatio vero aut

Digitized by Google

inter ejusdem urbis cives conficitur, quam cauponariam vocamus. aut inter cives et peregrinos emendo et vendendo res de urbe alia in aliam permutantur, quam mercatoram dicimus. Thr. Quidni? Ho. Mercatura præterea duplex: altera ad victum corporis spectat; altera ad animi disciplinam, commutatque nummis eruditionem. Thr. Quemadmodum dicis? Ho. Quod ad animum attinet, forsitan ignoramus. nam quod ad corpus, agnoscimus. Thr. Nempe. Ho. Eum profecto, [224] qui musicam alibi quidem discendo emit, alibi docendo vendit, literaturamque similiter et præstigia ceterasque animi disciplinas tam serias quam jocosas, mercatorem nihilo minus quam corporis alimenta vendentem dicimus. Thr. Vera narras. Ho. Nonne illum similiter appellabis, qui disciplinas nummis empturus commutaturusque urbes varias circuit? Thr. Similiter certe. Ho. Hujusmodi mercaturæ pars quædam demonstrativa vocatur: pars altera ridicula nihilominus, cum sit disciplinarum venditio, consimili quodam venditionis cognomento vocanda. Thr. Prorsus. Ho. Alio vero nomine nuncupandus qui facultates alias vendit, alio qui præcepta virtutum. Thr. Nihil prohibet. Ho. Eum sane, qui alias facultates venundat, artium venditorem nominare decet: sed eum hominem, qui mores mercede tradit, quo nomine nuncupabis? Nunquid aliter quis recte cognominare hunc potest, quam quod nunc quærimus, sophistam? Thr. Haud aliter profecto. Ho. Jam igitur concludamus hunc in modum colligentes, quod secunda inquisitione sophista nobis apparuit acquisitor ejusmodi, scilicet commutator, emptor et venditor, mercator videlicet, qui animi disciplinas venundat, ad sermones institutaque virtutum præcipua pertinentes. Thr. Valde. Ho. Tertio rursus te similiter sophistam vocaturum hunc arbitror, qui eadem in urbe permanens, partim emit, partim ipse excogitat disciplinas, comparandi victus gratia venditurus. Thr. Nihil obstat. Ho. Sophistam igitur appellabis eum, qui in acquirendo versatur, commutat scilicet et emit, venditque cauponando; sive sua inventa sive aliena circa virtutis studia vendat. Thr. Necesse est; rationi si quidem assentiri decet. Ho. Videamus iterum, utrum quod in præsentia quærimus genus, cujusdam talis simile sit. [225] Thr. Cujusnam? Ho. Ejus artis, quæ ad acquirendum pertinet, pars quædam certandi facultas erat. Thr. Erat certe. Ho. Haud igitur ab re erit, bifariam illam dividere. Thr. Quas in partes divides? Ho. Una quidem pugnat, repugnat altera. Thr. Verum. Ho. Pugna utique corporis ad corpus, violentia congrue nuncupatur. Thr. Congrue. Ho. Quæ autem verbis adversus verba committitur, ambiguitas. Thr. Certe. Ho. Ambiguitatis duæ sunt species. Thr. Quæ? Ho. Quando oratione perpetua publice de justis injustisve certatur, judicialis controversia nominatur. Thr. Ita est. Ho. Cum vero privatim minutis quibusdam argumentatiunculis interrogando respondendoque contenditur, contradictionem appellare solemus. Thr. Sic utique. Ho. Contradictio porro, quæ in commerciis utcunque contingit et absque arte fit, ut species quædam seorsum ponenda est: sic enim ratio ab aliis illam discernit; proprium vero cognomentum nec ab antiquis accepit, neque nunc a nobis accipiet: neque enim decet. Thr. Procul dubio. Ho. In varia namque et minima scinditur: quæ autem arte procedit, et de justis injustisve et de aliis generatim ambigit, litigium appellari solet. Thr. Plane. Ho. Litigium duplex: alterum patrimonium dissipat, alterum pecunias cumulat. Thr. Omnino. Ho. Quod itaque utrique tribuendum sit cognomentum, invenire conemur. Thr. Oportet. Ho. Quicunque contentionis hujusmodi studio delectatus res suas negligit, verba autem audientibus jucunda componit et quæstiunculas semper aucupatur, non aliter, ut mea fert opinio, quam rugator et garrulus est vocandus. Thr. Sic utique. Ho. At vero qui ex privatis litigiis pecuniis cumulandis incumbit, quomodo vocandus sit, tu nunc vice tua fretus

Digitized by Google

charra. Ther. Quisquis absque errore respondere voluerit, sophistam hunc mirabilem, quem quærimus, appellabit, quarto se nobis jam offerentem. Ho. Ratio itaque nunc ostendit, [226] sophistam nihil esse aliud quam artificem quæstus gratia contentiosum, contradictionibus ambigentem, in pugnando certantem, lucri præ ceteris studiosum. Ther. Sic est omnino. Ho. Cernis igitur verum esse quod dicitur, varium hoc animal esse, utque proverbio fertur, non altera manu duntaxat apprehendendum. An igitur utraque uti oportet? Ther. Opus est. Ho. Ergo pro viribus sic agendum: ejusmodique ipsius vestigium percurrendum. Dic age, habemusne ulla ministratoria nomina? Ther. Multa. sed quænam e multis interrogas? Ho. Talia quædam ut cum dicimus excolare, distribuere, victum decoquere, secernere. Ther. Quidni? Ho. Carminare præterea, deducere, pectine texere aliaque permulta hujusmodi in artibus reperimus, an non? Ther. Quid de his potissimum ostensurus exempla hæc inducis et per omnia sciscitaris? Ho. Ad discernendum quodammodo pertinent quæcunque retulimus. Ther. Profecto. Ho. Mea quidem sententia, cum circa hæc una ars in cunctis versetur, uno quoque nomine nuncupabimus. Ther. Quonam? Ho. Discretivam dicamus. Ther. Esto. Ho. Vide rursus, num species hujus geminas invenire possimus. Ther. Celerem brevemque, ut mihi videtur, considerationem imponis. Ho. Enimvero in his, quæ dictæ sunt, discretionibus partim deterius a meliori secernebamus, partim a simili simile. Sic enim ferme dictum nunc esse videtur. Hujus quidem proprium nomen non habeo: illius autem, quæ, melius quod est, relinquit, quod vero deterius, amputat, habeo. Ther. Quid istud referas? Ho. Omnis hujusmodi discretio, ut ipse conjicio, communiter purgatio nominatur. Ther. Constat. Ho. Nonne geminam purgationis speciem esse quisque dignosceret? Ther. Ita forte, si quis aliquamdiu cogitet: ego enim in præsentia ignoro. Ho. Verumtamen species multas corporalium purgationum nomine uno complecti decet. Ther. Quas inquis, quove nomine? Ho. Purgatio animati corporis, intrinsecus operans per gymnasticam et medicinam, et quæ extrinsecus balneis quod dictu vile est mundat, [227] item quæ inanimata corpora fullonum ministerio abstergendo colorat, et universa ornandi corporis curatura, sigillatim varia viliaque nomina sortiuntur. Ther. Profecto. Ho. Omnino quidem, o Theætete. Ratiocinandi vero progressus nihil magis unum altero aut minus curat, si purgatio spongiis fomentationibusque adhibita minus mundat, pharmacum vero magis purificat atque juvat. Nam ut artium omnium intelligentiam consequatur, quodcunque cognatum est vel non cognatum investigando, æque singulas artes honorat; aliaque aliis secundum similitudinem nihilo magis ridicula censet. quin etiam nihilo honestius putat, si militari disciplina, quam si alia quavis vilissima opera venatorium opus exerceatur. Et nunc quidem, ut quærebas, quonam nomine cunctas facultates, quæcunque corpus aut animatum aut inanimatum purgare student, penitus comprehendemus: nihil utique, quod ad præsentem pertinet disputationem, referet, quodcunque nomen inventum decentius videatur, dummodo a purgationibus animæ sit distinctum, quæcunque purgant corpus includens. Mentis porro purgationem ab aliis omnibus secernere nunc intendit, si, quorsum vergit, inspicimus. Ther. Animadverti equidem, et admitto duas species purgationis esse, animæque purgationem a purgatione corporis esse diversam. Ho. Egregie loqueris. et in hoc insuper mihi obsequere; quodve dicturus sum, rursus bifariam dividere tenta. Ther. Utcunque duxeris, tecum partiri conabor. Ho. Pravitatem in anima aliud quam virtutem dicimus? Ther. Aliud certe. Ho. Enimvero purgationem nihil aliud esse diximus, quam quod pravum est amputare, reliquum vero servare. Ther. Diximus procul dubio. Ho. Si quam

Digitized by Google

igitur circa animam pravitatis ablationem reperiemus, merito purgationem appellare debebimus. THE. Maxime. Ho. Pravitatis in anima species duæ ponuntur. THE. Quænam? [228] Ho. Una morbi corporalis instar, turpitudinis altera. THE. Haud intelligo. Ho. Morbum forsitan et seditionem non idem vocas. THE. Etiam quid ad hæc respondeam, nescio. Ho. Num aliud seditionem putas, quam naturalis cognationis corruptelam, discordia quadam provenientem? THE. Nihil aliud. Ho. Turpitudinem vero num aliud quam deformitatem ex dissonantia eorum, quæ natura cognata sunt, resultantem? THE. Istuc ipsum. Ho. Quid porro, nonne videmus in eis, quorum depravatus est animus, opiniones a cupidinibus, iram a voluptatibus, rationem a doloribus dissentire. THE. Et maxime quidem. Ho. Verumtamen cuncta hæc natura cognata sunt. THE. Patet. Ho. Seditionem igitur ac morbum animæ pravitatem vocare decet. THE. Recte. Ho. Si qua viderimus, quæ certo quodam fine proposito, dum ad illud pervenire nituntur, singulis in motibus prævaricentur atque aberrent, utrum consonantia quadam mutua convenientiaque communi, an contrariis causis errare dicemus? THE. Constat, quod dissonantia atque intemperie. Ho. Atqui scimus, nullum animum sponte aliquid ignorare. THE. Plane. Ho. Ignorantia quidem est dementia quædam animæ, quæ dum ad veritatem nititur, intelligentia ipsa prævaricatur. THE. Omnino. Ho. Animam igitur ignorantem, inconcinnam atque deformem vocare decet. THE. Videtur. Ho. Sunt ergo duo hæc malorum in anima genera. unum communiter improbitas nominatur; qui animæ procul dubio morbus est. THE. Ita est. Ho. Alterum ignorantiam quidem nuncupant, pravitatem vero animæ hanc esse confiteri nolunt. THE. Omnino concedendum est, de quo modo dicente me ambigebas, duo in anima genera pravitatis existere: et timiditatem quidem intemperantiamque et injustitiam ceteraque hujusmodi cuncta morbum existimare debemus: plurimam vero et variam ignorantiam turpitudinem. Ho. An non circa corpus quoad hæc duo mala duæ quoque artes reperiuntur? THE. Quænam? Ho. Adversus deformitatem gymnastica, adversus morbum medicinæ peritia. [229] THE. Apparet. Ho. Nonne adversus petulantiam, injustitiam, timiditatem, ex omni genere artium conveniens maxime castigatio et animadversio est judicialis censura? THE. Hoc utique, ut humana opinio porrigit, consentaneum. Ho. Sed adversus ignorantiam universam, quid aliud præter doctrinam remedium invenitur? THE. Nullum. Ho. Doctrinam vero utrum unam duntaxat ac simplicem, an plura genera illius esse dicendum? Immo duo genera ejus sic animadverte. THE. Animadverto equidem. Ho. Hac via quam primum id inventuri mihi videmur. THE. Qua? Ho. Si ignorantiam geminam esse consideremus, ea si quidem duplex duplicem docendi rationem exigit, ut singula singulis alterne reddantur. THE. Nunquid jam tibi constat quod nunc quæritur? Ho. Magnam quandam et onerosam ignorantiæ partem video, cunctis aliis ejus partibus præponderantem. THE. Quam? Ho. Hanc, cum quis illa, quæ nescit, scire se putat. ab hac nimirum omnes quæcunque nos fallunt opiniones, proficiscuntur. THE. Ita est. Ho. Atque huic soli ignorantiæ parti inscitiæ nomen convenire existimo. THE. Prorsus. Ho. Doctrinæ itaque partem, qua ab hac ignorantia liberamur, quomodo appellandam censes? THE. Reor equidem partem aliam doctrinas artium nominari, hanc vero disciplinam. Ho. Sic ferme inter omnes Græcos vocatur. Nobis autem hoc præterea considerandum, utrum individuum sit omne, an divisionem aliquam habeat cognomine dignam? THE. Considerandum profecto. Ho. Videtur itaque mihi et hoc divisionem suscipere. THE. Qua ratione? Ho. Ejus utique facultatis, quæ sermone docet, pars quædam asperior, quædam lævior esse videtur. THE. Qualem utramque dicimus? Ho. Unam qui-

Digitized by Google

dem veterem ac patriam, qua adversus filios maxime utebantur, et nunc etiam plerique utuntur, quotienscunque delinquunt, [230] partim graviter objurgantes, partim mitius admonentes. Universum hoc admonitionem possumus nuncupare. THE. Ita est. Ho. Id profecto nonnulli secum rursus ratiocinando sibi ipsis concesserunt, omnem inscitiam involuntariam esse putandam, nullumque discere illa, quæ scire credit, affectaturum, multoque labore admonitoria disciplina vix quicquam proficere posse. THE. Recte putant. Ho. Quin etiam alia quadam via ad opinionem hujusmodi eruendam pergunt. THE. Quanam? Ho. Exquirunt sciscitanturque in his rebus, quas quis optime intelligere et exprimere arbitretur, cum nihil veri dicat. Deinde errantium opiniones facile discutiunt, easque rationibus colligentes, in unum invicem conducunt: atque illas ostendunt sibi ipsis de iisdem et ad eadem et secundum eadem esse contrarias. Illi vero hoc inspicientes secum ipsi indignantur, et erga alios mites evadunt: atque hoc pacto magnas durasque opiniones deponunt. quæ quidem liberatio auditu liberationum omnium jucundissima est et re vera firmissima. Enimvero, o dilecte puer, qui hos purgare aggrediuntur, haud secus, quam medici corpora, curandos existimant. Medici namque tradunt, salubribus epulis non prius nutriri corpus, quam impedimenta pellantur. Similiter isti non prius egregias doctrinas conferre animæ censent, quam redargutus is qui errat, erubescat, repulsisque doctrinæ impedimentis, falsis videlicet opinionibus, purus evadat, nec alia præter illa quæ noscit, nosse se putet. THE. Optimus modestissimusque omnium habitus hic est. Ho. His de causis, o Theætete, dicendum, summam præcipuamque purgationem esse redargutionem: eumve qui non redargutus est, etiamsi rex magnus sit, quandoquidem in maximis est impurus, rudem turpemque esse secundum illa, quibus purissimus pulcherrimusque esse debet, quisquis est felix re vera futurus. THE. Sic est omnino. Ho. Quosnam homines arte hac uti dicemus? Vereor enim sophistas [231] dicere. THE. Quamobrem? Ho. Ne illos plus quam deceat, honoremus. THE. Veruntamen quæ modo dicta sunt, tali cuidam similia esse videntur. Ho. Atqui etiam cani lupus, maxime ferus mansuetissimo. Eum vero, qui a deceptione tutus vivere debet, a similitudine summopere cavere oportet. Lubricum porro et occultum hoc genus. Sed esto. neque enim de exiguis terminis disceptatur, quando diligenter hoc vitare student. THE. Consentaneum. Ho. Esto igitur discretivæ artis species purgatoria: purgatoriæ autem pars, quæ mundat animam, seligatur: hujus, docendi facultas: doctrinæ, disciplina educatioque: disciplinæ educationisque redargutio illa, quæ versatur circa temerariam sapientiæ opinionem, ut præsens oratio monstrat, nihil aliud quam generosa sophistarum facultas esse dicatur. THE. Dicatur plane. Ambigo tamen, quid potissimum e multis, quæ sese nobis offerunt, sophistam esse re vera affirmare conveniat. Ho. Et merito ipse dubitas: quandoquidem ipsum quoque sophistam ambigere verisimile est omnino, quanam via rationes nostras effugiat. Scite namque proverbio dicitur, omnes effugere difficile esse. Nunc igitur instandum maxime. THE. Præclare loqueris. Ho. Primum quidem stantes quodammodo respiremus, et nobiscummet ratiocinemur simul requiescentes. Age, resumamus, quam varias præ se formas sophista jam tulerit. Prima investigatione apparuit juvenum ac divitum mercenarius esse venator. THE. Ita. Ho. Secunda mercator quidam circa animi doctrinas. THE. Omnino. Ho. Tertia circa hæc eadem caupo. THE. Et hoc. Quarta vero circa doctrinas, suorum venditor inventorum. Ho. Optime in memoriam revocasti. quintam vero ego ipse reducam: Certator quidam circa sermones et artificiosus nimium litigator. THE. Sic utique constitit. Ho. Forma sexta ambigua quidem, ponenda tamen et in præsentia quodammodo concedenda:

Digitized by Google

Purgator quidam animæ visus est, opiniones exstirpans omnes, quæ doctrinis impedimento sunt. Thæ. Sic est prorsus. Ho. Nunquid [232] advertis, quoties aliquis in multis peritus apparet, unius vero cujusdam artis nomine nuncupatur, haud sincere hac imaginatione dignosci? Immo constat, eum qui circa artem aliquam sic afficitur, non posse illud ipsum inspicere, ad quod doctrinæ omnes hujusmodi tendunt. Quocirca multis pro uno nominibus eum, qui variis scientiis videtur imbutus, appellat. Thæ. Ita quodammodo natura institutum id esse apparet. Ho. Ne igitur et nobis idem propter socordiam in hac indagatione contingat, repetamus in primis unum aliquid eorum, quæ de sophista sunt dicta. unum quippe ex illis præcipue sophistam significasse mihi videtur. Thæ. Quid illud? Ho. Contradictorem illum esse diximus. Thæ. Diximus certe. Ho. Nonne et alios, ut idem efficiant, edocere? Thæ. Hoc quoque. Ho. Videamus nunc, circa quid maxime contradictores efficere alios sophistæ se prædicant. Consideratio vero nostra hinc sumat exordium. Num in rebus divinis, quæcunque vulgus latent, contradicendi facultatem præstant? Thæ. Ita fertur. Ho. Quid autem de his, quæ oculis conspiciuntur, cælo ac terra et hisce rebus quæ his continentur? Thæ. Quid maxime? Ho. Etenim in privatis colloquiis, quoties de generatione essentiaque generatim aliquid dicitur, videmus illos ad contradicendum vehementes esse et alios sui similes reddere posse. Thæ. Omnino quidem. Ho. Quid vero circa leges ac rem publicam, nonne in his quoque contentiosos homines se efficere profitentur? Thæ. Nemo, ut ita dixerim, cum illis dissereret, nisi hoc pollicerentur. Ho. Quæ vero adversus singularum artium professores contentionis studio afferri debeant, passim scripta circumferuntur. Thæ. Quæ Protagoras de palæstra ceterisque artibus scripsit, dicere mihi videris. Ho. Et de multis quidem aliis, o beate. Verum ars ipsa contradicendi, nonne summatim facultas est, quæ omnia in controversiam deducere potest? Thæ. Nihil ferme prætermittere videtur. Ho. Tu vero, per deos, o puer, fieri hoc posse putas? forte enim vos juvenes acutius hoc inspicitis, senes vero nos obtusius. Thæ. Quid istud et quale? [233] neque enim quod nunc quæris, intelligo. Ho. Quærebam, utrum hominum quispiam scire omnia possit. Thæ. Beatum profecto, hospes, genus nostrum esset. Ho. Quonam pacto ignorans quispiam adversus intelligentem contradicendo validum quicquam inferre poterit? Thæ. Nullo. Ho. Quid ergo in sophistarum potentia mirabile videretur? Thæ. Circa quid maxime? Ho. Quemadmodum videlicet unquam possent juvenibus persuadere, se omnium in singulis esse sapientissimos? constat enim, quod nisi recte contradicerent, aut nisi illis apparerent, apparentesque nisi adversando existimarentur esse sapientiores, quod tu quærebas, nullus oblata pecunia ab istis eruditi cuperet. Thæ. Nullus penitus. Ho. Nunc vero exoptant. Thæ. Ac vehementer. Ho. Videntur, arbitror, illa in quibus adversantur, optime scire. Thæ. Quidni? Ho. Repugnant autem in omnibus, nonne? Thæ. Absque dubio. Ho. In omnibus itaque sapientes discipulis esse videntur. Thæ. Cur non? Ho. Neque tamen sunt. impossibile quippe id esse constitit. Thæ. Impossibile sane. Ho. Opinionem igitur circa omnia potius, quam veram scientiam habere Sophista nobis apparuit. Thæ. Prorsus: quodve modo dixisti, recte admodum dixisse videris. Ho. Ponamus ergo exemplum aliquod istorum perspicuum. Thæ. Quale? Ho. Hoc. sed attende diligenter atque apte responde. Thæ. Quale inquam. Ho. Perinde ac si quis assereret, neque dicere neque contradicere, sed scire potius facere ac fingere arte una cuncta. Thæ. Quomodo cuncta dicebas? Ho. Principium sermonis hujus statim ignoras. quid enim hæc dictio, cuncta, significet, num intelligis? Thæ. Non certe. Ho. Dico in numero omnium esse me ac te et alia quoque animalia

Digitized by Google

arboresque. Ther. Quomodo inquis? Ho. Si quis me ac te ceteraque viventia omnia se facturum promittat. Ther. Quem faciendi modum dicis? non enim [234] dicis agricultorem quenquam: nam animalium factorem aiebas. Ho. Aio, et terræ præterea et maris cœlique ac deorum aliorumque omnium. et cum singula brevi finxerit, unumquodque exiguo pretio vendet. Ther. Jocum quendam narras. Ho. Quid vero? nonne et ille jocari dicendus est, qui omnia se nosse prædicat, aliumque docere omnia exigua quadam mercede brevique tempore profitetur? Ther. Prorsus. Ho. Jocandi vero speciem habes ullam magis artificiosam jucundamque quam imitationem? Ther. Nullam. amplam sane speciem dixisti, in uno omnia comprehendentem atque multiplicem. Ho. An non intelligimus eum, qui arte una cuncta facturum se profitetur, picturam fingentem equivoca rerum simulacra, dementes pueros posse decipere, dum picta eminus prospicientibus monstrat, quasi, quodcunque velit, efficere possit? Ther. Quid prohibet? Ho. Nonne et aliam circa sermones talem artem esse putamus, qua seductores, quasi præstigiis quibusdam utentes, adolescentulos, procul a veritate rerum adhuc existentes, decipere valeant, imagines quasdam verisimiles loco verarum rerum auribus inculcando, adeo ut vera eloqui videantur omniamque hominum esse in omnibus sapientissimi? Ther. Nihil prohibet, aliam quandam ejusmodi esse artem. Ho. Necesse est multos, o Theætete, eorum qui hæc audiverunt, cum adoleverint, ac res ipsas eminus consideraverint, affectibus quibusdam res manifeste attrectare coactos, pristinas opiniones abjicere atque ita commutare, ut exigua videantur quæ magna, difficilia quæ facilia, et singula passim sermonibus concepta phantasmata actionum progressibus in contraria verti cogantur. Ther. Ita mihi videtur, prout meæ hujus ætatis judicium porrigit. arbitror enim me adhuc ex eorum numero esse, qui a vero procul absunt. Ho. At vero nos præsentes tibi opem ferre conabimur. et nunc quidem sitamur, quam proxime absque doctrinis intelligentiam adhibere. De sophista in primis mihi dicas, utrum inter nos constet, [235] quasi præstigiatorem quendam hunc esse verarumque rerum imitatorem: an suspicamur adhuc, ne forte veram illarum rerum scientiam habeat, de quibus contradicere aliis posse videtur. Ther. Quis ultesius suspicetur, hospes? jam ex his, quæ dicta sunt, patet eum ex illorum numero esse, qui una quadam disciplina pollent. Ho. Præstigiator itaque et imitator quidam est dicendus. Ther. Procul dubio. Ho. Deinceps cavendum est, ne prædam hanc dimittamus. ferme namque sophistam veluti funda quadam irretitum ratiocinando comprehendimus. quapropter hoc saltem minime subterfugiet. Ther. Quid istud? Ho. Quod videlicet unus quidam est ex his, qui allucinationibus et præstigiis fallunt? Ther. Idem quoque mihi videtur. Ho. Ostensum est utique, quamprimum artem imaginariam, simulacrorum videlicet effectricem, dividere oportere: cumque illam ingressi fuerimus, si statim sophista nos exspectet, capere illum, sicut regio est sermone mandatum, eique tradendo prædam ostendere. sin autem subintrans artis imitandi particulas delitescat, insequendum esse, et partem, qua sese occulit, dividendam aperiendamque, quousque omnino comprehendatur. Nam nec iste nec aliud ullum genus eum fugiet, qui per omnia sigillatim disquirere poterit. Ther. Recte mones, atque ita agendum. Ho. Secundum superiorem dividendi rationem duas nunc imitationis species cernere mihi videor. ideam vero, quam quærimus, utra in specie ponam ambigo. tu vero? Ther. Hasce prius species duas distingue atque declara. Ho. Unam quidem assimilandi artem video; cujus opus est, secundum exemplaris commensurationes, quoad longitudinem, latitudinem, profunditatem convenientesque colores æmulam imaginem fabricare. Ther. Quicunque aliquid imitantur, id pro viribus agunt. Ho. Nonne

Digitized by Google

quicunque magnum aliquod opus fingunt aut pingunt? si enim veram pulchrorum commensurationem simulacris præberent, minora quam decet superiora membra, [236] majora vero quæ infra sunt, apparerent: propterea quod illa eminus, ista comisus a nobis conspiciantur. THE. Omnino. Ho. Ergo artifices, veritate dimissa, non eas quæ re vera sunt, sed quæ videntur pulchræ commensurationes, simulacris ipsis accommodant. THE. Prorsus. Ho. Nonne igitur species hæc assimulatrix nuncupanda est? THE. Certe. Ho. Partem igitur geometriæ, quæ circa ista versatur, assimulatricem, ut supra diximus, appellabimus. THE. Sic prorsus. Ho. Quid porro quod apparet quidem pulchro simile, ex eo quod haud pulchrum respiciat, possitque aliquis tale quid cernere sufficienterque videre, quam pulchro simile non sit, quemadmodum dicebatur, quo illud nomine nuncupabimus? an non, quia apparet quidem, neque tamen est simile, phantasma dicendum? THE. Profecto. Ho. Secundum picturam pars ista, et universum imitationis est genus? THE. Nempe. Ho. Artem vero illam, qua phantasma fingitur, non imago, phantasticam merito nominandam putamus. THE. Consentaneum est. Ho. Has equidem duas imaginariæ facultatis species supra ponebam: unam, quæ similitudines efficit; alteram, quæ phantasmata. THE. Recte. Ho. Atque id est quod ambigebam, utra in specie sit sophista ponendus, neque dum satis agnosco. re vera mirandus vir iste cognituque difficilis: quandoquidem et nunc quam aptissime tergiversatus, in obscuræ speciei latebras secessit. THE. Videtur. Ho. Nunquid ipsum cognoscens mihi nunc assentiris? an impetus quidam propter hunc sermonem ita te consuetum induxit, ut repente confitereris? THE. Quorsum hæc? Ho. In arduam profecto considerationem incidimus. Semper enim tam in præterito quam præsenti tempore maxime dubium est quod dicitur: apparere quidem hoc atque videri, esse vero nequaquam: et aliquem loqui quædam, non tamen vera. mirandum quippe, Theætete, si is sibi non contradixerit, qui asserit quod re vera et dicere et opinari falsa contingit. [237] THE. Cur? Ho. Quia talis locutio, id quod non est, esse admittit. falsum namque haud aliter quod est fieret. Magnus autem Parmenides, o puer, dum pueri adhuc essemus, statim ab initio assidueque id prædicabat. sic enim carminibus passim jocatur. Nunquam, inquit, et nullo modo sunt illa quæ non sunt. Sed tu hoc tramite quærens mentem cohibe. Ab illo itaque testimonium perhibetur: sermoque hujusmodi, si mediocriter discutiatur, rem patefaciet. Age, hoc in primis, si tibi placet, inspiciamus. THE. Mea quidem nihil interest: ipse videris, et qua præstare putas, ea et tu pergas et me ducas. Ho. Ita prorsus agendum: et mihi responde, num pronuntiare quod nullo modo est, audeamus. THE. Quidni? Ho. Si quidem nullius contentionis aut joci gratia quærendum de istis vel respondendum sit, immo audientium quempiam oporteat serio nobis nomen hoc Non ens declarare quo referendum sit; cognitorum eum putamus, quo se vertat, quidve et quo modo interroganti demonstret? THE. Rem arduam sciscitaris, mihique uni prorsus ignotam. Ho. Hoc saltem constat, quod id nomen Non ens nulli eorum quæ sunt, attribuendum. THE. Quomodo enim id fieret? Ho. Cum vero ad Ens, ut ita dixerim, referri non possit, neque etiam ad Aliquid referendum. THE. Quonam pacto? Ho. Id quoque nobis patet, quod dictio ista Aliquid circa ens aliquod ubique pronuntiatur: atque impossibile est, ipsum Aliquid solum et quasi nudatum ab omnibus his quæ sunt, seorsum enuntiare. THE. Impossibile certe. Ho. Num ita considerans confiteris necessarium esse, eum qui aliquid dicit, unum aliquid dicere? THE. Ita. Ho. Unius porro signum ipsum Aliquid esse dices, duorum et plurium Aliqua? THE. Dicam plane. Ho. Eum vero qui Non aliquid dicit, necesse est neque unum quid, id est nihil dicere?

Digitized by Google

Thr. Necessarium est omnino. Ho. Neque id concedendum, hominem talem dicere quidem aliquid, sed non unum quid, id est nihil dicere. Thr. Atqui neque loqui dicendus est ille, qui conatur non ens proferre. unde sermo extremum dubitationis haberet. [238] Ho. Nondum magnum hoc dicas. exstat enim adhuc, o beate, circa hæc dubitationum maxima atque prima, quæ circa ipsius principium accidit. Thr. Quo pacto id dicas, declara, amabo, neque te pigeat. Ho. Ei sane quod est, aliquid alterum eorum quæ sunt, contingere potest. Thr. Nihil prohibet. Ho. Ei vero quod non est, aliquidne ex his quæ sunt, adesse unquam posse dicemus? Thr. Nequaquam. Ho. Universum numerorum genus in ordine eorum, quæ sunt, ponimus? Thr. Certe, si modo aliud quicquam in eo ponendum. Ho. Quare nec numerorum multitudinem neque unum non enti adhibeamus. Thr. Haud recte adhiberemus, ut ratio nobis ostendit. Ho. Quo pacto igitur vel ore proferret quisquam vel cogitatione comprehenderet ea, quæ non sunt, vel non ens, seorsum a numero? Thr. Qua ratione? Ho. Quotiens non entia dicimus, nonne numeri multitudinem tentamus apponere? Thr. Utique. Ho. Quotiens autem non ens, unum. Thr. Manifestum id quidem. Ho. Enimvero neque justum neque rectum esse diximus, ut quis non enti ens adjungere audeat. Thr. Vera loqueris. Ho. Animadvertisne, quod neque proferri neque recte dici neque cogitari non ens secundum seipsum potest, sed incogitabile, ineffabileque et irrationale existit? Thr. Penitus. Ho. Nunquid paulo ante mentitus sum, cum dixi maximam circa illud dubitationem me illaturum? Thr. Aliam adhuc ista majorem adducere possumus? Ho. Quid vero, o mirifice adolescens, an non ex his quæ dicta sunt, vides, quod non ens tantis eum, qui ipsum redarguit, offundit tenebris, ut cum primum redargutionem aggreditur, sibimet adversari cogatur? Thr. Dic clarius. Ho. Haud oportet clarius aliquid in me considerare. Equidem cum supposuissem non ens nec unius nec multorum esse particeps, tamen et paulo ante et nunc etiam unum ipsum protuli, dum hoc ipsum non ens pronuntiarem. percipisne? Thr. Percipio. Ho. Quin etiam paulo supra inexplicabile ipsum et ineffabile et irrationale esse dixi. tenes? Thr. Plane. Ho. An non, dum ipsum esse prædicare de illo conarer, [239] contraria superioribus proferebam? Thr. Videris. Ho. Nonne cum hoc illi attribui, quasi de uno locutus sum? Thr. Absque dubio. Ho. Immo et irrationale dum dicerem, inexplicabileque et ineffabile singulariter pronuntiarem, perinde ac si unum esset, verba de hoc faciebam. Thr. Quidni? Ho. Diximus sane, si modo quis recte loqui voluerit, neque ut unum neque ut multa determinare ipsum debere, neque omnino ipsum vocare. nam in una quadam specie appellatione hujusmodi poneretur. Thr. Prorsus. Ho. De me igitur quis ulterius dixerit? etenim et supra et nunc me in hac pugna adversus non ens succubuisse comperiet. apud quem de non ente loquentem nulla recta locutio reperitur. sed de te jam, si placet, consideremus. Thr. Quid ais? Ho. Conare, age, bene et generose, (es enim juvenis,) et omni mentis attentione rectum sermonem de non ente proferre, illi nec essentiam nec unum neque numeri multitudinem adhibens. Thr. Quam temerarius essem, si eandem, qua tu succubuisti, pugnam aggrederer. Ho. Ergo si vis, te ac me prætermittamus, et donec aliquem recti sermonis compotem nanciscamur, dicamus interim, sophistam præ ceteris versute admodum obscuris sese in latebris occuluisse. Thr. Et maxime quidem. Ho. Verumtamen si phantastica quadam arte pollere sophistam asseruerimus, facile ex hoc usu loquendi adversus nos occasionem nactus, in contrarium sermones vertet. nam dum ipsum simulacrorum auctorem vocabimus, quid maxime simulacrum dicamus, interrogabit. Cogitandum protinus, Theætete, quid ita per-

Digitized by Google

contanti sophistæ respondeamus. Thr. Dicemus videlicet simulacra esse illa, quæ in aquis et speculis offeruntur, picta quoque et figurata et hujus generis alia. Ho. Videris, Theætete, sophistam conspexisse nunquam. Thr. Cur? Ho. Videbitur tibi aut conniventibus oculis aut sine oculis tecum loqui. Thr. Qua ratione? Ho. Ridebit te, cum per figuras speculaque responderis, perinde ac si cum vidente loquaris: simulabit ille aquas et specula et visum penitus ignorare, [240] atque de hoc tantum sciscitabitur. Thr. De quonam? Ho. De eo, inquam, quod his omnibus quæ dixisti, commune est, et quasi sit unum in multis, uno nomine, hoc est simulacrum appellasti. Strenue itaque certa, neque ignave cedas, sed generose responde. Thr. Quid aliud, hospes, simulacrum est dicendum, quam quod ad veri similitudinem accedit quodammodo, aliudque est tale? Ho. Cum aliud tale dicis, utrum verum, an aliud quiddam intelligi vis? Thr. Verum nullo modo, sed simile. Ho. Nunquid verum vere ens vocas? Thr. Idipsum. Ho. Non verum autem veri contrarium? Thr. Quid prohibet? Ho. Si ergo id quod simile vocas, verum esse negas, ens quoque existere negas: est tamen. Thr. Quo pacto? Ho. Esse quidem, sed non vere esse fateris. Thr. Certe non verum ens, sed imaginem veram. Ho. Ergo non vere est ens id quod vere esse imaginem dicimus, et non vere ens est vere. Thr. Videtur non ens cum ente miris modis implicitum. Ho. Cur non mirum videatur? cernis, quam argute multiceps iste sophista nunc rursus hac alternatione nos invitos non ens quodammodo esse fateri coegerit? Thr. Quis non viderit? Ho. Qua ratione ejus artem definiemus, ita ut nobis constemus? Thr. Quid maxime veritus ita loqueris? Ho. Quando ipsum circa phantasmata decipere nos asserimus, ejusque artem decipiendi astutiam nominamus, tunc utrum dicimus animam nostram opinari falsa, ejus captiunculis irretitam, an aliud judicamus? Thr. Non aliud certe. Ho. Falsa opinio est contraria eorum quæ sunt opinari. Thr. Contraria. Ho. Ais igitur falsam opinionem, quæ non sunt, opinari? Thr. Aio. Ho. Utrum non esse quæ non sunt, putat? an quodammodo esse, quæ nullo modo sunt? Thr. Si quis unquam quoquo modo opinando mentitur, necesse est, ut quæ non sunt, esse quodammodo judicet. Ho. Nonne etiam quæ omnino sunt, nullo modo esse putabit? Thr. Id quoque. Ho. Et hoc falsum similiter? Thr. Et hoc. Ho. Quin etiam sermo mendax eadem ratione censebitur, qui videlicet [241] quæ non sunt, esse, et contra, quæ sunt, non esse pronuntiat? Thr. Haud aliter mendax effici potest. Ho. Ferme non aliter. non tamen hæc sophista fatebitur, quo pacto quis mentis compos hæc admiserit, quandoquidem superiora illa nec dici nec proferri neque describi neque cogitari posse constiterit? Intelligimus quod dicitur, Theætete? Thr. Quidni intelligamus? quod objiciet nobis sermonem nostrum sibimet repugnare, cum nunc non ens in opinione et locutione ponamus. unde sæpe cogi nos dicet non enti ens admovere: quod tamen fieri non posse supra convenimus. Ho. Recte in memoriam revocasti. sed consultandum jam, quid de sophista agere nos oporteat. Nam si eum in arte præstigiatorum mendaciumque ponentes definire conemur, objectiones permultæ dubiaque nascuntur. Thr. Patet. Ho. Exiguam hactenus illorum particulam ex innumeris partibus, ut ita dixerim, prosecuti sumus. Thr. Si hæc ita se habent, impossibile est sophistam comprehendere. Ho. Quid ergo? num ab investigatione propter mollitiem desistemus? Thr. Nullo modo desistendum arbitror, si qua ex parte hunc virum capere valeamus. Ho. Veniam itaque dabis, et, ut modo dicebas, satis factum duces, si modo parum quid in quæstione tam ardua profeceerimus. Thr. Dabo, et libenter quidem. Ho. Hoc abs te potissimum peto. Thr. Quidnam? Ho. Ne me quasi patricidam quendam fieri censeas.

Digitized by Google

Thr. Quorsum hæc? Ho. Pro repugnantibus nobis necesse est patris Parmenidis examinare sermonem, cogereque, non ens esse quodammodo, et ens rursus quoquo modo non esse. Thr. Videtur hoc in sermonibus expugnandum. Ho. Atqui vel cæcus, ut dicitur, id videret. nisi enim ista redarguantur concedanturve, nemo poterit de falsis sermonibus loqui vel opinione vel simulacris aut imaginibus aut imitationibus phantasmatibusve, aut de his artibus quæ circa ista versantur, quin risum audientibus moveat, dum sibimet contraria proferre cogetur. Thr. Vera loqueris. [243] Ho. Propter hæc adversus paternum sermonem instare audendum: vel dimittendum omnino, si qua pigritia seu verecundia detinemur. Thr. At nihil prohibebit, quo minus id faciamus. Ho. Tertium præterea quiddam, et ipsum exiguum quidem, abs te postulo. Thr. Dic sodes. Ho. Dixi paulo ante me circa talium redargutionem cum semper tum in præsentia nimis defatigari. Thr. Dixisti sane. Ho. Vereor, ne propter illa quæ a me dicta sunt, furiosus tibi videar, statim me cursum deorsumve permutans. nam tui gratia confutationem illius sermonis aggrediemur, si forte confutemus. Thr. Hæc ergo de causa forti animo ad pugnam accingere. neque enim me judice deliquisse dicetis, si eum susceperis confutandum. Ho. Undenam commodius disputationem hanc discrimine plenam exordiemur? Hoc utique scire, o puer, eundum necessario puto. Thr. Quonam? Ho. Ut quæ faciliora videntur, primum discutiamus; ne rerum difficultate deterriti ab inceptis pedibus desistamus; sed ut facile communi consensu disserendo pergamus, quasi leviter ac bene de his judicare possimus. Thr. Planius quod sentis exprime. Ho. Facili disputatione videtur hæc Parmenides prosecutus, et quisquis alius unquam quot et qualia sint entia, determinare est ausus. Thr. Quo pacto? Ho. Fabulam nobis tanquam pueris unusquisque narrasse videtur. Unus quidem, quod tria sunt quæ existunt; quodve illorum quædam invicem quandoque pugnant; interdum vero conciliata in unum coeunt pariuntque et progenitis porrigunt alimenta. Alter vero duo posuit, humidum et siccum, vel calidum et frigidum, eaque conjugavit invicem atque expedivit. Eleatica vero apud nos doctrina, a Xenophane, immo et ab antiquioribus originem ducens, omnia quæ esse dicuntur ut unum ponit, fabuleseque dixerit. Iades autem et Siculæ musæ quædam his posteriores ambo hæc invicem implicare tutius censuerunt, ita ut ens et multa et unum sit, discordia vero et concordia teneatur. dissidens enim semper congreditur, ut musæ vehementiores aiunt. remissiores vero musæ semper hæc ita se habere dimiserunt: et universum hoc vicissim tum unum et amicum sibi propter Venerem esse, tum multa et sibiipsi [243] dissidens per discordiam. Durum est autem adversus tam inclitos antiquosque viros, seu vera sive falsa dixerint, ferre sententiam. Tantum hoc sine invidia asserere possumus. Thr. Quid? Ho. Quod nos multos nimium contempserunt. nam suam quisque opus exsequitur, nulla nostri cura adhibita, utrum assequamur, necne. Thr. Quo pacto inquis? Ho. Quotiens illorum aliquis ait, quod est vel fit multa aut unum aut duo, et calidum frigido mixtum, discretiones quasdam concretionesque inducens, quid per deos, Theætete, ex his significari conjicis? Ego quidem dum eram junior, si quando id ipsum non ens, de quo nunc ambigimus, proferretur, exacte me intelligere confidebam. nunc vides, quo de hoc dubitantes redacti sumus. Thr. Video equidem. Ho. Forte vero et circa ens idem nihilominus noster animus patitur. hoc enim aliunde percipere nos, quotiens proferretur, affirmabamus: illud vero minime; similiter in ambobus affecti. Thr. Forte. Ho. Idem quoque de ceteris, quæ supra narravimus, dictum sit. Thr. Nempe. Ho. De multis quidem postea, si videbitur, considerabimus: de maximo vero præcipuoque et primo nunc jam cogitandum. Thr. Quid ais? an de ente primum quæ-

rendum censes, quid maxime significare velint qui illud enuntiant? Ho. Plane intellexisti, Theætete. alo equidem, ita nos disputare debere, ac si adessent illi, atque ita interrogare: O vos, quicunque calidum et frigidum aut aliqua duo talia cuncta esse asseveratis, quid hoc in ambobus existere vultis, quotiens ambo atque utrunque esse prædicatis? hoc ipsum Esse, quid a nobis intelligi debet, cum vos profertis? utrum tertium quiddam præter illa duo? quod si ita est, tria genera jam secundum vos, non duo tantum ponenda videntur. sin autem alterum e duobus ipsum ens vocatis, haud similiter utraquo esse dicetis. utrumque enim unum esset, non duo. Thε. Vera loqueris. Ho. Nunquid ambo ens vocare vultis? Thε. Forsitan. Ho. At nos ad eos, o amici, dicemus, [244] hoc quoque modo duo hæc unum affirmaretis. Thε. Recte infers. Ho. Postquam igitur nos in hoc defecimus, vos saltem nobis ad sufficientiam declarate, quid hoc nomine ens significare vultis, cum id pronuntiatis. constat enim vos jamdiu novisse: nos autem hactenus scire putavimus, nunc hæsitamus: quamobrem hoc nos in primis docete, ne dum quæ traditis, discere opinamur, nos opinio fallat. Si hæc exigamus tam ab iis quam ab aliis, qui plus quam unum ipsum omne ponunt, nunquid errabimus? Thε. Minime omnium. Ho. Quid ad eos, qui omne unum esse tradunt? nonne quærendum pro viribus, quid ens ipsum dicant? Thε. Cur non? Ho. Ad hæc ergo respondeant, Unum dicitis esse solum? Dicimus, respondebunt. an non? Thε. Ita. Ho. Ens aliquid vocatis? Thε. Certe. Ho. Nunquid idem quod unum, nominibus ad idem duobus utentes? an aliud? Thε. Quid ad hæc, hospes, ii respondebunt? Ho. Patet, o Theætete, illum, qui hoc supposuit, non facile ad istas aliasque objectiones hujusmodi responsurum. Thε. Qua ratione? Ho. Duo quidem nomina confiteri, cum unum duntaxat ponatur, absurdum est. Thε. Quidni? Ho. Quin etiam dicente aliquo, quod nomen aliquod est, admittere temerarium. Thε. Quo pacto? Ho. Qui ponit nomen a re diversum, duo quædam inducit. Thε. Patet. Ho. Præterea si idem cum re nomen esse concedit, cogetur vel nullius esse nomen: vel si alicujus, nominis nomen esse fateri, alterius vero nequaquam. Thε. Sic est. Ho. Et unum unius ens solum: et hoc nominis ipsum unum ens. Thε. Necesse est. Ho. Quid porro, totum ab ente uno diversum, an idem dicent? Thε. Cur non dixerint? dicunt enim. Ho. Si ergo totum est, quemadmodum inquit Parmenides: Æqualis undique sphæræ moli persimile a medio ad circumferentiam penitus æque distans: eo namque neque majus quicquam neque potentius est: necessarium est, ob talem circumferentiam ipsum ens medium extremave habere, et iccirco partibus quoque constare. Thε. Sic oportet. Ho. [245] Atqui nihil prohibet, ipsum divisum in partibus omnibus passionem unius admittere, atque hoc modo et omne ens et totum unum existere. Thε. Nihil penitus. Ho. Quod autem hæc patitur, an non impossibile est id ipsum unum esse. Thε. Quare? Ho. Quia secundum veram rationem impartibile omnino re vera unum est ponendum. Thε. Oportet sane. Ho. Quod vero tale est, ut ex pluribus partibus construatur, cum universa ratione minime consonabit. Thε. Intelligo. Ho. Utrum totum ipsum unius recipiens passionem, ita et unum et totum erit? vel omnino non dicimus ipsum unum totum existere? Thε. Optionem ambiguam proposuisti. Ho. Vera narras. cumque ens unum esse admittat, cur non ens et unum idem apparet, et plura omnia, quam unum, erunt? Thε. Certe. Ho. Quod si ens sit non totum, ex eo quod illius susceperit passionem, sit autem ipsum totum, indigum ens sui ipsius efficitur. Thε. Maxime. Ho. Enimvero secundum hunc sermonem cum seipso privetur, non ens erit ens ipsum. Thε. Sequitur. Ho. Atque ita rursus omnia plura quam unum existent, cum tam ens quam totum

Digitized by Google

propriam naturam seorsum ab altero sit sortitum. THE. Profecto. Ho. Et si omnino non sit totum, eadem hæc entia provenlunt: ac præter id quod contingit non esse, contingit etiam neque factum fuisse ens unquam. THE. Quid? Ho. Quicquid factum est, semper fastum est totum. Quamobrem neque essentiam neque generationem tanquam existentem appellare debet, qui unum vel totum in ordine eorum quæ sunt, non ponit. THE. Omnino sic esse videtur. Ho. Præterea quod totum non est, quantum esse nullo modo potest. nam quatenus quantum est, eatenus est et totum. THE. Prorsus. Ho. Innumeræ quoque præter istas dubitationes adversus eum insurgunt, quisquis ens aut unum solum aut duo quædam ponit. THE. Testantur hoc, quæ modo monstravimus. nam alia semper ex alia adversus dicta gravior exoritur dubitatio. Ho. Sermones quidem illorum, qui de ente et non ente exacte disserunt, nondum retulimus. verumtamen satis ista sint. Eos autem, qui aliter tractant, rursus in medium adducamus, ut ex his omnibus intelligamus, nihilo facilius ens quam non [246] ens quid sit definiri posse. THE. Certe et isti adeundi videntur. Ho. Videtur utique inter eos quasi gigantum pugna quædam esse, propter eam controversiam, qua invicem de essentia certant. THE. Quo pacto? Ho. Quidam illorum de cœlo et invisibili regione omnia ipsis certe manibus in terram trahunt, saxa et quercus apprehendentes. Nam cum talia hæc omnia tangant, solum id esse affirmant, quod quoquo modo percipitur atque tangitur, idemque corpus et essentiam tradunt. quicquid vero absque corpore dicitur esse, contemnunt, nihil aliud audire volentes. THE. Novi equidem quos viros dixeris, tales enim multos reperi. Ho. Horum autem adversarii caute admodum atque pie superne ex invisibili sede pro invisibili essentia pugnant, atque intelligibiles quasdam et incorporeas species cogunt essentiam veram existere. illorum vero corpora eamque quam nominant veritatem in minima rationibus partiuntur, generationemque pro essentia fluentem denominant. Unde ingens et inextricabilis pugna inter utrosque de his semper exstitit. THE. Vera narras. Ho. Ab utrisque itaque rationem essentiæ quam ponunt, sigillatim jam exigamus. THE. Quomodo exigemus? Ho. Ab iis, qui in speciebus essentiam locant, facilius: mitiores enim sunt: ab illis autem, qui ad corpora vi singula trahunt, durius, forte vero et impossibile. Verum sic de illis agendum videtur. THE. Quo pacto? Ho. Præstaret illos opere meliores, si fieri posset, efficere. sin autem id fieri nequit, danda opera est, ut sermone saltem efficiamus, supponentes eos modestius atque rectius quam nunc responsuros. quod enim a potioribus conceditur, firmius atque potius est quam quod a deterioribus est concessum. nos autem non id curamus, sed quærimus veritatem. THE. Probe. Ho. Jube eos meliores factos tibi protinus respondere, et quod aiunt interpretare. THE. Fiet. Ho. Utrum quod mortale animal nominant, esse aliquid asserunt? THE. Quidni asserant? Ho. Nonne hoc animatum corpus appellant? THE. Valde. Ho. Dum hoc ferunt, animam esse aliquid volunt? [247] THE. Ita. Ho. Animam unam justam, injustam alteram; unam sapientem, insipientem alteram arbitrantur? THE. Utique. Ho. An non justitiæ aliorumque talium habitu præsentiaque talem animam fieri, contrariorum vero contrariam? THE. Hæc quoque fatentur. Ho. Quod alicui adesse et abesse potest, esse aliquid dabunt? THE. Dant certe. Ho. Cum ergo sit aliquid justitia et sapientia et virtus quælibet, nec non virtutis cujusque contrarium, et anima præterea, cui hæc accidunt; utrum videri tangique posse istorum singula, an non, opinantur? THE. Ferme nullum ex his videri. Ho. Nunquid horum aliquod habere corpus existimant? THE. Haud simpliciter ad ista respondent: sed animam quidem corpus aliquod habere: sapientiam vero et cetera, de quibus percontaberis,

Digitized by Google

aut nihil esse aut corpus asserere nondum audent. Ho. Procul dubio, Theætete, meliores viri nobis evaserunt. nam quicunque illorum Spartæ atque indigenæ sunt, horum neutrum asserere verentur: immo quod pugno premi nequit, omnino nihil esse contenderent. The. Ferme quod sentiunt enarrasti. Ho. Ab illis iterum perquiramus. Nam si quid vel exiguum quidem incorporeum esse concedunt, sufficit. Quod incorporeis simul atque corporeis rebus est insitum, cujus rationem esse utraque dicunt, hoc ab illis exprimi quærimus. The. Deesset forte illis responsio, si quid eis tale contingeret. Ho. Vide, utrum proponentibus nobis ens tale quiddam existere, admissuri sint. The. Quidnam declara. forte enim intelligemus. Ho. Dico equidem quicquid potentiam quamcunque nactum est vel ad aliud agendum vel patiendum ab alio, quamvis minimum quid a vilissimo quodam, et si solum semel, quodlibet tale re vera esse. Et hac ens definitione describo, nihil aliud quam potentiam esse. The. At vero postquam in præsentia ipsi hoc malius nihil habent, hoc et accipiunt. Ho. Probe. forsitan deinceps nobis aliquando et illis aliter dicendum videbitur. Atque id nunc erga illos [248] admissum ratumque maneat. The. Manet. Ho. Ad specierum amicos jam descendamus. tu autem nobis illorum sensum interpretare. The. Fiet. Ho. Aliud essentiam, aliud generationem dicitis, alterum ab altero secernentes? The. Absque controversia. Ho. Et corpore quidem nos per sensum cum generatione communicare: anima vero per rationem cum vera essentia; quam semper secundum eadem et eodem modo sese habere, generationem vero alias aliter apparere asseveratis? The. Asseveramus. Ho. Communionem hanc, o viri omnium optimi, quid in ambobus esse dicitis? num id, quod nos paulo ante inducebamus? The. Quid istuc? Ho. Passionem vel actionem ex potentia quadam, ab iis quæ invicem congrediuntur provenientem. Forsitan illorum ad hæc responsionem, o Theætete, haud satis percipis; ac me diuturna cum illis consuetudo ad percipiendum juvat. The. Quid ergo respondent? Ho. Non dant nobis quod supra adversus homines terra genitos de essentia dictum. The. Quid illud? Ho. Sufficientem entium definitionem hanc posui: videlicet quando alicui agendi vel patiendi vis aliqua vel minima adest. The. Hanc ipsam. Ho. Ad hæc aiunt, quod generatio potentiæ agendi vel patiendi est particeps: essentiæ vero nulla hujusmodi potentia convenit. The. An non id quod dicunt, aliquid est? Ho. Ad hoc a nobis objiciendum, quod clarius ab illis audire cupimus, utrum assentiantur animam cognoscere, essentiam vero cognosci. The. Affirmant profecto. Ho. Cognoscere vel cognosci actionem vocatis vel passionem vel utramque: vel neutrum istorum in neutro participare vultis? Patet, quod in neutro neutrum. alioquin contraria illorum, quæ supra concesserant, nunc admitterent. The. Intelligo. Ho. Si quidem cognoscere agere aliquid esset, cognosci vero pati, quod cognoscitur, pateretur. et iccirco essentiam hac ratione pati ex ipsa cognitione contingeret, dum cognoscitur: et quatenus cognoscitur, eatenus pati: et quatenus patitur, eatenus et moveri. quod circa rem stabilem fieri non posse dicimus. The. Recte. Ho. Quid vero? dic per Jovem, re vera motum, vitam, animam, sapientiam nunquid ab eo, quod omnino ac vere est, abesse prorsus existimandum: neque vivere ipsum, neque sapere, [249] neque venerandam sanctamque mentem habere, sed immobile stabileque esse? The. Absurdum nimis id, hospes, si concedatur. Ho. Nunquid mentem quidem habere, vitam vero minime? The. Qui istuc? Ho. An hæc utraque inesse illi dicemus, non tamen ab eo in anima contineri? The. At quonam modo alio contineret? Ho. Utrum mentem, vitam, animam habere dicendum: immobile tamen, cum omnino sit animatum, consistere? The. Hæc omnia mihi ratione carere videntur.

Digitized by Google

Ho. Motum igitur et motionem tanquam existentia abesse fatendum. Theæ. Quid obstat? Ho. Ex hoc, o Theætete, sequitur, mentem nullâ rerum immobilium usquam nullo modo de nullâ adesse. Theæ. Sequitur plane. Ho. Verumtamen si ferri agitarique cuncta consentiemus, hoc sermone ipsam idem ex genere rerum existentium auferemus. Theæ. Qua ratione? Ho. Videtur tibi absque statu esse usquam posse quod dicitur, secundum eadem, eodem modo et circa idem? Theæ. Nequaquam. Ho. Cernis usquam sine his mentem vel fuisse, vel esse? Theæ. Minime. Ho. Adversus eum omni rationum constu pugnandum, qui scientiæ, prudentiæ mentisque sublatis quicquam aliud asseveret. Theæ. Et vehementer quidem. Ho. Necesse est eum qui philosophatur atque ista in primis honorat, propterea neque sermonem illorum admittere, quicunque unam speciem rerum vel plures inducentes totum stare solum ferunt; neque illos audire, qui ens moveri dumtaxat affirmant: verum secundum puerorum optionem, comprehensis omnibus quotcunque vel stant vel moventur, ambo simul ens et omne vocare. Theæ. Vera loqueris. Ho. An non ut decet ens sermone jam comprehendisse videmur? Theæ. Prorsus. Ho. Papæ, o Theætete, quanta nunc in ambiguitate versamur! nihil enim aliud nunc præter difficultatem considerandi nosse mihi videmur. Theæ. Quorsum hæc? Ho. Videsne, o beate, quod dum illud penitus ignoramus, dicere tamen de illo nos aliquid arbitramur? Theæ. Et ego arbitror, atque haud scio quam ob causam nobis hæc ignoratio sit occulta. Ho. Animadverte obsecro diligentius, nam in præsentia nos his concessis merito quis perinde interrogare posset, ut et ipsi [250] supra interrogavimus eos, qui omne calidum et frigidum esse volebant. Theæ. Quemadmodum? memora mihi, si placet. Ho. Consbor equidem eodem modo ab te nunc quærere, quo ab illis, ut aliquid proficiamus. Theæ. Optime. Ho. Motum et statum nonne invicem contraria maxime nuncupas? Theæ. Cur non? Ho. Enimvero esse illa similiter sic, et ambo pariter, et utrumque. Theæ. Aio equidem. Ho. Quando esse utrumque et ambo concedis, tunc moveri prædicas? Theæ. Nullo pacto. Ho. An stare forte significas, cum esse utrumque dicis et ambo? Theæ. Neque hoc. Ho. Ergo tertium quiddam ipsum ens cogitas; et tanquam sub illo motus et status contineantur, comprehendis utraque, atque eorum in essentia communionem respiciens, sic esse ambo denominas. Theæ. Videmur re vera tertium quiddam ipsum ens vaticinari, quando motum et statum esse dicimus. Ho. Hac de causa ipsum ens ambo ista motus et status non est, sed præter hæc aliud. Theæ. Apparet. Ho. Ens itaque suapte natura neque stat penitus neque movetur. Theæ. Sic ferme dicendum. Ho. Quoniam cogitatio contertenda, ut animus de ente ratum aliquid et manifestum habeat? Theæ. Ignoro. Ho. Haud facile usquam arbitror, si quid enim non movetur, cur non stet saltem? vel quod non stat, cur non moveatur? Ens vero nobis extra hæc utraque esse apparuit. fierine id potest? Theæ. Minime omnium. Ho. Hoc utique recordari in præsentia debemus. Theæ. Quale id? Ho. Quod de non entis nomine interrogati, cuinam conveniret, declarare nequivimus. recordarisne? Theæ. Quidni recorder? Ho. Nonquid circa ens modo facundiores sumus? Theæ. Mihi quidem, hospes, si modo dici potest, magis deficere nunc videmur. Ho. Hoc ergo hic ponatur ambiguum. postquam vero tam ens quam non ens ex æquo nobis obscurum est visum, spes restat deinceps, si alterum clarius vel obscurius videbitur, et alterum similiter visum iri: et si alterum ignotum penitus, alterum [251] quoque similiter fore. sermonem igitur quantum possumus decentissime circa utrumque pariter persequamur. Theæ. Scite. Ho. Dicamus plane quo pacto multis nominibus idem hoc appellamus. Theæ. Exemplum ad hoc inducas. Ho. Hominem unum vocantes cognomentis

Digitized by Google

multis denominamus, dum colores illi, figuras, magnitudines attribuimus, virtutesque et vitia: in quibus omnibus aliisque permultis non hominem tantum esse ipsum dicimus, sed et bonum et alia multa: atque in aliis similiter agimus. quodlibet enim unum ponentes multa deinde multisque nominibus appellamus. THE. Vera narras. Ho. Unde juvenibus, ut arbitror, et tardo ingenio senibus adversandi occasionem dedimus. Nam continuo quisque objicere potest, quod impossibile sit, multa unum et unum multa esse. Quapropter exsultant, dum hominem bonum dici non sinunt, sed bonum quidem bonum: hominem vero hominem vocari volunt. Incidisti saepenumero, ut arbitror, Theaetete, in homines, qui argutiis ejusmodi student, plerumque etiam seniores, qui propter inopiam sapientiae hanc admirantur, et tanquam magnificum quiddam invenerint, se temere jactant. THE. Et maxime quidem. Ho. Ut igitur cunctos, quicunque de essentia usquam aliquid locuti sunt, sermo comprehendat, quae deinceps interrogando subjiciemus, tam adversus istos quam adversus alios, quos supra retulimus, dicta intelligantur. THE. Quamnam ista? Ho. Utrum neque essentiam cum motu statuve jungemus, neque aliud quicquam cum alio quoquam, sed quasi invicem res communicare nequeant, nostris sermonibus eas penitus secernemus? an in idem omnia congeremus, tanquam misceri singula possint? an partim licebit quidem, partim minime? Quid ex his potissimum, Theaetete, electuros illos putamus? THE. Nescio quid pro illis respondeam. Cur non sigillatim respondendo, quid ex unoquoque sequitur exquisivisti? Ho. Recte admones. Ponamus ergo, si vis, dicere illos primum, nihil prorsus cum aliquo ad aliquid communionem ullam habere. nonne motus et status nullo modo essentiae participabunt? THE. [252] Nullo modo certe. Ho. Num erit illorum aliquod, cum neutrum sit, essentiae particeps? THE. Non erit. Ho. Statim hac consensione omnia, ut videtur, perversa sunt, tum illorum dogmata, qui moveri omnia, tum illorum, qui stare ut unum volunt: ac etiam illorum, qui secundum species ea quae sunt, eodem modo et secundum eadem esse semper existimant, omnes enim esse adjungunt, partim vere moveri, partim vere stare dicentes. THE. Sic est omnino. Ho. Quin etiam quicunque interdum componunt omnia, interdum dividunt, sive in unum et ex uno in infinita, sive in terminata elementa dividant et ex his componant: similiter quidem si interdum vicissim id fieri ponant, similiter quoque si semper: in his, inquam, omnibus nihil veri dicunt, quandoquidem rerum est nulla commixtio. THE. Recte. Ho. Praeterea et ipsi quam absurdissime sermonem transigeremus, si nihil permitteremus alterius passionis communione alterum appellari. THE. Quomodo? Ho. Ipso esse circa singula quodammodo uti coguntur, et ipso seorsum et altero et secundum seipsum et innumeris aliis: quibus cum abstinere nequeant, quin sermonibus suis interserant, nullis aliorum redargutionibus indigent, sed, ut fertur, domi hostem et adversarium habent intrinsecus reclamantem, instar Euryclis absurdi, eumque secum circumferunt. THE. Verum est quod dicis ac simile. Ho. Quid vero, si omnia vim mutuam communionis habere dicamus? hoc profecto et ipse refellere possum. THE. Qua ratione? Ho. Quoniam et motus ipse omnino quiesceret et status agitaretur, si invicem commiscerentur. hoc autem summa quadam necessitate impossibile est, motum stare statumve moveri. THE. Cur non? Ho. Tertium itaque solum restat. THE. Sane. Ho. Etenim unum aliquod istorum necessarium est, vel omnia vel nullum vel alia commisceri, alia minime. THE. Necessarium prorsus. Ho. Duo quidem reperiri non possunt. THE. Non certe. Ho. Sequitur ut quicunque recte respondere vult, reliquum e tribus ponere debeat. THE. Maxime. Ho. Quandoquidem alia coire volunt, alia minime: ferme idem rebus aliis quod

Digitized by Google

literis [253] evenit. nam quædam ex literis invicem copulantur, quædam minime. THE. Patet. Ho. Vocalium quippe literarum series per alias omnes tanquam vinculum quoddam protenditur, sine quo nullæ invicem literæ vinciri possunt. THE. Et maxime quidem. Ho. An intelligit unusquisque quæ literæ quibus congruant? vel arte opus est, ut recte id fiat? THE. Arte. Ho. Qua? THE. Grammatica. Ho. Nonne idem circa gravium et acutorum sonos? qui enim voces invicem consonas dissonasve arte dignoscit, musicus: qui vero ignorat, musicæ expers. THE. Ita est. Ho. Et in aliis artibus artiumque defectibus ejusmodi alia reperiemus. THE. Manifestum id quidem. Ho. Cum vero et genera rerum eodem pacto mutuam communionem habere dixerimus, nonne scientia quadam sermones peragere debet, quisquis recte qualia genera qualibus congruant aut dissonent, sit ostensurus, quin etiam per omnia cogniturus si ista conveniant, adeo ut comnisceri possint, et in divisionibus rursus, si per omnia altera divisionis est causa? THE. Scientia prorsus opus est, ac ferme omnium maxima. Ho. Quam igitur hanc appellabimus, Theætete? Nunquid clanculum in liberalium hominum scientiam incidimus? videmur utique, dum quæreremus sophistam, ante illum invenisse philosophum? THE. Qui istuc? Ho. Per genera dividere, et neque eandem speciem alteram credere neque alteram rursus eandem esse, nonne dialecticæ officium esse dicemus? THE. Dicemus profecto. Ho. Quicunque hoc agere potest, unam ideam per multa, unoquoque seorsum posito, passim porrectam acute persentit: et multas invicem alias extrinsecus sub una comprehensas: et unam rursus per tota illa, quæ multa sunt, ad unam copulatam, et multas seorsum undique distinctas. Hoc autem est scire per genus discernere qua singula communicare vicissim possunt et qua non possunt. THE. Omnino. Ho. At vero dialecticum opus haud alteri dabis, ut arbitror, quam pure legitimeque philosophanti. THE. Quo pacto alteri dari posset? Ho. Philosophum quidem tali quodam in loco et nunc et in posterum, si quæremus, inveniemus, quamquam [254] et iste non facile conspici potest. Sed alia ratione sophista, alia philosophus intuitum refugit oculorum. THE. Qua? Ho. Sophistam pono, quia in non entis tenebras aufugit, et diuturna consuetudine tenebris illis offunditur, iccirco summa difficultate discernitur. THE. Sic est. Ho. Philosophus autem entis ipsius ideæ ratiocinatione semper inhærens, ob regionis illius splendorem haud facile cernitur. Nam vulgarium animarum oculi divinitatis radios sustinere non possunt. THE. Consentaneum est ista sic non minus quam illa sese habere. Ho. De hoc alias clarius, si pro voluntate licebit, tractabimus. Sophista vero non prius est dimittendus, quam sufficienter a nobis sit cognitus. THE. Egregie. Ho. Postquam ergo inter nos convenit, ex generibus quædam vicissim congredi, quædam penitus dissidere: et alia quidem cum paucis, alia cum multis, nonnulla quoque per omnia omnibus cohærere: sequamur deinceps rationem sermonis hujus in hunc modum considerantes. non de omnibus speciebus, inquam, ne multitudine confundamur, verum quasdam ex maximis eligentes: primum quidem quales quæque sint; deinde quam vim mutuæ communionis habeant, ut ens atque non ens, si non possumus perspicua penitus notione comprehendere, saltem congrua de his disputandi ratione non careamus, quoad investigationis hujus conditio patitur. Quod si non ens velut imaginando esse re vera non ens dicemus, insontes forsitan evademus. THE. Decet sane. Ho. Maxima vero omnium genera, quæ modo referebamus, ens ipsum et status et motus. THE. Valde. Ho. Duo hæc invicem misceri non posse est dictum. THE. Certe. Ho. Ens vero utrisque misceri: ambo enim quodammodo sunt. THE. Nil obstat. Ho. Sequitur, ut tria sint ista. THE. Sequitur. Ho. An non istorum quodlibet a duobus reliquis alterum est, sibi

Digitized by Google

idem? Tim. Est. Ho. Quid ita nunc idem et alterum diximus? Nunquid ut duo quædam genera alia quam tria superiora, illis autem necessario semper annexa? atque ita de quinque generibus cogitandum? an idem hoc et alterum [255] illorum quiddam enunciavimus, quod tamen nos latuit? Tim. Forsitan. Ho. At vero motus statusque neque alterum est neque idem. Tim. Quam ob causam? Ho. Quod communiter motum statumve vocavimus, hoc neutrum illorum esse potest. Tim. Cur? Ho. Quia et motus staret et status itidem moveretur. Circa enim ambo alterum, utrumvis illorum effectum, cogeret alterum in naturæ suæ transire contrarium, utpote contrarii particeps. Tim. Prorsus. Ho. Ambo tamen eodem alterove participant. Tim. Nempe. Ho. Ne ergo dicamus, aut motum esse idem vel alterum, aut statum similiter. Tim. Non certe. Ho. Sed nunquid ens et idem unum esse invicem cogitandum? Tim. Forte. Ho. At si ens et idem nihilo inter se differunt, quotiens motum et statum ambo esse dicemus, ambo similiter ista idem denominabimus: hoc autem impossibile. Non potest igitur idem et ens unum esse. Tim. Sic ferme dicendum. Ho. Quartam ergo speciem præter tres superiores ipsum idem ponamus. Tim. Ponamus. Ho. Nunquid ipsum alterum quinto loco ponendum? vel hoc et ens nomina duo unum quiddam significare putandum? Tim. Forte. Ho. Arbitror tamen concessurum te, quod eorum quæ sunt, quædam ipsa secundum seipsa sunt, quædam ad alia referuntur. Tim. Quidni? Ho. Alterum autem semper ad alterum. nonne? Tim. Semper. Ho. Non tamen ita, nisi alterum et ens inter se longe differrent, sed si alterum speciebus utrisque participaret, ut ens, esset utique aliquid eorum, quæ altera sunt, alterum utique non ad alterum. Nunc autem quicquid re vera alterum est, ex necessitate sequitur, ut secundum id quod est, alterum sit. Tim. Sic est, ut dicis. Ho. Quintam ergo alterius ipsius naturam in speciebus, quibus adjunximus, ponere decet. Tim. Profecto. Ho. Dicendum quoque per omnia hæc illam discurrere. esse enim ex aliis unumquodque alterum, non per sui ipsius naturam, sed quia alterius idem sit particeps. Tim. Re vera. Ho. Sic autem de quinque sigillatim repetendo dicamus. Tim. Qui? Ho. Principio, quod motus omnino alterum quiddam est quam status. Itane, an aliter asserendum? Tim. Ita prorsus. Ho. Non ergo status est. Tim. Nullo pacto. Ho. Est autem ex eo quod [256] entis est particeps. Tim. Est. Ho. Rursus motus alterum est, quam ipsum idem. Tim. Ferme. Ho. Non ergo ipsum idem est. Tim. Non certe. Ho. Attamen idem quodammodo est propter participationem. omnia enim ipso eodem participant. Tim. Summopere. Ho. Concedendum igitur sine controversia, motum et idem esse pariter et non idem. neque enim simili ratione utrunque pronuntiamus: sed idem, quia ipsius ejusdem particeps, sibimet idem est: non idem vero, quia ipsum quoque alterum recipit, quo ab ipso eodem sejungitur, neque illud est, sed aliud quiddam. Quamobrem recte non idem iterum dicitur. Tim. Recte nimirum. Ho. Quin etiam si quo modo statum ipse motus admitteret, motum stabilem nominare nequaquam esset absurdum. Tim. Recte, si quidem concesserimus e generibus quædam invicem communicare velle, quædam minime. Ho. At vero ad hujus prius demonstrationem, quam præsentium refellendo pervenimus, quod videlicet sic natura se res habeat. Tim. Cur non? Ho. Dicamus iterum, motum alterum esse quam ipsum alterum, quemadmodum aliud quam idem et status erat. Tim. Necesse est. Ho. Est ergo et alterum hac ratione quodammodo et non alterum. Tim. Verum. Ho. Quid vero deinceps? num alterum ipsum, quam tria dicemus, non tamen a quarto diversum, cum quinque illa esse confessi fuerimus, e quibus unum considerandum proposuimus? Tim. At quomodo? Neque enim minorem illorum numerum, quam supra constiterit, induere possumus. Ho. Ergo nihil veriti

Digitized by Google

asseveremus, motum aliud esse quam ens. THE. Asseveremus protinus. Ho. Quare motus re vera non ens existit et ens, quandoquidem entis est particeps. THE. Manifestum id quidem. Ho. Sequitur itaque, non ens in motu et in aliis generibus omnibus esse. nam in singulis alterius ipsius natura, dum alterum unumquodque quam ipsum ens efficit, non ens efficit singula: atque ideo cuncta similiter non entia hac de causa prædicabimus; et quia ente participant, esse iterum dicemus, entiaque vocabimus. THE. Apparet. Ho. Ergo circa speciem quamlibet ens quidem plurimum est, non ens autem multitudine infinitum. THE. Videtur. Ho. An non ipsum quoque ens [257] aliud, quam unumquodque aliorum est dicendum? THE. Necesse est. Ho. Ens itaque, quot numero alia sunt, totidem non est ipsum. nam cum illa ipsum non sit, unum quidem ipsum est: alia vero quæ infinita sunt numero, non est. THE. Ita pæne dicendum. Ho. Haud sane turbare nos ista debent; si quidem natura generum mutuam communionem habet: si quis autem minus hæc accipit, sciendum positis superioribus, concedi hæc insuper oportere. THE. Juste loqueris. Ho. Videamus et hoc. THE. Quidnam? Ho. Quotiens non ens dicimus, ut videmur, nequaquam entis contrarium dicimus, sed alterum quiddam solum. THE. Quemadmodum? Ho. Ceu cum non magnum dicimus, non magis parvum quam æquale eo vocabulo significamus. THE. Sic est. Ho. Non ergo contrarium, quando negatio dicitur, significari fatebimur: tantum vero duntaxat asseverabimus, quod Non et Neque aliquid ex aliorum numero significant, quando nomina antecedunt: immo quotiens antecedunt res ipsas, circa quas nomina negationes sequentia pronuntiantur. THE. Sic est omnino. Ho. Hoc præterea, si tibi videtur, meditemur. THE. Quid istud? Ho. Ipsius alterius natura eodem modo, quo et scientia, divisa dispersaque videtur. THE. Dic age, quo pacto? Ho. Una quidem est et illa, pars autem illius in aliquo residens sigillatimque determinata cognomentum proprium est sortita: quocirca multæ artes scientiæque esse dicuntur. THE. Prorsus. Ho. Nonne et partes naturæ ipsius alterius, quæ una est, idem quod et partes scientiæ patiuntur? THE. Forsitan. Verum qua ratione, declara. Ho. Est pulchro pars aliqua ipsius alterius opposita? THE. Est. Ho. Hancne omni cognomento carere dicemus? an potius cognominari? THE. Cognominari. Ho. Quod enim non pulchrum ubique pronuntiamus, hoc non ab alio quoquam alterum est quam a pulchri natura. Age itaque ad hoc responde. THE. Ad quid respondeam? Ho. Cum aliquid in parte quadam entium determinatum sit, rursusque alicui entium opponatur, contingatque ita non pulchrum dici, sequitur, non pulchrum esse aliquid, quandoquidem est illud cui opponitur. THE. Recte admodum. Ho. Nunquid ex hoc sermone pulchrum magis in numero entium, non pulchrum minus ponendum? THE. Nihilo magis. Ho. Similiter ergo tam [258] non magnum quam magnum esse dicendum. THE. Similiter. Ho. Quin etiam non justum ex æquo ac justum esse asseverandum. THE. Absque dubio. Ho. Eademque erit de ceteris ratio, postquam alterius ipsius natura e genere entium esse apparuit. ea vero existente, necesse est et partes ejus nihilo minus existere. THE. Quid prohibet? Ho. Oppositio ipsa, quæ est inter partem naturæ ipsius alterius partemve entis, nihilominus, si dictu fas est, quam ens ipsum essentia est: neque contrarium illius, sed alterum quiddam duntaxat significat. THE. Perspicue. Ho. Quam igitur ipsam appellabimus? THE. Constat utique, quod non ens a nobis gratia sophistæ quæsitum, hoc ipsum est. Ho. An, ut dicebas, nullius aliorum essentiam derelinquit? oportetque audacter jam dicere, quod non ens firmiter naturam suam habet; quemadmodum magnum erat magnum pulchrumque erat pulchrum, ac etiam non magnum et non pulchrum? eodemque pacto non ens secundum idem erat et

Digitized by Google

est non ens, species una multis aliis entibus annumerata. Nunquid ulterius circa hoc, Theætete, diffidimus? THE. Nequaquam. Ho. Advertisne, quam longe a Parmenidis mente divertimus? THE. Curnam? Ho. Illius limites transgressi sumus, dum ulterius quam statuerit consideravimus et ostendimus. THE. Quo pacto? Ho. Quoniam, inquit ille, Nunquam nullo modo sunt non entia, Sed tu quærens ab hoc progressu cohibe mentem. Hæc ille. Nos autem non solum non entia esse ostendimus, sed quæ sit non entis species demonstravimus. cum enim ostenderemus, alterius ipsius naturam esse, perque omnia entia divisam atque dispersam invicem; tunc partem ejus oppositam ei quod cujusque ens est, esse ipsum re vera non ens asseruimus. THE. Vera prorsus, o hospes, dixisse mihi videmur. Ho. Nemo itaque dicat, quod, postquam non ens entis contrarium ostendimus, esse ipsum dicere audeamus, nos enim jam diu id prætermisimus, utrum [259] revera sit contrarium necne. Quod autem nunc diximus, esse non ens, vel reprobare debet, qui minus credit; vel, si reprobare non valet, eousque credere, quousque contradicere nequit: quod videlicet genera invicem sint commixta, ensque et alterum, per se invicem perque alia omnia penetrando, sese mutuo capiant, dum alterum ente participat, est enim ob participationem hujusmodi, non tamen est illud ipsum, quo participat, sed aliud quiddam. Cum vero aliud sit quam ipsum ens, necessario sequitur, ut non ens esse dicatur. Ens quoque ex eo, quod ipsius alterius particeps, alterum quiddam ab aliis generibus est dicendum. cumque alterum sit quam reliqua cuncta, nec unum aliquid ex illis neque cuncta existit, sed ipsum quod est dumtaxat: quapropter ens absque dubio in plurimis plurima non est. et alia quoque similiter, tam universa quam singula multifariam quidem sunt et multifariam non sunt. THE. Vera narras. Ho. Si quis contrariis hisce conversionibus fidem non præstat, cogitare debet, ut meliora quam hæc inducat. quod si quis quasi arduum quiddam invenerit, gloriatur tum ad hæc tum ad alia sermones trahens, haud sane multo studio digna excogitavit, quemadmodum sermones hi testantur. hoc enim neque egregium aliquid est neque inventu difficile: sed illud arduum est atque præclarum. THE. Quidnam? Ho. Quod et supra est dictum, ut his omissis tanquam levibus, possit aliquis sigillatim redarguendo prosequi, quotiens dicat quis, quod alterum est, idem esse, aut quod idem est, alterum, ita ut utrumque id per rationem propriam patiatur. Utque iterum ostendere possit, quod idem est, alterum quoquo modo esse, alterumve idem. magnum quoque parvum, simileque dissimile. atque ita contraria semper in sermonibus facile proferre queat. Neque vero aliqua tam vera redargutio est, cumque nuper ens aliquod perceptum sit, nova est. THE. Omnino quidem. Ho. Ceterum, o adolescens optime, omne ab omni secernere et inconcinnum est et hominis musicæ philosophiæque prorsus expertis. THE. Quamobrem? Ho. Omnis penitus oratio deletur, si unumquodque ab omnibus segregatur. nam propter mutuam specierum copulam oratio constitit. [260] THE. Sic est. Ho. Adverte obsecro, quam opportune nunc adversus istos pugnantes coëgimus eos, ut alterum alteri commisceri permitterent. THE. Ad quid maxime? Ho. Ad hoc, ut oratio unum aliquid e generibus sit. hoc enim si privaremur, philosophia ut plurimum careremus. Oportet præterea in præsentia communi consensu quid oratio sit, definire. quod si penitus e medio tolleretur, nulla de re loqui possemus. tolleretur autem, si concessum esset nullam esse rerum commixtionem. THE. Recte id quidem. verum qua de causa nunc oratio definienda sit, non intelligo. Ho. At forte hoc modo percipies. THE. Quo? Ho. Non ens constitit unum aliquid genus ex aliis existens, per omnia quæ sunt, diffusum. THE. Constitit. Ho. Considerandum ergo

Digitized by Google

deinceps, utrum opinioni atque orationi immisceatur. THE. Cur? Ho. Quoniam, si nullo modo his immiscetur, vera esse omnia necesse est. sin autem miscetur, falsa opinio oratioque falsa exoriuntur. dicere enim et opinari non entia, hoc ipsum falsum est, orationi et cogitationi contingens. THE. Sic est. Ho. Cum vero sit falsitas, deceptio sequitur. THE. Statim. Ho. Orta deceptione, necesse est simulacris et imaginibus phantasiaque cuncta repleri. THE. Nihil repugnat. Ho. Sophistam utique dicebamus hic aufugisse, dum falsum aliquo modo esse renueret, quia non ens nemo cogitet vel pronuntiet, cum non ens nulla ex parte sit essentiæ particeps. THE. Sic est dictum. Ho. Nunc autem hoc entis particeps nobis apparuit. quapropter haud ultra hunc in modum pugnabit. Forte vero dicet quasdam e speciebus non ente participare, quasdam minime: orationem et opinionem ex illorum numero esse, quæ non participent: et iccirco facultatem illam phantasticam, simulacrorum magistram, in qua illum locavimus, nusquam esse contendet, postquam opinio oratioque non ente nullo modo participant: falsumque nihil esse dicet, cum nulla communio talis reperiatur. Quamobrem, quid oratio sit opinioque et phantasia, primo investigandum, ut his declaratis eorum cum non ente communionem conspiciamus: [261] qua inspecta falsum esse aliquid ostendamus: cumque hoc ostenderimus, in eo Sophistam, si reus sit, vinciamus; alioquin absolventes illum in alio quodam genere deinde quæramus. THE. Verum omnino videtur, hospes, quod ab initio de Sophista prædiximus, quod videlicet difficile capi posset. Multis enim est obicibus circumseptus, neque ad eum pervenire quis potest, nisi prius obstaculum, quod primo jecit ille, submoverit. Et nunc quidem vix tandem objectionem illam evasimus, qua non ens nullo modo esse intulerat. continuo siquidem aliud est illatum. Unde oportet falsitatem circa orationem opinionemque ostendere: ac forsitan post hoc aliud: aliudque post illud; nullusque terminus invenitur. Ho. Forti animo persequi, Theætete, debet, quisquis contra progredi, postquam invasit, aliquantulum valet. qui enim in istis hæsitet, in aliis audebit nunquam. Nam qui illis aut nihil perficit aut retro repellitur, nunquam, ut proverbio fertur, expugnabit urbem. Nunc vero, postquam ingens obstaculum jam disjecimus, reliqua posthac minora levioraque supersunt. THE. Præclare loqueris. Ho. Orationem itaque primo, sicuti dictum est, opinionemve capiamus, ut clarius ostendamus, utrum non ens hæc attingat; an vero omnino sint ambo, falsumque neutrum. THE. Optime. Ho. Age, quemadmodum circa species et literas diximus, similiter circa nomina rursus excogitemus. videtur enim quod nunc quæritur ita sese habere. THE. Quid potissimum de nominibus vis intelligi? Ho. Utrum omnia invicem congruant, aut nullum; aut quædam consonent, alia dissonent. THE. Patet quod quædam congruunt, quædam minime. Ho. Forte tale quiddam ais, quod quæ consequenter dicta aliquid exprimunt, invicem congruunt: quæ vero continuata nihil significant, non conveniunt. THE. Quomodo dicebas quidve? Ho. Quod intelligere te et fateri putavi. Duo namque sunt genera declarationum earum, quæ circa essentiam voce fiunt. THE. Quo pacto? [262] Ho. Unum quidem nominum genus, verborum alterum. THE. Dic utrumque. Ho. Declarationem, qua actiones significantur, verbum dicimus. THE. Sane. Ho. Signum autem vocis agentibus ipsis impositum, nomen. THE. Prorsus. Ho. Ex solis nominibus suppositis invicem oratio nunquam efficitur, neque rursus ex verbis absque nominibus subsequenter pronuntiatis. THE. Hæc non didici. Ho. Constat utique quod alio intendens animum paulo ante assentiebare. nam hoc ipsum est, quod dicere volebam, quod ista, si solum ita continuata pronuntiantur, orationem non faciunt. THE. Quomodo? Ho. Ut vadit, currit, dormit, et alia verba, quæcunque actiones

Digitized by Google

significant: quæ si quis subjungat omnia, nihilo magis orationem facit. Thr. Sic est. Ho. Rursusque cum dicitur, leo, cervus, equus, ceteraque nomina, quæ ipsos agentes significant, nondum hac continuatione oratio ulla conficitur. nam quæ proferuntur, haud ante actionem vel actionis impedimentum aut essentiam sive existentis rei seu non existentis ostendunt, quam verba nominibus misceantur. tunc vero primum conveniunt, statimque fit oratio, et prima horum complexio prima oratio est, etiamsi sit brevissima. Thr. Qui istuc inquis? Ho. Quando quis dicit, Homo discit, orationem hanc esse ais primam atque brevissimam? Thr. Equidem. Ho. Tunc sane declarat aliquid de his, quæ sunt vel fiunt aut fuerunt jam aut erunt. neque nominat tantum, sed et definit aliquid, verba nominibus copulans. Ideoque non modo nominare, verum etiam loqui ipsum dicimus, talique contextui nomen orationem enunciavimus. Thr. Recte. Ho. Enimvero quemadmodum res aliquæ consonant invicem, ut supra diximus, aliquæ dissonant; ita et signa vocum quædam nequaquam conveniunt, quædam conventu orationem conflant. Thr. Prorsus. Ho. Accipe et hoc breve. Thr. Quale istud? Ho. Orationem necesse est, quotiens fit, alicujus esse orationem: nullius enim esse orationem impossibile est. Thr. Ita videtur. Ho. Nonne et qualem quandam esse ipsam oportet? Thr. Oportet sane. Ho. Animadvertamus obsecro diligenter. Thr. Decet. Ho. Afferam orationem tibi, rem cum actione per nomen verbumque conjungens: cujus autem oratio sit tu dicas, Thr. Efficiam, [263] ut potero. Ho. Theætetus sedet, num oratio ista prolixa? Thr. Non, sed mediocris. Ho. Tuum est nunc dicere, de quo et cujus oratio est. Thr. De me videlicet atque mea. Ho. Ista autem? Thr. Quænam? Ho. Theætetus iste, quicum ego nunc disputo, volat. Thr. Nemo de hac quoque aliter diceret, nisi quod de me meaque est. Ho. Diximus, qualem quandam esse orationem quamlibet oportere. Thr. Diximus. Ho. Unam veram, alteram falsam. Vera oratio ea quæ sunt, ut sunt, de te prædicat. Thr. Certe. Ho. Falsa autem alia præter illa quæ sunt. Thr. Profecto. Ho. Quæ non sunt ergo, quasi sint asserit. Thr. Sic ferme. Ho. Re vera entia de te alia. multa siquidem entia circa unumquodque esse prædiximus, multa quoque non entia. Thr. Omnino. Ho. Primum quidem necesse est orationem illam, quam secundo loco de te protuli, secundum orationis definitionem, unam quandam ex brevissimis esse. Thr. Sic enim inter nos convenit. Ho. Deinde exprime, num alicujus sit, Thr. Alicujus. Ho. Si tua non est, alterius multo minus. Thr. Patet. Ho. Si nullius est, neque oratio prorsus est. nam ostensum est fieri non posse, ut quæ oratio est, nullius oratio sit. Thr. Scite. Ho. Ergo quotiens de te altera ita prædicantur, ac si eadem essent, et non entia perinde ac si entia; hujusmodi quædam ex verbis ac nominibus compositio procul dubio fit oratio falsa. Thr. Vera admodum loqueris. Ho. Quid autem de cogitatione, opinione et phantasia dicemus? nonne jam constat, quod hæc omnia genera tum vera tum falsa in animis nostris efficiuntur? Thr. Qua ratione? Ho. Sic intelliges facile, si prius quid unumquodque istorum sit, quove inter se singula differant, acceperis. Thr. Dato modo. Ho. Nonne cogitatio et oratio idem? nisi quod cogitatio dicitur illa ipsa sine strepitu vocis interior collocutio, qua sese animus noster alloquitur. Thr. Penitus. Ho. Sed per os effluxus prolationis ab illa oratio nuncupatur. Thr. Verum. Ho. Quin etiam in oratione hoc animadvertimus. Thr. Quid? Ho. Affirmationem, inquam, et negationem. Thr. Nempe. Ho. Quando igitur hoc in anima [264] per cogitationem silentio fit, potestne alio quam opinionis nomine nuncupari? Thr. Nequaquam. Ho. Quid vero? cum non per ipsam, sed per sensum rursus talis passio accidit, potestne aliter quam phantasia

Digitized by Google

cognominari? Theæ. Non aliter. Ho. Postquam oratio partim vera partim falsa esse apparuit, cogitatio vero interior ipsius animæ collocutio, opinio vero cogitationis conclusio, in qua opinionis sensusque commixtio reperitur: necessarium esse videtur, ut cogitationes opinionesque partim veræ partim falsæ sint; quippe cum sint orationi cognatæ. Theæ. Nihil repugnat. Ho. Advertisne, nos facilius, quam putabamus, orationem et cogitationem falsam invenisse? Metuebamus sane, ne opus irritum et inexplicabile ista quærentes aggrederemur. Theæ. Adverto. Ho. Ergo ne reliqua metuamus: verum postquam patefacta sunt ista, superiores illas secundum species divisiones iterum resumamus. Theæ. Quales? Ho. Imaginariam artem in duas divisimus, assimilatricem scilicet et phantasticam. Theæ. Sic egimus. Ho. Qua vero in arte duarum sophistam collocaremus, ambigebamus. Theæ. Profecto. Ho. Post hanc ambiguitatem repente profundior emersit caligo, cum sermo ille cunctis dubius inferretur, quod neque imago neque simulacrum neque phantasma omnino usquam est, quia nullo modo nusquam nunquam falsum exstat. Theæ. Vera narras. Ho. Nunc autem postquam apparuit quidem oratio, apparuit et opinio falsa, possibile est simulacra quædam rerum verarum æmula esse, et ab hac dispositione artem decipiendi manare. Theæ. Possibile certe. Ho. Quin etiam quod in his Sophista versatur, est concessum? Theæ. Est. Ho. Adnitamur iterum, bifariam genus propositum partientes, semper ad dexteram progredi divisi partem, et quæ cum Sophista quoquo modo communicant, circumspicere, ut communibus omnibus amputatis propriam ejus sedem atque effigiem et nos intueamur, et his, [265] qui ad hujusmodi disciplinæ progressum natura accedunt quam proxime, ostendamus. Theæ. Probe. Ho. Nonne ab initio artem efficiendi unam, acquirendi alteram partientes induximus? Theæ. Certe. Ho. Divisa postmodum acquirendi arte, sub ea Sophistam locavimus in venatione, certamine, mercatura et hujusmodi speciebus. Theæ. Sic prorsus est actum. Ho. Nunc vero postquam efficiendi quoque ars Sophistam complexa est, constat in primis artem hanc esse bifariam dividendam. imitatio quippe effectio quædam est, simulacrorum scilicet, non verarum, rerum, quemadmodum supra diximus. nonne? Theæ. Procul dubio. Ho. Effectricis igitur facultatis duæ primum sint partes. Theæ. Quæ? Ho. Divina et humana. Theæ. Nondum intelligo. Ho. Si modo quæ supra dicta sunt, recordamur, effectricem facultatem diximus vim quandam, quæ causa est, ut sint postea, quæ ante non fuerant. Theæ. Recordamur. Ho. Animalia cuncta mortalia plantasque, quæcunque terra ex seminibus radicibusve nascuntur, et quæcunque inanimata in terra consistunt, sive liquefieri possint sive non possint, nunquid alio quodam opifice fabricata quam Deo fieri post, cum prius non fuerint, prædicabimus? an multorum doctrinam sermonesque sectabimur? Theæ. Quorum? Ho. Dicentium ista natura ipsa gigni a causa quadam fortuita, sine mente hæc agente: vel cum ratione potius scientiaque divina ab ipso Deo tributa. Theæ. Ego forte propter ætatem tum hoc tum aliud opinor. in præsentia vero ad te respiciens, putansque existimare te per Deum hæc omnia gigni, idem ipse quoque existimo. Ho. Recte admodum, Theætete, Ac si te putaremus in posterum aliter opinaturum, nunc ratione, simul cum necessaria quadam persuasione, ut nobis crederes efficeremus. quoniam vero ejus ingenii esse te novi, ut etiam sine nostra demonstratione ultro ad illa sis profecturus, ad quæ nunc trahi te dicis, dimittam. nam supervacua disputatio talis esset. Ponam vero illa, quæ natura gigni dicuntur, arte divina fieri: quæ autem ex his ab hominibus componuntur, humana: atque hac ratione duo effectricis facultatis genera, humanum videlicet et divinum. Theæ. Præclare. Ho. Cum vero duæ sint artes, utramque bifariam divide. Theæ. Qui? Ho. Quemadmodum [266] ars effectrix universa per lati-

Digitized by Google

tudinem est divisa, ita nunc per longitudinem dividatur: atque ita quatuor illius partes efficiuntur, duæ quoad nos, humanæ, duæ iterum quoad deos, divinæ. THE. Profecto. Ho. Ex his quidem rursus aliter nunc divisis, utriusque partitionis pars una est effectrix, reliquæ autem imaginariæ nominantur, unde rursus efficiendi facultas in duo dividitur. THE. Dicas iterum quemadmodum utraque. Ho. Homines utique et animalia cetera, cave ex quibus ista gignuntur, ignis et aqua horumque germana, Dei opera esse cognoscimus. THE. Nempe. Ho. Post hæc horum simulacra sequuntur, dæmonica quadam machinatione producta. THE. Qualia? Ho. Phantasmata, quæ dormientibus occurrunt, quæve in die per se absque arte videntur, umbra quidem, cum tenebræ igni miscentur: duplex autem, quando lumen proprium et extraneum, circa perspicua leviaque in unum concurrens, sensumque contrarium solitæ visionis præbens, speciem efficit. Duo ergo sunt ista divinæ effectionis opera, res videlicet singulæ, singularumque rerum sequentia simulacra. Ars autem humana architectura domum fabricat, pictura domus imaginem, veluti quoddam humanum insomnium vigilantibus factum. THE. Nulli dubium. Ho. In aliis quoque similiter per duo partiendo, gemina opera effectricis nostræ actionis invenimus: ipsam quippe rem principali facultate, imaginem vero imaginaria facimus. THE. Plane jam intelligo, ac duas bifariam pono effectricis species facultatis. Primo siquidem in divinam partior et humanam: deinde in rerum ipsarum imaginumve effectionem. Ho. Reminiscamur obsecro duo dixisse nos imaginariæ facultatis genera esse oportere, assimilatorium scilicet et phantasticum, si modo aliquid re vera falsum, et falsum unum aliquid eorum, quæ sunt, sit futurum. THE. Dictum certe. Ho. Nonne constitit? ideoque nunc ipsi duas sine controversia species annumerabimus? THE. Sane. Ho. Phantasticum itaque rursus in duo [267] secandum. THE. Quemadmodum? Ho. Unum per instrumenta factum; alterum illius, qui sese instrumentum phantasma efficientis exhibet. THE. Qui istuc ais? Ho. Quotiens aliquis figuram tuam usurpans, corpus suum tuo reddit persimile, seu vocem voci, imitatio ista phantastice nuncupatur. THE. Utique. Ho. Imitatorium hoc appellantes ita distribuamus, et reliquum omne quasi jam quietis cupidi prætermittamus, concedamusque alteri, ut in unum colligat et conveniens ipsi tribuat cognomentum. THE. Distribuatur, ut vis, et hoc dimittatur. Ho. Hoc præterea duplum, o Theætete, existimandum. quam vero ob causam, animadverte. THE. Dic. Ho. Eorum, qui imitantur, aliqui cognoscentes quod imitantur, hoc agunt, aliqui autem ignorantes. an majorem aliquam discrepantiam divisionemque, quam per ignorantiam cognitionemve, ponemus? THE. Nullam. Ho. Nonne ea, quam modo dicebamus, cognoscentium imitatio erat? figuram quippe tuam imitatur ille, qui te cognoscit. THE. Ille ipse. Ho. Quid autem de justitiæ virtutisque universæ figura dicendum? an non multi dum ignorant, nosse autem hanc opinantur, quod illis videtur, id ipsum imitantes, tam verbis quam operibus annituntur, ut inesse ipsis appareat? THE. Atque admodum multi. Ho. Nunquid ita illos spes fallit, ut sicut justi non sunt, ita nec etiam videantur? an contra? THE. Contra. Ho. Imitatorem hunc diversum ab illo superiori dicemus, ignorantem a cognoscente? THE. Dicemus plane. Ho. Unde nomen utriusque proprium deducetur? an videlicet difficile est? quia causa quædam vetus divisionis generum in species superioribus nostris ignota fuerit, adeo ut nemo partiri contenderit, ideoque nominum inopes esse necesse est. Etsi dictu audacius videri potest, declarationis tamen discretionisque gratia imitationem illam opinionis comitem, opinabilem imitationem denominemus: illam vero quæ scientiæ, historicam quandam scientemque imitationem. THE. Esto. Ho. Harum quidem appellatio,

Digitized by Google

num altera dumtaxat utendum. nam sophistam etsi in genere imitantium, non tamen in genere scientium posuimus. THE. Sic est. Ho. Hunc itaque opiniosum imitatorem tanquam ferrum examinemus, sitne solidus simplexque, an contra. THE. Examinemus. Ho. Certe admodum multiplex. Nam sophista quidam fatuus et ineptus est, quæ [268] opinatur scire se putans. Alterius vero figura, propter variam in sermonibus revolutionem, certe suspicionem plurimam metumque reportat, ne forte ignoret illa, quæ coram aliis scire se simulat. THE. Omnino ex utrisque generibus est, ut narrasti. Ho. Nonne igitur unum quidem simplicem, alterum ironicum imitatorem ponemus? THE. Consentaneum est. Ho. Hujus iterum genus unum an duo dicemus? THE. Tu videris. Ho. Cogito equidem: ac duo cogitanti mihi se offerunt. Unus quidem publice prolixa oratione apud populum ironia utens: alter privatim minutis quibusdam captiunculis cogens eum, qui cum ipso disputat, sibimet in sermonibus contradicere. THE. Recte admodum loqueris. Ho. Quomodo superiorem illum denominabimus? civilemne an popularem? THE. Popularem. Ho. Alterum vero Sophon, id est sapientem, an Sophisticum? THE. Sapientem quidem vocare illum non licet, quandoquidem ignorantem ipsum posuimus: quoniam vero sapientem imitatur, cognomentum quoddam illius simile sortietur: ac demum intelligo, hunc ipsum prorsus et revera Sophistam appellari decere. Ho. An non, ut supra, ita nunc nomen ejus colligabimus, a fine iterum ad principium omnia complicantes? THE. Omnino. Ho. Is demum Sophistam vere definiet, qui generationem ejus et stirpem esse istam asseverabit: Sophista, inquam, est, qui in sermonibus contradicere sibi ipsi disputantem cogit: qui et ironici pars est, ab imitatore opinioso veniens, phantastici item generis, ab imaginaria facultate profluens, non divinæ, sed humanæ effectionis determinata progenies, ex eorumque numero, qui verbis, quasi quibusdam præstigiis, mirum in modum decipiunt auditores. THE. Ita prorsus dicendum.

Digitized by Google

POLITICUS.

SOCRATES, THEODORUS, HOSPES, SOCRATES MINOR.

[257] Ingentem tibi, o Theodore, gratiam debeo, quod Theætetum et hospitem hunc Eleatem notos mihi feceris. THEO. Triplam forte mihi debebis, o Socrates, postquam civilem tibi hominem et philosophum circumscripserint. So. An ita dicemus esse, Theodore, quod ex eo audiverimus, qui in geometria computationibusque præcellit? THEO. Quo pacto, o Socrates? So. Quod videlicet unumquemque hominum ejusdem esse pretii posuerimus, qui tamen honore longius quam secundum comparationem vestram inter se distant. THEO. Bene, o Socrates, atque juste per Deum nostrum Ammonem loqueris, ac memoriter admodum errorem in computando meum mihi nunc objecisti; quare defuncto te pro istis solvam. Te vero nunc, Hospes, ne pigeat nobis gratificari, immo post hunc seu civilem hominem prius, sive philosophum eligis, electum describe. HOSP. Sic agendum, ut jubes, Theodore, postquam semel aggressi sumus, neque prius quam ad calcem pervenerimus, desistendum. Verum quid erga Theætetum hunc agere decet? THEO. Qua de re? HOSP. Nunquid requiescere illum jam dimittemus, ejusque loco Socratem istum, consortem in exercitando suum, accipiemus? Quid consulis? THEO. Ut Socratem assumas. nam cum juvenes utrique sint, omnes labores facile præsertim per intermissionem ferent. So. Atqui utrique, Hospes, cognati quodammodo mihi esse videntur. Theætetum quidem vos figura vultus mihi consimilem judicatis. Socrati quoque istius [258] nomen cum idem sit ac meum, cognationem quandam nobis mutuam præbet. Decet autem nos natura quadam consimiles vicissim sermonibus agnoscere. Cum Theæteto quidem heri disputando conveni, et hodie hospiti huic respondentem audivi. cum Socrate vero neutrum adhuc actum est. Oportet autem et hunc examinare. mihi sane alias, tibi nunc respondeat. HOSP. Sic agemus, o Socrates. Audis Socratem? So. MIN. Audio. HOSP. Assentiris illi? So. MIN. Assentior. HOSP. Quantum igitur ad te attinet, nihil prohibet, quo minus edisseramus. multoque minus impedimento disputationi huic esse me decet. Quin immo post ipsum Sophistam necessarium esse videtur, ut civilem virum investigemus. Responde itaque, Utrum hunc in eorum, qui scientes dicuntur, numerum referre deceat? So. MIN. Decet. HOSP. Ergo scientias partiri debemus, quemadmodum in Sophista quærendo fecimus. So. MIN. Forte. HOSP. Non tamen eadem partiendi ratio. So. MIN. Non. HOSP. Sed alia. So. MIN. Alia. HOSP. Diverticulum itaque civilis scientiæ ubinam reperiemus? invenire quippe oportet, et aliis omnibus segregatis, ideam ei unam præfigere, aliisque aliam unam speciem: et

Digitized by Google

quasi scientiæ cunctæ duabus speciebus conclusæ sint, cogitare. So. MIN. Tua jam interest, Hospes, ita agere: mea vero nequaquam. HOSP. Immo etiam tua, quando declaratum id fuerit. So. MIN. Scite loqueris. HOSP. Arithmetica porro aliæque nonnullæ hujus persimiles ab actione liberæ sunt, cognitionem vero tantum exhibent. So. MIN. Ita certe dicendum. HOSP. Quæ vero ad architecturam et manuum ministerium pertinent, scientiam innatam actionibus sortiuntur; corporaque ab illis effecta, quæ ante non erant, perficiunt. So. MIN. Patet. HOSP. Ita cunctas scientias divide; agentem unam, alteram cognoscentem solummodo nomina. So. MIN. Sint ergo scientiæ species duæ, cum una sit scientia tota. HOSP. Utrum civilem, regem, dominum, patremfamilias, eundem esse volumus? an totidem artes in his, quot et nomina, ponimus? Immo hac sequere me. So. MIN. Qua? [259] HOSP. Hac, inquam. Si quis privatus publico medico sufficienter consulere potest, nonne necesse est ejusdem artis hunc nomine nuncupari, quo et ille, cui consulit? So. MIN. Certe. HOSP. Quid porro? Si quis privatus regem civitatis admonere et instruere potest, nonne scientiam illam habere dicetur, qua pollere qui regit, debebat? So. MIN. Dicetur. HOSP. Atqui veri regis scientia, regia disciplina est. So. MIN. Est. HOSP. Quisquis ea præditus est, seu publico fungatur munere sive privatus vivat, omnino secundum hanc peritiam regius merito nuncupabitur. So. MIN. Merito. HOSP. Enimvero paterfamilias et dominus idem. So. MIN. Idem sane. HOSP. Nunquid refert, amplane an angusta sit urbs ad imperium? So. MIN. Nihil. HOSP. Igitur una, quod paulo ante inquirebamus, horum omnium scientia est. Hanc seu regiam quis sive civilem seu familiarem nominet disciplinam, nihil interesse putemus. So. Nihil. HOSP. Hoc utique nemini dubium, quia omnis rex parum quid manibus ac reliquis membris ad regni salutem possit, intelligentia vero et animi robore plurimum. So. Constat. HOSP. Vis ergo regem dicamus speculatrici scientiæ propinquiorem, quam activæ aut manuum ministerio? So. Volo equidem. HOSP. Civilem ergo scientiam et civilem hominem, regiam atque regium, ut unum idemque singula, componemus. So. Plane. HOSP. Atqui ordine ad sequentia pergemus, maxime si speculatricem scientiam distinguemus. So. Prorsus. HOSP. Attende, obsecro, num refugium aliquod in hac prospiciamus. So. Dicas, quale? HOSP. Tale, inquam. Exstat aliqua computandi facultas. So. Exstat. HOSP. Ea, ut arbitror, ex illarum numero est, quæ in speculando versantur. So. Ex illarum numero certe. HOSP. Cognoscet profecto computandi facultas differentiam numerorum. Num aliud huic opus attribuimus, quam discernere judicareque cognita? So. Quid? HOSP. Etenim architectus nullus manuum ministerio utitur, sed utentibus præsidet. So. Ita est. HOSP. Dum judicium adhibet, non ministerium. So. Id quoque verum. HOSP. Jure igitur speculandi scientiæ particeps [260] est dicendus. So. Et maxime quidem. HOSP. Hoc, ut arbitror, ad judicem hunc pertinet, ut non deserat opificium, quemadmodum computator, sed incumbat assidue, operariisque singulis operam propriam mandet et ordinet, quousque, quod est imperatum, absolverint. So. Probe. HOSP. Nonne speculatrices omnes istæ sunt, et quotcunque scientiam computandi sequuntur? judicio autem et imperio genera hæc inter se duo differunt? So. Apparent. HOSP. Quocirca si universam contemplationem in duo distribuamus, partemque unam judicio, imperio alteram assignemus, recte forsitan distribuisse putabimus. So. Recte nimirum, ut mea fert opinio. HOSP. Qui communiter tractant aliquid, satisfactum sibi invicem arbitrantur, si quando consenserint. So. Quidni? HOSP. Quousque igitur in hoc concordes sumus, aliorum opiniones prætermittendæ. So. Penitus. HOSP. Dic age, qua in arte istarum regium hominem ponere decet?

Digitized by Google

nunquid in judiciaria, tanquam spectatorem quendam? an in imperatoria potius, quasi dominum? So. In hac ipsa potius. Hosp. Videndum praeterea, si quam imperatoria distinctionem admittit. mihique ita videtur: quo differt caupo ab illo, qui proprium opus vendit, eo rex a praecone. So. Quemadmodum? Hosp. Caupones aliorum opera prius vendita suscipientes, ipsi rursus vendunt. So. Verum. Hosp. Haud secus praeco sententiam alterius mandatam sibi, aliis ipse mandat. So. Sic est. Hosp. An miscebimus facultatem regiam interpretatoriae, praeceptoriae, vaticinio atque praeconio aliisque permultis ejusdem generis artibus, quae cunctis imperant? an vis potius, secundum superiorem comparationem nomen quoque per comparationem aliquam machinemur, quandoquidem genus eorum, qui sua ipsi praecipiunt, ferme nomine caret: atque ita haec partiamur, ut regium genus in eorum numero, qui sua mandant, ponamus, omissis aliis omnibus, quibus alius quivis nomina, ut lubet, imponat? principia quippe gratia, non subditi, sermo nobis [261] est institutus. So. Nempe. Hosp. Postquam hoc satis ab illis est diversitate distinctum ad proprietatem, rursus idem est dividendum, si quam modo partitionem cedentem nobis in ipso comperimus. So. Valde. Hosp. Atqui inveniri posse videtur. me igitur sequere dividendo. So. Quo sequar? Hosp. Quicunque praesident imperando, generationis cujusdam gratia imperant. So. Procul dubio. Hosp. Etenim genita omnia bifariam partiri haud multum difficile. So. Qua ratione? Hosp. Partim animata sunt, partim inanimata. So. Constat. Hosp. Si in membra haec secare speculatricis facultatis partem imperatoriam volumus, secemus. So. In quae? Hosp. Pars ejus in generatione inanimatorum ponatur, pars in generatione animatorum: atque ita totum in duo secabitur. So. Revera. Hosp. Partem unam mittamus, alteram resumentes: eamque universam in duo iterum dividamus. So. Utram illarum resumendam censes? Hosp. Eam, quae circa animalia imperat, neque enim regia majestas non animatis, instar architecturae, praesidet; sed generosius animantibus: ejusque potestas circa ista versatur. So. Optime. Hosp. Circa generationem nutritionemque animalium cura duplex invenitur: animalis cujusdam una: gregis totius altera. So. Recte. Hosp. Civilis autem non propriam curam aggreditur, quemadmodum arator, qui bovem agitat, vel minister, qui sternit equum: sed illius vicem gerit, qui equos aut boves pascit. So. Verum esse videtur, quod nunc est dictum. Hosp. Utrum ex animalium nutritione illam, quae gregatim ea nutrit, gregis nutritionem an communem nutritionem vocamus? So. Utrumque in loquendo contingit. Hosp. Egregie, Socrates, respondisti: ac si verborum curiositatem vitabis, evades in senectute admodum sapientior. itaque in praesentia, ut jubes, agendum. Sed nunquid vides, quo pacto quis gregis nutritionem geminam ostendens efficiat, ut quod in duplis ad id, [262] quod nunc propositum est, investigabitur, in dimidiis iterum perquiratur? So. Annitar equidem: et jam mihi videtur, unam communem hominum, alteram brutorum esse custodiam. Hosp. Prompte omnino ac fortiter discrevisti. cavendum pro viribus tamen, ne posthac nobis id accidat. So. Quid cavendum monea? Hosp. Ne exiguam unam particulam adversus amplas et plurimas secernamus, neque illam sine specie capiamus: sed pars illa simul speciem habeat. pulcherrimum namque, quod quaeritur ab aliis statim discernere, si modo recte id fiat: quemadmodum ipse paulo ante de dividendo judicans, attamen dividere properasti, sermonem attendens ad homines declinantem. ceterum haud satis, amice, tutum est, ad extremum quiddam et tenue protinus adventare. praestat autem per media progredi partiendo: sic enim facilius meliusque ideas invenimus. hoc autem ad illa, quae perquiruntur, totum refert. So. Qua ratione id ais, Hospes? Hosp. Conandum ob

Digitized by Google

naturæ tuæ benevolentiam clarius explicare. In præsentia quidem per hæc adeo, quod est propositum, declarare, ut nihil desit, impossibile: ulterius autem aliquantulum declarandi gratia producendum videtur. So. Quid tandem in nostra partitione culpas? Hosp. Tale quiddam: si quis humanum genus in duo secare contendens, perinde partiatur ac multi eorum, qui hic habitant, partiuntur. hi sane Græcorum genus tanquam unum a ceteris omnibus separant. cunctos enim alios homines innumerabiles, et nulla inter se vitæ sermonisque communione devinctos, barbarico nomine signant, et ob hanc unam appellationem genus quoque unum universum hoc arbitrantur. Simile esset præterea, si quis numerum in duo dividere volens, decem millia seorsum ab aliis caperet ut speciem unam: reliquos insuper uno quodam imposito illis nomine ut unum genus poneret. Rectius autem et per species magis ac per duo membra divisio fieret, si quis numerum quidem per par et impar, hominumve genus per marem feminamque divideret: Lydos autem et Phrygas aut alios quosdam tunc a cunctis aliis segregaret, cum et spes et facultas sibi deesset generis inveniendi simul ac partis utrorumque inter se [263] divisorum. So. Scite loqueris, Hospes. at illud qua ratione planius intelligi posset, ostende, non idem, sed aliud esse partem atque genus. Hosp. O virorum optime Socrates, haud leve quid postulas. longius modo, quam decet, ab instituto digressi sumus. tu vero ulterius etiam pervagari jubes. nunc porro, ut decens est, illuc unde discessit, reflectatur oratio. ad hæc alias otium nacti, quasi per quædam vestigia divertemus. verumtamen diligenter ab hoc cavebis, o Socrates, ne quando aperte distinctum hoc audisse ex me videaris. So. Quid istud? Hosp. Inter se partem speciemque differre. So. Curnam? Hosp. Quicquid est alicujus species, ejusdem pars quoque sit necesse est, cujus species esse dicitur. partem vero esse speciem vel speciei partem, non est necessarium. hoc modo me potius quam illo dicere semper, o Socrates, asseré. So. Fiet, ut jubes. Hosp. Post hæc autem mihi dicas. So. Quid? Hosp. Hoc, inquam, unde huc digressi sumus. reor equidem, eam ob causam hucusque nos aberrasse, quod tu interrogatus, quæ in membra gregis nutritio divideretur, subito nimium respondisti, duo quædam esse animantium genera, alterum quidem hominum, alterum vero brutorum simul omnium unum. So. Verum est. Hosp. Tunc sane mihi visus es parte quadam ablata, residuum omne genus unum animalium ob id putavisse ponendum, quod uno quodam communi nomine appellare poteras omnia, dum bruta vocabas. So. Sic est actum. Hosp. Hoc, o fortissime Socrates, perinde videtur esse, ac si quid aliud animal, ut grus aut aliud tale, esset prudentiæ particeps, similiterque ut tu denominaret, et grues genus unum poneret, cetera vero cuncta simul cum hominibus uno quodam altero genere complecteretur, suum genus rationale vocans, reliqua vero omnia bruta. conemur itaque nos ab omnibus hujuscemodi erroribus declinare. So. Qua via? Hosp. Ne animalium genus omnium partiamur, ut minus in his delinquamus. Neque enim oportet. Sic porro supra deliquimus. So. Qui? Hosp. Pars illa contemplatricis scientiæ, quæ ad imperandum spectat, ejus generis esse constitit, quod animalia curat, animalia videlicet gregabilia. Nonne ita? So. Ita certe. Hosp. Quare tunc quoque omne animalium genus [264] in ferum et mansuetum est distinctum. quæ enim sic natura instituta sunt, ut mansuescere possint, domestica appellata sunt: cetera vero silvestria. So. Egregie. Hosp. Scientia vero illa, quam quærimus, in domesticis est et erat, et circa genus animalium sociabile quærenda videtur. So. Sane. Hosp. Ergo ne ad cuncta simul respiciendo, uti tunc, dividamus: neque in partiendo nimium properemus, ut repente civilem scientiam comprehendamus. Nam nimia festinatio fecit, ut illud, quod proverbio fer-

Digitized by Google

tur, nunc nobis contingeret. So. Quidnam? Hosp. Ut cum nimis in divisione properaverimus, tardius absolvamus. So. Et merito quidem, Hospes, id egit. Hosp. De his quidem ita, rursus autem ab initio communem nutritionem animalium dividere conemur. Forte namque quod tu vehementer affectas, sermo ipse gradatim ad finem suum deductus clarius demonstrabit. responde ad hoc. So. Ad quid respondeam? Hosp. Hoc forsitan e multis audisti. neque enim arbitror, interfuisse te his, qui circa Nilum pisces ipsos mansuefaciunt, aut circa regios lacus. Sed quod circa fontes fit, fortassis ipse vidisti. So. Et hæc ipse vidi, et illa ex multis audivi. Hosp. Quin etiam quod quidam greges anserum et gruum pascant, etsi nunquam in agris Thessalicis es versatus, audisti tamen et credis. So. Procul dubio. Hosp. Hæc abs te ideo sciscitatus sum, quia animalium communis custodia, partim aquaticorum, partim terrenorum esse videtur. So. Est profecto. Hosp. Consentis, gregis custodiam sic esse bifariam distinguendam, ut partim humida, partim sicca animalia nutriat? So. Consentio equidem. Hosp. Utram vero istarum regia respiciat diligentia, nullus quæret. nam nemini dubium. So. Nemini. Hosp. Unusquisque enim præcipue ariderum nutritionem distinguet. So. Quæ in membra? Hosp. In volantium gradientiumve custodiam. So. Sic veritas habet. Hosp. Quod civilis facultas circa illa, quæ gradiuntur, duntaxat versetur, vel stolidissimus quisque, ut ita dixerim, animadvertet. So. Absque controversia. Hosp. Gressibilis præterea generis alimoniam, paris instar numeri, in duo quædam partiri debemus. So. Patet. Hosp. Illuc porro, quo sermo noster tendit, [265] gemini calles ducere nos posse videntur. alter quidem brevi quodam tramite, dum angustam particulam ab ampla secernit: alter vero longiori ambitu, dum præceptum illud servat antea dictum, ut per media divisio fiat. licet, utrum volumus, ingredi. So. An per utrunque proficisci non licet? Hosp. Non simul, o mirifice adolescens; diversis tamen temporibus licet. So. Utrumque ergo, alterum videlicet post alterum, eligo. Hosp. Facile id quidem, cum exiguum sit quod restat. Sane in principio mediove itinere durum hoc nobis præceptum esset. nunc autem, postquam ita videtur, longiorem prius viam ingrediamur. nam cum recentes simus, iter longum levius peragemus. Distinctionem itaque hanc vide. So. Dic modo. Hosp. Quæ gradiuntur et mansuescunt, et congregantur, in partes duas secundum naturam dividuntur. So. Quas in partes? Hosp. Partim cornibus munita sunt, partim carent. So. Apparet. Hosp. Curam gradientium dividens, utriusque partis conditionem sermone describe. nam si nominare ipsas volueris, rem nimis circumplicabis. So. Quemadmodum ergo dicendum censes? Hosp. Ita. Cum gradientium cura bifariam distincta sit, pars una in cornifera gregis parte locata est, altera in mutilata parte relicta. So. Sic penitus de his dictum est. nam ad sufficientiam ostensa sunt. Hosp. Constat utique, regem gregis cujusdam cornibus mutilati pastorem esse. So. Constat sane. Hosp. Hanc itaque discerpentes, quod movetur, exhibere illi conemur. So. Omnino. Hosp. Utrum placet, ipsam in partem junctis unguibus et partem unguibus scissis dividere? an potius in generationem propriam et communem? Intelligis? So. Quid? Hosp. Quod equorum et asinorum genus inter se promiscue generat. So. Nempe. Hosp. Reliqua vero domestica et socialis generis animalia sine aliena commixtione propria tantum ex specie procreant. So. Perspicuum cuique. Hosp. Civilis itaque disciplina numquid promiscuam generationis animalia, an simplicis, curat? So. Immixtæ ac simplicis procul dubio. Hosp. Hanc utique animantium naturam, quemadmodum in superioribus hucusque servavimus, gemina per membra secare debemus. So. Decet. [266] Hosp. Enimvero hoc animantes ferme omnes domesticas conciliabi-

Digitized by Google

listque naturæ, quas cicures nominant, generibus duobus exceptis, jam discessimus. genus porro nostrum inter gregabilia pecora numerare non decet. So. Non recte, sed quo pacto? Hosp. Hoc, inquam, in duo distinguendum, quemadmodum te ac Theætetum discernere decet, quandoquidem in geometria versati estis: diametro scilicet et diametri rursus diametro. So. Qui istuc ais? Hosp. Nunquid aliter generis humani conditio ad progressum natura instituta est, quam diameter potentia bipes? So. Haud aliter. Hosp. Reliqui sane conditio generis rursus secundum potentiam nostræ potentiæ est diameter, quippe cum bis duobus sit pedibus constituta. So. Nihil obstat, quo minus sit hujusmodi. ac pene jam, quod ostendere vis, intelligo. Hosp. Cernimus, quid insuper risu dignum, o Socrates, nobis in superiori divisione contigerit? So. Quidnam? Hosp. Genus hominum una commixtum, concurrensque cum genere generosissimo omnium atque facillimo. So. Cerno, et quidem clare, quod sequitur. Hosp. An non conveniens est, quæ tardissima sunt, novissima pervenire? So. Consentaneum. Hosp. Istud autem nequaquam advertimus, quod adhuc ridiculosior res appareat, una cum grege discurrens, cursumque cum illo peragens, qui optime hominum omnium est ad vitæ facilitatem exercitatus? So. Omnino quidem. Hosp. Nunc illud liquido patet, o Socrates, quod in Sophistæ inquisitione est dictum. So. Quid istud? Hosp. Quod in hujuscemodi processu sermonum de puriori magis quam impuriori curavit nihil, brevioremque ante longiorem minime sprevit: semper autem per illum, quod est verissimum, transigit. So. Videtur. Hosp. Post hoc ne me prævenias, de via ad regis terminum breviori percontans: ego prior ingredior. So. Omnino. Hosp. Dico igitur, oportunius supra gressibile animal in bipes et quadrupes distribuere: cum vero homo tunc cum solo volatili restaret comprehensus, rursus genus ipsum bipes in nudum animal pennigerumve dividere: hac deinde distinctione subjuncta, artique hominum nutrice et conservatrice monstrata, civilem jam et regium virum ipsi instar aurigæ præficere, eique civitatis habenas gubernaculaque tribuere, quasi scientia hæc illius sit propria. [267] So. Optime quidem, et tanquam debitum sermonem mihi reddidisti, digressione ipsa fœneris loco proposita ac penitus adimpleta. Hosp. Age itaque, a principio ad finem sermonem de civilis artis nomine colligamus. So. Prorsus. Hosp. Scientiæ illius, quæ in contemplando versatur, pars una erat imperandi peritia: hujus pars facultas illa, quæ per se suaque sponte imperat: cujus membrum haud sane exiguum animaliam enutritio: hujus item, gregis alimonia: quam animalium gradientium alimonia dividit: ab ea species illa selecta est, quæ animalia cornibus carentia pascit. Ejus præterea partem, nequaquam minorem triplicem, complicare necesse est, si quis uno nomine comprehendere eam velit, scientiam appellans generationis circa mixtam pastoris custodiam. Cujus portio, in grege bipedi homines dumtaxat pascens, illa ipsa quam quærimus, imperatoria facultas est, quam regiam et civilem pariter nominamus. So. Prorsus. Hosp. Nunquid re vera, ut ais, o Socrates, a nobis actum est? So. Qua de re? Hosp. Utrum quod proposuimus, sufficienter sit absolutum? an in quæstione hoc maxime prætermissum, quod descripsimus quodammodo, nondum tamen penitus definivimus? So. Quamobrem istud ais? Hosp. Conabor, quod sentio, planius explicare. So. Dic jam. Hosp. Cum multas pastorum facultates esse constiterit, una quædam illarum uniusque custodia gregis civilis ipsa disciplina visa est. So. Profecto. Hosp. Hanc neque equorum neque aliorum etiam brutorum, sed hominum tantum communem esse nutritionem ostendimus. So. Id quoque. Hosp. Pastorum itaque omnium et regum differentiam propriam videamus. So. Quam? Hosp. Si quis forte ex aliis alterius artis nomen habens, communem gregis nutritio-

Digitized by Google

nem sibi vendicet, quid dicendum? So. Qua ratione inquis? Hosp. Perinde, inquam, ac si mercatores, agricultores et coqui, gymnastici insuper ac medici adversus pastores, quos politicos appellavimus, surgerent, [268] assererentque se esse pastores hominum: quippe cum ipsi victum non plebi solum, verum etiam regibus magistratibusque suppeditent. So. An non vera dicerent? Hosp. Forte. et hoc utique consideremus. illud autem scimus, quod cum bubulco de his nemo certaret, sed ipse sine controversia armenti pastor est, qui boves curat, ipse medicus, ipse conjugiorum auctor partusque cujuslibet adjutor et educator. Præterea nemo melius jocis et musica armentum, quantum natura horum capax est, oblectat, trahit et mulcet, organis atque ore gregis sui musicam tractans. Eademque est de ceteris pastoribus ratio. nonne? So. Maxime. Hosp. Quo pacto igitur sermo ille de rege rectus integerque videtur, quando pastorem illum et nutritorem humani gregis ponimus, solum ipsum ab aliis secernentes, cum alii multi de hoc ipso contendant? So. Nullo modo. Hosp. An non merito paulo ante dubitavimus, quando suspicati sumus, ne figuram quandam regis dumtaxat induceremus, nondum tamen civilem ipsum perfecte definiremus, nisi prius illos, qui cum eo sese implicant et pastores esse ut ille profitentur, comprehendamus, et ab illis regem secernentes, purum illum penitus ostendamus. So. Recte nimium. Hosp. Hoc igitur nobis, o Socrates, agendum est, nisi velimus in fine sermonis infamiam reportare. So. Ab hoc prorsus est declinandum. Hosp. Rursus ab alio principio, alia quadam via incedendum est. So. Qua? Hosp. Jocum quendam interserere his oportet, magnaque parte prolixæ fabulæ uti, et quod restat, ut supra fecimus, exsequi, partem semper partis subdividendo, atque ita ad summum, quod est quæsitum, deducere. So. Oportet sane. Hosp. Sed jam fabulæ meæ, ut pueri solent, arrectis auribus adsta, neque enim a puerilibus annis procul abes. So. Dic, amabo. Hosp. Erat olim et adhuc erit multa vetustarum rerum memoria, et inter cetera memorabile monstrum, quod circa Atrei Thyestisque litem refertur. Audisti namque ac meministi, quod tunc accidisse tradunt. So. Nunquid aureæ agnæ ostentum dicis? [269] Hosp. Nequaquam: sed de ortus solis occasusque et aliarum stellarum mutatione: unde enim nunc exoriuntur, tunc occidebant, et contra exoriebantur. Tunc vero Deus testimonium præbens Atreo, in hanc cœlum figuram mutavit. So. Fertur et hoc. Hosp. Quin etiam e multis Saturni regnum audivimus. So. Ex plurimis certe. Hosp. Quid vero? nonne priscos illos ex terra procreari, non ex se invicem nasci? So. Hoc quoque in antiquis rebus commemoratur. Hosp. Cuncta hæc ab eadem passione proficiscuntur, et alia præter hæc permulta, his longe mirabiliora: verum longitudine temporis partim memoria deleta sunt, partim absque ordinis serie sparsim circumferuntur. Passionem vero illam, quæ horum omnium causa est, nemo utique dixit. nunc autem dicenda est: nam ad regis ostensionem confert. So. Præclare loqueris. referas ergo, neque aliquid prætermittas. Hosp. Audi jam. Universum hoc alias Deus ipse regit, agitat atque rotat: alias vero dimittit, cum mundi circuitus competentia sibi curricula temporis expleverunt. Tunc sane mundus ultro ac libero motu contra reflectitur: nam et vivit, et sapientiam ab eo, qui ab initio construxit illum, est sortitus. Circuitus autem necessario ipsi hanc ob causam innatus est. So. Quam ob causam inquis? Hosp. Idem esse semper et secundum eadem et eodem se modo habere solis omnium divinissimis convenit: corporis autem natura hujus ordinis non est compos. Ceterum id omne, quod cœlum mundumque vocavimus, multa quidem et felicia munera a genitore suscepit, corporis tamen particeps; quocirca expers omnino mutationis cujuslibet esse non potuit: attamen, quoad fieri potest, in eodem et secundum eadem et uno motu

Digitized by Google

moretur. quapropter circuitum est adeptum, in quo minima agitationis suæ fit permutatio. Se ipsum autem convertere semper forme nihil potest, prætes id, quod rursus agitatis omnibus penetat. Morere autem id alias aliter rursusque contrario modo nefas est. Ex his omnibus dicendum est, mundum neque se ipsum convertere semper, neque totum semper gemino contrarioque circuitu ab ipso Deo reflecti: neque rursus duos deos [270] contrariis sententiis ipsum vertere. Solum vero, quod nuper diximus, restat, alias ab alia quadam divina, vi duci, vitamque rursus extrinsecus venientem et immortalitatem ab opifice suo præparatam suscipere: alias autem, quando dimissus recurrit, per se ipsum currere: tali pro tempore missum adeo ut retrogradas multa revolutionum millia peragat, quia et maximus est et undique penitus æquilibris et minimo quodam cardine revolutus. So. Verisimilia valde ista videntur. Hosp. Ex his, quæ dicta sunt, ratiocinantes passionem illam consideremus, quam omnium esse diximus mirabilium causam. Est autem hujusmodi quendam. So. Qualis? Hosp. Quod totius mundi machina tum ita ut nunc, tum contra, revolvitur. So. Quo pacto? Hosp. Mutationem hanc existimare oportet omnium cœlestium alternationum maximam extremamque esse. So. Videtur. Hosp. Quamobrem consentaneum est, tunc maximas circa nos intra mundum virentes mutationes fieri. So. Verisimile id quoque. Hosp. Neque vero nos latet, quam ægre et difficile toleret animantium natura magnas, multas et omnigenas mutationes. So. Constat. Hosp. Ergo animalia multa tunc interirent, hominesque superessent perpauci. Hi vero multis noviaque et mirabilibus passionibus tunc afficiuntur. Id autem contingit omnium maximum, sequiturque continuo revolutionem illam, qua cœlum contra quam nunc reflectitur. So. Quidnam? Hosp. Principio in quacunque state quodvis animal est constitutum, in eadem pergredi cœpit, neque fit senius ultra mortalium aliquod: sed in figurem transit contrariam, junioremque et molliorem habitum indeit; seniorumque cani capilli nigrescunt; et quibus genæ barbatæ prius erant, jam barba deposita in priorem speciem restituuntur. Pubescentium quoque corpora pilis positis mollescunt, senimque singulis diebus et noctibus decrescentia in pueili naturam redeunt: atque in his tam animæ quam corpora habitum subeunt puerorum: demum tabescentia deficiunt et intereunt. Cadavera porteres illorum, qui cœlestis mutatione vertiginis subito corruerunt, idem patiuntur, et simili retrogressione clam ac [271] brevi putrescunt. So. Quomtunc erat, Hospes, animalium generatio? quove modo ex se invicem generabantur? Hosp. Constat, o Socrates, illis temporibus invicem genus suum non propagasse. Quod autem dicitur quandoque genus ortum ex terra fuisse, hoc ea tempestate fuit rursus ex terra conversum. Tradiderant hæc nobis primi illi progenitores, qui statim post primam revolutionem orti sunt. hi nunc horum testes sermonum præconesque fuerant, qui minime vulgo creduntur, cum tamen credendi sint. Quod vero hinc sequitur, animadvertendum arbitror. huic enim quod dicitur, senes in naturam regredi puerorum, consonum est, ex mortuis, terraque reconditis, iterum ibi restitutos reviviscentesque sequi vertiginem, generatione in contrarium revoluta: ac tertigenas hac ratione necessario renascentes, sic nomine et sermone vocari, quotcunque Deus ipsorum in aliam sortem non transtulit vel exornavit. So. Hoc profecto e superioribus sequitur. Verum vita, quam sub Saturni regno esse dicis, utrum sub illis cœli conversionibus, an sub his exstitit? Mutationem quippe solis reliquarumque stellarum in utrisque volutionibus contingere certum est. Hosp. Optime sermonem secutus es. Quod autem quærebas, sponte omnia hominibus nasci, præsenti conversioni minime competit, sed superiori potius competebat. Tunc sane totius circuitus princeps curatorque primum Deus exstitit: ut nunc per varias mundi plagas.

Digitized by Google

singulæ ipsius partes a diis principibus distributæ sunt. Animalium quoque genera gregatim distincta dæmones tanquam divini pastores sortiti sunt: quorum quisque sufficiens erat ad omnia præbenda singulis, quibus præerat ipse. Quamobrem nihil erat agreste, omnisque rapacitas et voragó procul aberat: aberat bellum penitus atque seditio: cetera insuper, quæ conditionem illorum temporum sequebantur, innumerabilia sunt. Quod vero de victus facilitate et libertate vitæ fertur, ob id est dictum, quod Deus eos pascebat, ipse illorum pastor et custos: quemadmodum homines nunc, quorum natura divinior, brutorum pastores sunt. Deo itaque custodiente civitatum constitutiones nullæ erant, neque marium [272] feminarumque ad filios procreandos conjugia. Omnes enim ex terra reviviscebant, rerum præteritarum immemores. aberant autem ejusmodi omnia. fructus vero illis et poma et fruges abunde arbores et fertile solum sponte sua absque agriculturæ opera suggerebant. Nudi quin etiam et expediti et errabundi ut plurimum pascebantur. Nam temperies illis innoxia, mollia quoque passim parata subtilia, quæ plurimis ex terra herbis repullulantibus. Vitam, o Socrates, hominum sub Saturno viventium audis: hanc vero, quam Jovis esse tradunt, præsens ipse novisti. utra vero sit felicior, judicarene vis ac potes? So. Minime omnium. Hosp. Visne igitur, ego quodammodo tibi dijudicem? So. Et maxime quidem. Hosp. Si Saturni quondam alumni in tanto otio et libertate vitæ, potentiaque non solum inter se, sed etiam cum bestiis colloquendi, hisce omnibus ad philosophiam utebantur, inter se et cum bestiis viventes, sciscitanteque ab omni natura, quæcunque propriam sentiendi vim aliquam differentem ab aliis habet ad prudentiam acquirendam: facile judicari potest, illos longo quodam intervallo nos ad beate vivendum exsuperasse. Sin autem epulis affatim et poculis saturi inter se, et cum bestiis tales fabulas conferebant, quales de illis nunc referuntur, hoc quoque ita, ut mea fert opinio, facile admodum judicaretur. Sed hæc omittamus, donec aliquis horum idoneus appareat nuntius, qui nobis referat, utrum homines illi scientiis et confabulationibus operam dederint. Cujus autem gratia fabulam hanc ingressi sumus, id jam dicendum, ut sequentia cum antecedentibus conjungamus. Cum omnium illorum tempus esset expletum, mutationemque circuitus fore jam oporteret, terreno genere omni consumpto; quippe cum qualibet anima generationes omnes implesset, quotque mandata erant cuique, totidem unaquæque in terram semina projecisset: tunc universi gubernator Deus, quasi gubernaculorum diuturnis habenis, in sui ipsius rediit circumspectum. Mundum vero deinceps fatum revolvit iterum et innata cupiditas. Omnes quin etiam dii, summi dæmonis collegæ, singulis præpositi regionibus, quod contigerat advertentes, mundi partes destituerunt. [273] Mundus deinde contraria principii finisque sese agitatione reflectens, terræ motu ingenti interiora concutiens, animalia rursus cujusque generis ut plurimum perdidit. At vero certis temporum exactis curriculis, concussio perturbatioque cessavit, et mandus a turbulento fragore desistens solita sui ipsius progressione cucurrit, et in ordine debito constitutus auctoritatem administrationemque et sui ipsius et eorum, quæ in se sunt, suscepit, auctoris patrisque sui gubernationem pro viribus memoriter imitatus. Principio igitur perfectius executus est: sed ab ea demum imitatione longius degeneravit. Cujus quidem defectus causa est natura corporea, priscæ naturæ fomes. Nam quondam valde deformo erat et ordinis expers, antequam præsenti ornatu decoraretur. Ab eo nane, qui ipsum construxit, bona omnia possidet: a priori autem deformitate incommoda et injusta omnia, quæ intra cœlum nascuntur, et mundus ipse sustinet et animantibus inserit. Dum igitur animalia sua una cum gubernatore nutrit, mala quidem parva, bona vero ingentia parit: cum autem sejungitur, in

Digitized by Google

proximo discessus tempore perpulchre omnia ducit: verum procedente tempore oblivione jam occupatur: quapropter prioris deformitatis passio vehementius dominatur. Demum longo exacto tempore defloreseit, ac bona exigua procreans, malorum vero naturam his plurimam miscens, periculum subit, ne et ipse et quæ in se sunt omnia, dissolvantur. Quamobrem Deus ille quondam hujus ordinis auctor, cernens mundum tanto in discrimine positum, miseretur, ac ne tumultu adeo turbulento fluctuet dissolvaturque et in locum dissimilitudinis infinitum mergatur, iterum adstat et præsidet, resumptisque protinus gubernaculis ægrotantia omnia dissolutaque antiqua sui agitatione convertit, ornat et corrigit, mortisque servat illum et senectutis ignarum. Hic ergo cunctorum dictus est finis. Sufficit autem hoc ad regis ipsius ostensionem, si modo supra dicta teneantur. Converso iterum mundo ad præsentis genituræ progressum, ætas rursus ultra progredi destitit, et nova his contraria, quæ erant tunc, reddidit. Animalia porro morti ob ipsam tenuitatem proxima, aucta sunt: quæ vero nuper ex terra cana surrexerant, iterum in terram morientia reciderunt. Cetera item omnia transmutata sunt, mundi totius [274] sequentia passionem. Generationis quippe et conceptionis et alimenti imitatio cuncta necessario secuta est. Neque enim dabatur amplius, in terra per causas alias componentes animal fieri. nam quemadmodum institutum fuit, ut mundus motionis suæ dominus esset: ita simili quadam ductione factum, ut partes mundi per se ipsas, quoad fieri potest, generent et nascantur et nutriant. Jam vero ad id pervenimus, ad quod nostra omnis respexit oratio. De reliquis enim animantibus multa et magna referri possent, ex quibus quæque et quas ob causas transmutata fuerunt. Quæ vero circa homines contigerunt, breviora sunt et magis ad rem attinent. Cum homines pastoris præsidisque ipsorum dæmonis essent providentia destituti, et animalia multa, quæ suapte natura immania fuerant, efferata iterum essent, inermes ipsi imbecillesque et custodia derelicti ab illis passim dilaniabantur. Accedebat inertia et imperitia superiorum temporum, laborum enim curarumque nescii vixerant. Tellus haud ultra victum sponte suppeditabat: comparandi vero industria nondum inventa, quia nulla necessitas illos ante coëgerat. His de causis in summum discrimen atque penuriam illorum redactæ res erant. Quapropter munera illa, quæ olim a diis tributa hominibus memorantur, necessaria quadam disciplina eruditioneque tributa fuerunt. A Prometheo quidem ignis: artes autem a Vulcano illiusque consorte: semina quoque et terræ cultus ab aliis: omnia summatim vitæ hominum adminicula tunc deorum opera sunt comparata, cum homines deorum providentia desernisset, oporteretque ipsosmet propagationis et alimoniæ suæ curam habere, mundi totius instar; quem imitantes omne per tempus sequentesque, alias aliter nascimur atque degimus. Sed fabula jam finem habeat. ea vero conducet nobis ad dignoscendum, quantum supra in regis civilisque definitione erravimus. So. Qua in re et quantum errasse nos dicis? Hosp. Partim minus, partim generosius magisque, et plus quam tunc erratum. So. Quo pacto? Hosp. Quod enim, dum quæreretur rex civilisque vir ex præsenti circuitu generationeque, pastorem ex contraria conversione adduximus, et pro mortali [275] gregis humani pastore Deum commemoravimus, longius transgressi sumus: quod vero civitatis universæ principem illum ostendimus, quo autem modo princeps esset, non declaravimus, verum quidem diximus, non tamen ad integrum perspicueque descripsimus. Quocirca minus in hoc quam in illo deliquisse videmur. So. Vera loqueris. Hosp. Existimare ergo debemus tunc demum nos civilem virum satis exposuisse, cum gubernandæ civitatis modum ad sufficientiam discreverimus. So. Præclare. Hosp. Ob hanc utique causam eam fabulam inceptavi-

Digitized by Google

mus, ut non solum ostenderetur, quod omnes adversus regem commenem gregis nutritionem sibi vendicant: verum illum clarius intueremur, quem solum sic appellare decet, cum instar ovium boumque pastorum humani gregis pascendi curam habeat. So. Recte. Hosp. Reor equidem, Socrates, pastoris divini figuram rege præstantiorem esse. Civiles autem hos viros subjectis similes esse magis, secundum naturæ educationesque, et disciplinas. So. Omnino quidem. Hosp. Neque vero pescrutandum est, utrum magis mitesve fuerint, vel utrum ita sint an aliter nati. So. Cur enim? Hosp. Sic porro iterum resumamus. Artem esse ex se præcipientem, circa animalia non privatim, sed publice providentem, supra statim gregis nutritionem vocavimus. Recordaris? So. Recordor. Hosp. In hoc aberravimus. Nam civilem virum neque comprehendimus adhuc neque denominavimus, sed nos ejus denominatio fugit. So. Quo pacto? Hosp. Greges singulos pascere aliis omnibus pasteribus convenit. Civili autem viro competens nomen non dedimus, cum deceret communes cunctis aliquid adhiberi. So. Vera narras, si modo licebat. Hosp. Immo vero licebat curationem communiter attribuere, absque nutritionis aut alterius negotii distinctione: et aliam quandam appellationem inferre communem, sive gregis ductionem sive curationem sive diligentiam appellantes, atque ita civilem cum aliis una complecti, postquam sic oportere ratio significaverat. So. Optime, verum quonam [276] pacto postea distinguendum erat? Hosp. Quemadmodum gregis nutritionem divisimus secundum gressibilium et volatilium speciem, immixtorumque et mutilatorum: ita gregis ductionem et secundum eadem partiri licebat, atque ita regnum Saturni ac præsens fuisset sermone comprehensum. So. Videtur, sed quid tum? Hosp. Si ita impositum facultati illi nomen fuisset, ut gregis ductionem vocavissemus eam, quam gregis nutritionem vocavimus, constat quod nemo adversum nos contendisset, quasi curatio omnino non esset: quemadmodum tunc merito est decertatum, quod ars in nobis nulla sit nutritiva appellatione digna, et si aliqua sit, multis aliis prius magisque quam regis nomen id competat. So. Recte. Hosp. Nulla vero ars alia de hoc contendit, quasi sit totius humanæ communionis curatio major mitiorque quam regia. So. Recte loqueris. Hosp. Post hæc nunquid advertimus, Socrates, quam graviter circa finem deliquimus? So. Ubi delictum dicis? Hosp. In hoc, inquam, quod etsi artem quampiam bipedis gregis nutricem esse putavimus, non tamen illico regiam illam atque civilem tanquam absolutam appellare debuimus. So. Cur non? Hosp. Primo quidem oportebat quod dicebamus, nomen ad curam magis quam ad nutritionem accommodantes: postea dividenda cura fuit, nam divisiones insuper non parvas suscipit. So. Quas? Hosp. In divinum pastorem et humanum curatorem. So. Scite. Hosp. Curationem item humanam in duo. So. Quæ? Hosp. In eam quæ invitis, et eam quæ volentibus imperat. So. Quid ergo? Hosp. In hoc sane peccantes, ineptius quam decebat, regem tyrannumque in idem conduximus, cum et ipsi inter se dissimillimi sint et gubernandi his modi longe diversi. So. Vera refers. Hosp. Nunc igitur iterum emendantes, ut supra dicebam, humanam curationem bifariam partiamur, in violentam et voluntariam. So. Absque dubio. Hosp. Violentam quidem tyrannicam, voluntariam autem volentiumque bipedum gregis ductionem civilem artem denominemus: atque eum, qui facultate hac est præditus, virum revera civilem regemque dicamus. [277] So. Videntur jam, Hospes, civilium demonstrationes nobis ita demum penitus absolutæ. Hosp. Bene nobiscum esset, o Socrates, actum. Oportet autem non tibi solum id, sed mihi quoque tecum una videri. Et nunc quidem rex mihi nondum perfectam videtur habere figuram: sed quemadmodum statuarii interdum importunius festinantes plura et majora, quam oporteat, singula opera interponendo, serius inde perficiunt:

Digitized by Google

sic et nos, ut quamprimum atque insuper magnifice prioris processus errata circa regem ostenderemus, putantes magna illius exempla ponenda, ingentem fabulæ molem exaggeravimus, majorique, quam oportebat, illius parte uti coacti sumus. quapropter prolixiorem ostensionem induximus, et fabulæ finem haud penitus imposuimus. sed revera sermo nobis, tanquam animal, exteriorem quidem circumferentiam sufficientem habere videtur, pigmentorum vero colorumque commixtione perspicua nondum decorari. picturæ autem et universæ manuum facultatis dictione atque sermone omne animal demonstrare magis convenit illis, qui assequi possint: aliis autem per manuum ministeria. So. De hoc quidem satis. quam vero ob causam nondum sufficienter dictum esse ais, ostende. Hosp. Arduum est, o beate, absque exemplis res magnas sufficienter ostendere. videtur enim unusquisque nostrum tanquam per somnium nosse omnia, revera autem omnia iterum ignorare. So. Quo pacto? Hosp. Absurde admodum, o Socrates, affectum et conditionem animæ circa scientiam supra movimus. nempe in magnis arduisque incepimus, quod in minimis et facilibus erat per ordinem inchoandum. So. Quorsum hæc? Hosp. Exemplo rursus exemplum, o felix, indiget. So. Qua ratione? dicas, nihil mei causa veritus. Hosp. Dicendum, postquam ipse es audire paratus. Advertimus, quid agant pueri, cum primum literas discunt. So. Quidnam? Hosp. Quod elementa quælibet in brevissimis facillimisque syllabis sufficienter persentiunt, veraque de illis eloqui possunt. [278] So. Quidni? Hosp. Eadem hæc in aliis ambigentes, opinione sermoneque falluntur. So. Prorsus. Hosp. An non ita facillime atque optime ad ignota perduci possunt? So. Quo pacto? Hosp. Reducere illos primum ad ea oportet, in quibus hæc eadem recte opinati fuerant, eisque offerre quæ nondum noscunt: et ea invicem comparando ostendere eandem similitudinem atque naturam in utrisque complexionibus esse: donec cum ignotis omnibus quæ vera opinione concepta sunt, comparata monstrentur: demonstrata vero et illorum exempla facta demum efficiant, ut ex omnibus cujuslibet syllabæ elementis, id quod alterum est, ab aliis alterum nuncupent: quod vero idem est, idem semper secundum eadem secum ipso. So. Sic omnino. Hosp. Nonne satis hoc comprehendimus, quod videlicet tunc exempli generatio est, cum quod idem est in alterutro sejuncto, recta opinione conceptum et utrique accommodatum, unam amborum communiter opinionem parit? So. Videtur. Hosp. Quid mirum, si idem natura patiens anima nostra circa rerum omnium elementa, alias veritate ipsa circa unumquodque in quibusdam constituitur, alias autem circa omnia rursus in aliis fertur: et ipsa in quibusdam copulationibus recte quodammodo opinatur, translata vero in magnas ac difficiles rerum syllabas, hæc eadem rursus ignorat? Nihil utique mirum videri debet. Nam qua ratione quis, o amice, posset ab opinione falsa incipiens, ad aliquam veritatis vel minimam partem perveniendo sapientiam adipisci? So. Nulla ferme. Hosp. Si hæc ita natura se habent, nequaquam ego ac tu aberraremus, si primo totius exempli naturam videre anniteremur in parvo quodam alio secundum partem exemplo: deinde ad maximum accessuri regis exemplum, eandem speciem alicunde a minoribus deferentes, per exemplum iterum conaremur rerum civilium curationem arte dignoscere, ut ipsa pro somnio veritas habeatur. So. Recte admodum. Hosp. [279] Rursus superior oratio repetenda, qua inferebatur, postquam permulti cum regio genere de civitatis gubernatione contendunt sibique illam usurpant, oportere eos omnes ab illo sejungere ipsumque solum relinquere. atque ad hoc exemplo quodam opus esse diximus. So. Valde. Hosp. Quodnam potissimum exemplum exiguum quidem et eandem civilem continens facultatem adducens aliquis sufficienter quod investigatur, inveniet? Visne per Jovem, o

Digitized by Google

Socrates, nisi quid aliud in promptu habemus, texendi artem eligamus? non universam quidem: sufficiet enim, ut arbitror, lanificium. forte namque pars hæc electa quod cupimus indicabit. So. Quidni? Hosp. Cur non, ut superius unumquodque in partium partes dividebamus, ita modo circa texendi artem fecimus, et quam brevissime poteramus omnia transigentes, quod ad propositum conducit, elegimus? So. Quomodo inquis? Hosp. Efficiam ut discursus sermonis ipse tibi respondeat. So. Præclare loqueris. Hosp. Eorum quæ facimus et possidemus, quædam gratia aliquid agendi parantur, quædam adversus passiones sunt propugnacula. Propugnaculorum autem alia remedia sunt, tam divina quam humana: alia vero obstacula. Obstaculorum alia militaris armatura, alia circumvallatio. Circumvallationum vero alia velamina, alia adversus æstum frigusque munitiones. Munitionum alia tegmenta et retinacula, alia operimenta. Operimentorum quædam suffulciunt, quædam circumambiunt. Eorum, quæ circumambiunt, alia simplicia, alia vero duplicia atque composita. Compositorum alia perforata, alia sine perforatione connexa. Horum vero quædam nervea sunt, ex his quæ terra nascuntur, quædam pilea. Pilea vero partim aqua et terra conglutinata, partim sibimet invicem sunt connexa. His profecto repugnaculis fulcimentisque, quæ ex eisdem colligatis confecta sunt, nomen vestes imposuimus. Artem vero, quæ maxime circa vestes versatur, ab ipsa vestium effectione vestificam appellemus, quemadmodum disciplinam civitatis procuratricem [280] ab ipsa civitate civilem denominavimus: dicamusque textoriam facultatem, quatenus maxima ex parte vestes contexit, nihilo alio nisi nomine differre ab ista, quam vestificam nominavimus: quemadmodum supra regiam diximus a civili. So. Recte admodum. Hosp. Post hæc utique colligamus, vestium textoriam aliquem forsitan sufficienter dictam existimaturum, animadvertere non valentem, quod ab his, quæ prope cooperantur, nondum distincta est, a multis autem aliis sibi cognatis discreta fuit. So. Quibus cognatis? dicas obsecro. Hosp. Videris mentem supra dictis haud satis adhibuisse. Quare iterum, ut videtur, a fine ad principium redeundum. Si enim propinquitatem intelligis, hanc utique ab ipsa discrevimus, dum stramentorum compositionem suffulcimento et ambitu separaremus. So. Intelligo. Hosp. Quin etiam artificium omne, quod lino et chordis virgultisque utitur, ac summatim his quæ terra nascuntur, quæ nuper nervea vocavimus, jam sejunximus. immo et pileorum compositionem, eamve, quæ perforando et suendo operatur, quæ ut plurimum ad coriariam pertinet facultatem. So. Omnino quidem. Hosp. Sejunximus præterea operimentorum simplicium opificium, quod pellibus utitur: item tegmentorum retinaculorumque machinamenta, quotcunque in ædificando fiunt: et in aliis artibus quibuscunque ad aquarum retentionem repulsionemque, quæcunque circa plicationes inclinationesque et violentas actiones cohibentia opera reddunt, sepesque et maceriam opponunt, et cumulos quosdam objiciunt: item vestibulorum cancellorumque affixiones, quæ ad clavorum artificium attinent. Quin etiam armaturam segregavimus, quæ portio est amplæ facultatis illius, quæ propugnacula et obstacula objicit. Præterea magicam, quæ remedia præbere se vitæ hominum profitetur, ab initio separavimus. Reliquimus autem artem quandam, quæ visa est illa esse, quam quærimus, effectricem scilicet fulcimentorum adversus frigora laneorum, textoriamque cognominatam. So. Videtur. Hosp. Ceterum nondum, o puer, perfecte his dictis rem expedivimus. qui enim primo vestium aggreditur artificium, contra [281] quam textor agere videtur. So. Quamobrem? Hosp. Textor namque quodammodo complicat et connectit. So. Certe. Hosp. Ille vero quæ simul inserta et implicita sunt, dissolvit. So. Quid istud? Hosp. Opus ejus, qui carminat et dis-

Digitized by Google

cernit. Nunquid carminatoriam et discretoriam operam eandem cum textoria computabimus? carminatoremque et discretorem eundem cum textore dicemus? So. Nullo modo. Hosp. Si quis autem diligentiam, quæ stamina et subtegmina præparat, textoriam vocet, procul ab opinione hominum et veritate in nomine illo discedet. So. Plane. Hosp. Fullonum præterea sutorumque operam utrum nihil conducere ad vestimentorum confectionem dicimus? an has omnes textorias diligentias appellamus? So. Neutrum dicendum videtur. Hosp. Veruntamen omnes istæ de vestium curatione cum textoris arte contendent: ac plurimum quidem illi hujus operis dabunt, multum quoque sibi ejusdem operis vendicabunt. So. Sic est omnino. Hosp. Præter has existimare insuper oportet, artes instrumentorum, quibus textor utitur, effectrices, partem sibi in efficienda tela usurpaturas. So. Probe. Hosp. Utrum textoriæ facultatis ratio, quam ut partem elegimus, sufficienter distincta erit, si ipsam aliarum omnium facultatum, quæ circa lanam vestem versantur, maximam pulcherrimamque dixerimus? aut ita verum quidem dicetur, perfecte autem et manifeste nequaquam, priusquam ab ista reliquas secreverimus? So. Ita certe. Hosp. An non ita deinceps agendum est, ut consequenti ordine nobis sermo procedat? So. Nihil prohibet. Hosp. In primis artes geminas circa omnia quæ fiunt, consideremus. So. Quas? Hosp. Unam quidem generationis, ut ita loquar, concausam, alteram vero causam ipsam. So. Quomodo? Hosp. Quæcunque rem ipsam non fabricant, sed fabricantibus organa subministrant, quibus absentibus institutum opus nequaquam perficeretur, eas concausas, ut ita dixerim, nominamus: eas autem ipsas, quæ principaliter faciunt, causas appellamus. So. Consentaneum id quidem. Hosp. Post hæc artes, quæ colum fusumque, radium pectenque efficiunt et alia circa vestium operam instrumenta præparant, omnes concausas nuncupemus: illas autem, quæ vestimenta curant et efficiunt, causas. So. Recte. Hosp. Ex causis vero [282] partem eam, quæ lavat atque consuit, et alias hujus generis curaturas, cum multa ornandi diligentia sit, generatim colligere decet et fullonum artem cognominare. So. Probe. Hosp. Eam autem partem, quæ carminat, discernit et filat, et omnes circa vestium effectionem, ars una comprehendit, quæ communiter lanificium nominatur. So. Quidni? Hosp. Lanificii porro partitiones duæ, et utræque duarum artium simul partes sunt. So. Quemadmodum? Hosp. Facultas illa, quæ carminat et quæ pectine quodam utitur, ac omnino quæcunque sunt conjuncta disjungit, pars lanificii dicitur. cujus maximæ partes duæ sunt, discretoria una, altera concretoria. So. Sic est omnino. Hosp. In ea quæ discernit, carminatoria et aliæ, quas modo diximus, facultates insunt. Nam quæ lanas et stamina dividit vel pectine quodam vel manibus, aliter atque aliter nomina cuncta, quæ modo diximus, est sortita. So. Ita prorsus. Hosp. Rursus concretoris partem simul et lanificii in ipsa contentam sumamus: quæcunque autem ibidem discretoria inerant, transeamus, lanificium omne bifariam partientes, in concretoriam partem et discretoriam. So. Partiamur. Hosp. Partem itaque concretoriam simul et lanificium, o Socrates, dividere decet, si modo propositam nobis texendi artem sufficienter comprehendere volumus. So. Oportet sane. Hosp. Oportet absque dubio. Ideoque dicamus, partem ejus unam in volvendo flectendoque, alteram in complicando versari. So. Nunquid hæc teneo? videris enim mihi staminis operam in torquendo ponere. Hosp. Non hujus tantum, sed et subtegminis. An sine retortione generationem hujus esse reperiemus? So. Nequaquam. Hosp. Describe horum utrunque. forte namque descriptio talis opportuna videbitur. So. Qualis? Hosp. Ecce opus carminatoris, cum in longum latumque protrahitur, deductionem vocamus. So. Certe. Hosp. Cum hoc factis

Digitized by Google

pensis fuso retortum est, solidumque effectum filum, stamen appellant: artem autem ipsam, quæ hoc dirigit et protrahit, staminariam. So. Recte. Hosp. Quæcunque vero contortionem mollem accipiunt, et staminis implicatione ad reflexionis attractum moderatam mollitiem nanciscuntur, ea utique filo dedocta subtegmina, artem autem ipsam [283] subtegminariam. So. Probe. Hosp. Atqui pars illa textoriæ, quam proposuimus, jam cuivis patet. Nam pars consectoriæ facultatis in lanificio, quando recta protractione subtegminis atque staminis implicationem contexturamque efficit, totum quidem ipsum implicitum et contextum vestem lanearn, artem vero hujusmodi textoriam nuncupamus. So. Recte admodum. Hosp. At cur non statim respondimus, textoriam artem esse, quæ subtegmen et stamen implicat, sed per longas ambages frustra vagati sumus? So. Nihil mihi quidem, o hospes, frustra dictum videtur. Hosp. Nihil mirum, sed forsitan videbitur, o beate, si frequenter in hunc morbum in posterum incidas. Nam quid mirum? Audi sermonem, qui de hujusmodi omnibus semper est in medium afferendus. So. Dic modo. Hosp. Excessus in primis defectusque naturam inspiciamus, ut secundum rationem moderata laudemus, vituperemusque in singulis, quocunque modum sermonis non servant, dum in talibus quibusdam disputationibus aut prolixius, quam decet, aut brevius loquimur. So. Oportet sane. Hosp. De his utique jure habenda ratio est. So. De quibus? Hosp. De prolixitate, inquam, et brevitate, deque omni excessu atque defectu, nam dimetiendi facultas ad hæc omnia pertinet. So. Profecto. Hosp. Eam itaque bifariam distinguamus, conducit enim ad id, quod intendimus. So. Dicas, quomodo distinguendum. Hosp. Sic. Pars una secundum mutuam magnitudinis parvitatisque communionem: altera secundum necessariam generationis essentiam. So. Qui istuc ais? Hosp. An non secundum naturam tibi videtur, quod majus est, nullo alio quam minori majus esse dicendum? quodve minus, solo majori minus? So. Mihi vero. Hosp. Quid vero? Quod excedit mediocritatem et quod exceditur, seu dicendo sive agendo, nonne esse dicemus ea, quibus boni homines a malis differunt? So. Apparet. Hosp. Hæ ergo essentias geminas judicisque magni et parvi ponere decet: nec, ut paulo ante dicebamus, invicem solum ista referri debent: immo, ut nunc dictum est, potius partim invicem, partim ad mediocritatem comparanda videntur. Hujus autem rationem nunquid intelligere volumus? So. Quidni velimus? Hosp. Si quis majoris naturam ad minus dumtaxat referat, ad [284] mediocre non referetur. quid ais? So. Id ipsum. Hosp. An non artes ipsas earumque opera omnia hac ratione secerneremus? eamve, quam quærimus, civilem et textoriam facultatem e medio tolleremus? hæ siquidem omnes quod mediocri majus est aut minus, non quasi non sit, sed ut difficile quiddam in actionibus vitant, atque ita mediocritatem servantes, bona omnia pulchraque efficiunt. So. Absque dubio. Hosp. Nonne si civilem peritiam sustulerimus, manca nobis et dubia erit regiæ scientiæ perscrutatio? So. Valde. Hosp. Utrum quemadmodum in disputatione de Sophista non ens esse coëgimus, postquam in hoc nos effugit oratio: ita nunc plus ipsum et minus cogere debemus commensurabilia esse, non invicem solum, sed ad mediocris quoque generationem? Neque enim civilis disciplinæ quispiam neque alterius humanæ facultatis sine hujus concessione potest esse peritus. So. Nonne et in præsentia idem summopere est agendum? Hosp. Majus hoc opus, o Socrates, est, quam illud: etsi, quam prolixum illud quoque extitit, recordamur. verum tale quiddam merito de ipsis est suppeandum. So. Quale? Hosp. Quod quandoque opus erit eo, quod nunc est dictum, ad sinceri ipsius absolutique ostensionem. quod autem quo ad præsentia pertinet, egregie sufficienterque monstratum est, conferre

Digitized by Google

mihi videtur sermo iste magnopere, quod videlicet existimandum est, similiter omnes artes esse habere majusque simul et minus commensurari non invicem tantum, sed etiam ad mediocris ipsius generationem. cum enim hoc est, illa sunt: et cum sunt illa, hæc sunt: alterutroque horum sublato, utrumque tollitur. So. Hoc quidem recte. verum quid deinceps? Hosp. Distinguere decet artem dimetiendi bifariam, quemadmodum supra diximus: unamque illius partem ponere artes omnes, quæcunque numerum, longitudinem, latitudinem, profunditatem et velocitatem ad contrarium metiuntur: alteram vero artes illas, quæ ad mediocre moderatumque respiciunt, decensque et opportunum atque debitum, et summatim ad omnia, quæ, vitatis extremis, in medium confugerunt. So. Ampla quidem utraque portio est, et altera longe ab altera discrepat. Hosp. Quod sæpenumero ferunt, o Socrates, ornati viri illi, qui magnum [285] aliquid ac sapiens loqui se putant, dum prædicant dimetiendi facultatem circa omnia quæ fiunt versari, nunc accidit. Quicquid enim artificiosum est, mensuræ quodammodo particeps esse apparuit. quoniam vero quidam secundum species considerare nequaquam consueverunt, distinguentes hæc tam inter se differentia statim conferunt in idem, similia judicantes. Atque hujus contrariam rursus efficiunt, quæ altera sunt, per partes minime distinguentes, cum oporteat, quando quis primo multorum percipit communionem, non prius desistere, quam differentias omnes in ea, quæ in speciebus claudantur, inspexerit: atque iterum, quotiens dissimilitudines plurimas in multitudine sentit et segre sentit, non prius ab hac aspectus molestia desistere posse, quam cuncta, quæ cognata sunt, intra cognationem unam proprietatemque concludens, unius generis essentia vestiat. De his igitur deque excessibus atque defectibus hæc dicta sufficiant: id autem dumtaxat servandum, duo videlicet genera circa ipsa mensuræ adinventa fuisse, et quæ ista sint, mente tenendum. So. Tenebimus. Hosp. Post hunc sermonem aliam assumamus de his quæ modo quærebantur, deque omni hujuscemodi sermonum tractatione. So. Quid istud? Hosp. Si quis forte nos percontetur de puerorum circa literas exercitatione, quando interrogantur, quibus ex literis nomen aliquod constet, utrum putemus tunc eos interrogari unius dumtaxat nominis illius declarandi gratia, an potius ut in omni grammatica eruditiores evadant, quid respondebimus? So. Ut in omni grammatica. Hosp. Quid porro? civilis viri indagatio nobis ipsius gratia magis proposita est, quam ut in omnibus disserendis acutiores efficiamur? So. Patet id quoque, quod omnium gratia. Hosp. Nemo utique mentis compos textoriæ facultatis rationem ipsius dumtaxat gratia venari contenderet. Verum plurimos latet, ut arbitror, rerum quarundam cognitu facilium sensibiles nonnullas imagines esse, quas declarare nequaquam arduum est, quotiens ipsorum aliquis vult alicui rationem de aliquo perquirenti, non cum ipsis rebus, sed seorsum ratione facile demonstrare. Rerum autem maximarum pretiosissimarumque nulla est imago [286] ad homines perspicue fabricata: qua ostensa qui vult animum seiscitantis explere, sensui cuidam accommodans, ad sufficientiam expleat. Quapropter cogitandum est, ut rei cujuslibet rationem reddere et recipere valeamus. Incorporea namque, cum maxima et pulcherrima sint, ratione sola, alio vero nullo perspicue declarantur. Horum porro gratia modo nobis dicta sunt omnia. cujuslibet autem rei consideratio in minoribus facilior, quam in majoribus, exstat. So. Præclare loqueris. Hosp. Quorum denique causa dicta de his omnia sunt, recordemur. So. Quorum? Hosp. Ejus præcipue molestiæ causa, qua circa textoriæ facultatis prolixam orationem affecti sumus, nec non circa totius mundi revolutionem: atque Sophistæ sermonem de non entis essentia putavimus sane prolixiorem fuisse, quam deceret disputationem. Atque in his omnibus nosmetipsos deterrui-

Digitized by Google

mus, metuentes, ne forte in supervacua diutius versaremur. Ergo, ne deinceps iterum tale nobis aliquid accidat, iccirco supra dicta a nobis omnia puta. So. Fiet. dic age quæ restant. Hosp. Dico igitur oportere et me et te eorum, quæ diximus, semper memores esse, quotienscunque vel brevitas vel prolixitas sermonis in vituperationem cadit, ita ut non invicem prolixitates dijudicemus, sed secundum facultatis dimetiendi partem, quam supra diximus ad decori normam esse referendam. So. Scite. Hosp. Non ergo ad hoc omnia referenda videntur, neque enim prolixitate nulli conveniente ad voluptatem egebimus, nisi quod præter propositum. Ut autem quod quæritur, facillime celerrimeque reperiatur, non primo, sed secundo loco contendere ratio præcipit: maxime vero omnium atque primum illum honorare progressum, quo secundum species distinguere valeamus: disputationemque longam haud moleste ferre, sed affectare potius, si modo nobis ad inventionem conferat: brevemque similiter. Eumque jubet, qui longiora verba vituperat, circuitusque disputationum hujusmodi non admittit, haud ita leviter temereque [287] damnare prolixitatem; immo ostendere prius, disputationem breviorem audientes et promptiores ad disserendum et ad inveniendum sagaciores reddituram: alias autem et alio tendentes increpationes et laudes nec curare penitus nec audire. Ac de his satis, si tibi quoque videtur. Ad civilem facultatem iterum redeamus, textoris exemplum, quod supra posuimus, conferentes. So. Egregie locutus es: atque ita, ut jubes, efficiamus. Hosp. Nonne jam rex a multis pastorum officiis, immo ab omnibus armentorum custodibus est distinctus? Restant urbanæ facultates concausarum pariter et causarum, quas primum a se invicem separare debemus. So. Recte. Hosp. Has partiri bifariam difficile est. Cujus difficultatis causa sequenti sermone patebit. So. Sic prorsus agendum. Hosp. Per membra itaque ipsas, instar victimæ, discerpamus, postquam secare bifariam non valemus. oportet enim in proximum semper numerum distribuere. So. Quo pacto? experiamur jam. Hosp. Quemadmodum in superioribus omnes, quæ instrumenta texturæ parabant, veluti concausas posuimus. So. Nempe. Hosp. Idem quoque in præsentia, et multo magis agendum. quæcunque enim magnum aliquod aut parvum in urbe fabricant instrumentum, tanquam concausæ ponendæ sunt. nam sine his civitas constare non potest, neque civilis disciplina consistere. Nullum tamen horum regiæ artis opus esse ponemus. So. Nullum prorsus. Hosp. Atqui difficile quiddam aggrederemur, si genus hoc ab aliis distingueremus. Qui utique dicit, unius cujusdam eorum, quæ sunt, instrumentum esse, verisimile quiddam loqui videtur: alterum quin etiam eorum, quæ possidentur in civitate, hoc est dicendum. So. Quidnam? Hosp. Quod hanc vim non habet. neque enim causæ generationis in hoc, ut in instrumento, sed ad ejus quod fabricatum est salutem respicit. So. Quale istud? Hosp. Quod siccis et humidis, igne calefactis et frigidis varium genus effectum, quod una appellatione vas nominamus, quamvis species plurima sit. hoc autem scientiæ illius, quam [288] perquirimus, non est opus. So. Non certe. Hosp. Tertia possessionum species multiformis apparet, terrestris atque aquatica, multivaga et non errans, pretiosa et vilis: uno significata nomine, quia universum hoc semper alicui sedes efficitur, assessionis, præsidentiæ explorationisque gratia. So. Quid hoc? Hosp. Vehiculum nuncupamus, haud sane multum peritiæ civilis opus, immo architecturæ figularisque et æreariæ facultatis officium. So. Intelligo equidem. Hosp. Nunquid quartum præter ista dicendum, in quo plurima ex iis, quæ supra retulimus, continentur? vestimenta, arma multa, muri, terrenique et lapidei ambitus, aliaque permulta. Cumque hæc omnia muniendi objiciendique gratia fiant, recte munimenta obstaculaque communiter appellari possunt, multoque

Digitized by Google

magis architectorum textorumque, quam civilis, sunt opera. So. Sic est omnino. Hosp. Num quisto loco ornandi, pingendi, canendi artes locabimus, et quascunque his utuntur, et ab his fiunt imitationes quædam, oblectationis gratia dumtaxat excogitatæ, quæ merito uno quodam nomine comprehendantur? So. Quo? Hosp. Universum hoc jocosum quiddam denominatur. So. Absque dubio. Hosp. Unum hoc nomen omnibus his conveniet. neque enim illorum quicquam studii, sed joci gratia semper efficitur. So. Hoc quoque ferme intelligo. Hosp. Facultatem vero illam, quæ his omnibus præparat corpora, ex quibus et in quibus conficiuntur artium, quas modo narravimus, opera, nonne sextam ponemus, speciem variam et ex multis artibus dependentem? So. Quam dicis? Hosp. Eam, quæ aurum et argentum ceteraque metalla terræ eruta visceribus præparat. item quæ silvas incidit, quæ tondet, quæ ex his construit aliquid, quæ plicat atque contexit, seu quæ cortices arborum, sive quæa animalium pelles circumcidit et polit: et quascunque artes circa hujusmodi quædam versantur. rursus illæ, a quibus suber, liber, codex vinculaque parantur, ut fiant compositæ species ex generibus non compositis. universum hoc appellamus primogenitam hominibus possessionem et simplicem: quod regiæ artis nequaquam est opus. So. Optime. Hosp. Septimum tenet locum nutrimenti possessio, et quascunque commixta corpori, partibus suis partes corporis alere possunt atque curare: quod totum alimentum dici debet, nisi [289] quid forte pulchrius reperiamus. Agriculturæ autem, venationi, gymnasticæ, medicinæ, coquinariæ universum hoc rectius, quam civili, tribuitur. So. Rectius sane. Hosp. Ferme omnia, quæ possidentur, præter domesticorum animalium species, in his septem arbitror numerata. Sic autem cogita. Par erat primogenitam speciem primum inducere: instrumentum deinde, vas, vehiculum, munimentum, oblectamentum. animal prætermittimus sane, si quid non magnum latuit, quod alicui istorum accommodari possit, qualis est nummorum ideæ sigillorumque et omnis characteris. Genus enim hæc in illis non admodum cognatum habent, sed partim in ornatum, partim in instrumenta, vi quidem, attamen penitus tracta, quodammodo congruunt. Possessionem vero animalium domesticorum, servis exceptis, gregis nutritio primo distincta comprehendisse videtur. So. Et maxime quidem. Hosp. Restat servorum ministrorumque omnium genus, in quo vaticinor, eos palam insurrecturos, qui de textura cum rege contendant, quemadmodum cum textore qui carminant filantque, et qui alia, de quibus diximus, faciunt. Ceteri vero omnes, tanquam concausæ dicti, una cum nunc memoratis operibus a regia civilique actione sejuncti sunt atque discreti. So. Apparuit. Hosp. Consideremus reliquos quam proxime accedentes, ut certius ipsos cognoscamus. So. Oportet omnino. Hosp. Maximos porro ministros, quantum hinc intueri licet, contrariam exercitationem passionemque illi, quam suspicati sumus, habere reperiemus. So. Quos? Hosp. Empta mancipia et simili quodam modo in servitutem coactos homines: quos sine controversia servos cognominare possumus, longissime a regia dignitate distantes. So. Quidni? Hosp. Quid dicemus de liberis, quicunque sponte, quæ supra diximus, subministrant, agriculturæ et aliarum artium opera transportant, mutuisque commutant commerciis, sive de foro in forum in urbe eadem, seu de urbe terra marique transferentes in urbem, partim cum rebus aliis nummos, simile quiddam simili commutantes, quos nummularios, mercatores, nauticos, [290] vectores, caupones denominavimus? nunquid isti civilem sibi peritiam vendicabunt? So. Forte mercatores. Hosp. Non tamen illi, quos utpote mercenarios cernimus passim omnibus ad serviendum expositos, regiam usurpare dignitatem reperientur. So. Est, ut dicis. Hosp. Quid vero de his, qui talia quædam nobis ubique suppedi-

Digitized by Google

tant? So. Quos dicis, et quarum rerum suppeditatores? Hosp. Genus præconum inquam, et eorum, qui sapienter circa publicas literas subministrant, nonnullosque alios solertes rerum ad principum ministerium pertinentium elaboratores. Quid de his dicendum, Socrates? So. Quod et ipse dicebas, ministros esse, non principes civitatum. Hosp. Haud ab re, ut arbitror, in superioribus dixi inventuros nos hac ratione plerosque de civili curatione vehementes concertatores: quamvis absurdum alicui videri possit, eos in ministrorum numero quærere. So. Valde quidem. Hosp. Accedamus præterea propius ad eos, qui nondum examinati sunt. hi vero sunt, qui circa vaticinium habent scientiæ alicujus ministræ particulam. Interpretes enim divinorum ad homines hi censentur. So. Certe. Hosp. Quin etiam sacerdotum genus, ut lege habetur, intelligit docetque, quo pacto donaria diis et sacra sint offerenda: item qua ratione vovendum sit, quidve boni sit a diis petendum. Hæc autem ambo ministratoriæ artis partes sunt. So. Videtur. Hosp. Jam igitur vestigium quoddam ejus, quod investigamus, attingere videmur. figura namque sacerdotum et vatum magnanimitate intelligentiaque et claritate abundat, propter eorum quæ aggrediuntur magnificentiam. Quapropter apud Ægyptios non licet regem absque sacerdotio imperare. quin immo, si ex alio genere quispiam vi regnum usurpet, cogitur post regni assumptionem sacris initiari, ut rex denique sit et sacerdos. Præterea in plurimis Græcorum civitatibus, apud vos præsertim, reperies præcipua sacra a magistratibus summis institui. nam et apud vos fertur, creato regi patria et sollemnia sacra maxima, et purissima aliorum omnium esse tributa. So. Et maxime quidem. Hosp. Hos [291] itaque sorte creatos reges sacerdotesque, et eorum ministros, nec non aliam quandam frequentem turbam considerare debemus, quæ nuper semotis superioribus in lucem venit. So. Quos inquis? Hosp. Miros quosdam inquam. So. Quamobrem? Hosp. Modo cogitanti mihi multiforme horum genus apparet. Multi ex viris leonum similes fiunt, centaurorumque aliorumque hujusmodi: plurimi etiam satyrorum imbecilliumque et multiformium bestiarum: citoque transmutant et alternant invicem ideas atque potentias. Enimvero nunc primum ejusmodi viros, o Socrates, excogitasse mihi videor. So. Dic, obsecro. videris enim mirum quiddam nunc intueri. Hosp. Profecto. Nam ut mirum aliquid contingat nobis, ignoratio semper efficit. Atqui mihi modo idem contigit. repente namque ut ambigerem accidit, cum chorum negotiorum civilium intuerer. So. Quem? Hosp. Maximum Sophistarum omnium præstigiatorem, hujusque artis præ ceteris peritissimum: quem discernere decet a viris re vera regiis atque civilibus, quamvis arduum id sit, si modo quod quærimus perspicue cognoscere volumus. So. Nullo modo hoc dimittendum. Hosp. Non certe, ut arbitror. Ac mihi dicas. An non monarchia, id est principatus unius, una quædam est gubernationum civilium? So. Est. Hosp. Post hanc paucorum potentiam ponere possumus. So. Sane. Hosp. Tertiam vero multitudinis gubernationem, quam popularem vocant. So. Prorsus. Hosp. Nonne tres istæ quodammodo quinque fiunt, cum duo nomina ex se insuper pariant? So. Quænam? Hosp. Cum animadvertant plurimi invitis vel volentibus imperari posse, et lege vel arbitrio præsidere contingat, et pauperes esse qui præsunt vel divitiis ad imperium evehi, duas in species tam unius quam paucorum dividunt principatum. Et unius quidem principatum in regnum et tyrannidem partiuntur. So. Utique. Hosp. Gubernationem vero, quæ paucis agitur, in paucorum potentiam et potentiam optimatum. So. Omnino. Hosp. Popularis vero gubernationis nomen nullus utique mutare aliquando consuevit, sive sponte seu vi populus divitibus quibusdam [292] præsideat, sive lege seu arbitrio regat. So. Vera narras. Hosp. Nunquid existi-

Digitized by Google

mamus, aliquam harum gubernationum civilium rectam esse, finibus his distinctionibusque determinatam, videlicet uno, paucis, multis, paupertate, divitiis, violentia, voluntate, legibus et arbitrio? So. Quid prohibet? Hosp. Considera diligentius, et hac me sequere. So. Qua? Hosp. Stabimusne in eo, quod in principio dictum? an non? So. In quonam? Hosp. Regiam dignitatem unam quandam scientiarum esse diximus. So. Diximus certe. Hosp. Neque in quovis scientiæ genere illam locavimus. E multis quippe facultatem illam, quæ judicat simul præcipitque, selegimus. So. Sane. Hosp. Hanc postmodum scientiam præsidentem partim rebus inanimatis, partim animatis præfecimus. et eodem ordine dividentes, huc usque processimus, scientiæ nomine in singulis reservato: quæ vero potissimum scientia sit, nondum declarare potuimus. So. Recte loqueris. Hosp. Advertimusne ipsorum determinationem descriptionemque neque secundum violentiam et voluntatem, neque secundum paucos ac multos, neque per inopiam et opulentiam fieri oportere, sed per scientiam quandam, si superiora sequamur? So. Necesse est, ut id fiat. Hosp. Necessario igitur hoc nunc ita considerare debemus, in quonam horum scientia insit imperatoriæ facultatis, quæ ferme comparatu maxima est omnium atque difficillima. inspicere namque illam oportet, ut videamus, quinam a sapiente rege segregandi sint, qui sibi civilem peritiam vendicant, idque plurimis persuadent, cum ab ipsa procul admodum absint. So. Sic prorsus agendum, ut ratio superior monuit. Hosp. Nunquid multitudo videtur tibi in civitate hujus scientiæ compos? So. Quonam pacto? Hosp. An in mille hominum civitate fieri potest, ut centum vel quinquaginta viri sufficienter eam adipiscantur? So. Facillima omnium artium hæc esset. scimus enim, in mille hominum numero totidem viros, qui talorum ludo ceteros Græcos exsuperent, nequaquam reperiri, nedum reges. Oportet utique virum illum, quicunque regia peritia instructus est, regem vocare, sive dominetur sive privatus degat, ut [293] ratio superior statuit. Hosp. Oportune admonuisti. arbitror autem, secundum sermonem inductum rectam gubernationem, si quando recta sit, circa unum vel duos vel paucos esse quærendam. So. Quidni? Hosp. Existimare hos oportet civiles ac regios homines, si modo arte quadam imperent, sive volentibus seu nolentibus dominentur, sive secundum scripta seu absque scriptis, institutis et legibus, vel etiam pauperes sint vel divites. nam et medicos nihilominus appellandos duximus, sive invitis seu volentibus medeantur secando vel urendo vel aliter affligendo, sive ex scriptis curent sive non, sive pauperes sint seu divites: quatenus arte quadam curandorum corporum præsident, purgando vel aliter extenuando vel replendo et augendo. Æque enim medicos nominamus, dummodo qui curant, ad bonum corporis respicientes, ex deteriori habitudine in meliorem restituant atque servent. hoc modo dumtaxat, ut arbitror, rectam esse dicemus medicinæ vel cujusvis principatus alterius definitionem, alio vero nequaquam. So. Ita prorsus existimandum. Hosp. Necesse est igitur, eam maxime ac solam rectam existimare rem publicam, in qua qui magistratibus funguntur, re vera gubernare sciunt, sive legibus seu absque legibus dominentur, sive volentibus sive invitis, vel etiam si pauperes sint vel divites. nihil enim ex his quicquam ad rectam gubernandi rationem refert. So. Præclare. Hosp. Neque insuper refert, sive cædibus expulsionibusque quibusdam communis gratia boni civitatem purgent, seu colonias emittant, tanquam apum examina, populumque comminuant: sive aliunde homines, futuros cives, advocent, civitatemque amplificent. quatenus enim scientia et justitia freti ex deteriori meliorem pro viribus civitatem efficiunt atque servant, eatenus rectam appellari rem publicam volumus, et in eo ipso dumtaxat definitionem rectæ gubernationis consistere. quotcunque vero alias rectas esse

Digitized by Google

dicimus, neque legitime neque vere dicl putandum. Sed eas, quæ hanc imitantur, libenter laudamus, quasi facile ad meliora tendentes: alias contra vituperamus, tanquam imitatione malorum ad deteriora proclives. So. Cetera quidem, Hospea, probe dicta videntur: quod vero dictum est, gubernationem sine legibus rectam esse posse, haud facile admitti potest. Hosp. Paulo me interrogando, o Socrates, prævenisti. nam te percontari decreveram, [294] utrum hæc admittas omnia, an quicquam renuas: nunc autem constat, nos velle de iis, qui recte sine legibus præsunt, disserere. So. Procul dubio. Hosp. Patet autem quodammodo, legum lationem ad dignitatem regiam pertinere: optimum vero est, non leges quidem tenere atque firmare, sed hominem cum prudentia regium. nunquid hujus rationem intelligis? So. Declara. Hosp. Quoniam lex nequit quod optimum omnibus et justissimum est, simul et sincere comprehendens semper, ut operæ pretium est, præcipere: hominum sane actionumque dissimilitudines et instabilis variaque humanarum rerum conditio faciunt, ut ars nulla possit simplex aliquid et universale de cunctis per omne tempus decernere. Concedimus ista? So. Plane. Hosp. Legem vero cernimus ad hoc ipsum niti, quasi hominem quendam pertinacem et imperitum, qui nihil agi præter ejus instituta permittat: neque interrogari etiam, si quid novi præter illius ordinem potius meliusque alicui sit. So. Vera loqueris. ita enim, ut dicebas, lex homines cogit. Hosp. Fieri non potest, ut certus quidam et simplex ordo sit bonus circa illa, quæ varia semper sunt et simplicia nunquam. So. Apparet. Hosp. Inveniendæ igitur causa est, ob quam conditio legum necessaria est, postquam lex non est ipsum quod optimum atque rectissimum. So. Cui dubium? Hosp. Nonne apud nos ut apud alios sunt quædam cunctorum simul hominum communes exercitationes, sive ad cursum seu ad quodvis aliud concertandi gratia? So. Permultæ. Hosp. Referamus, si placet, præcepta illorum, qui arte quadam gymnasiis præsunt. So. Quænam? Hosp. Arbitrantur illi quidem fieri non posse, ut sigillatim unicuique, quod ipsi seorsum ab aliis conveniens est, præcipiatur. verum communius instituendum censent, quod et plurimis et plurimum conducere videatur. So. Præclare. Hosp. Quamobrem, dum æquos labores nunc cunctis una tribuunt, paribusque eos exercitationibus agitant, partim concitatius irritant, partim enervant, et inepta ad cursum pælæstramque et alia certamina corpora reddunt. So. Sic accidit. Hosp. Legum quoque conditorem putemus suis gregibus præsidentem, deque justis operibus mutuisve commerciis [295] jura dantem, non posse, dum cunctis una consulit, ad singulorum commoditatem jusve prospicere. So. Consentaneum est. Hosp. Ceterum, ut arbitror, quod et plurimis et plurimum conducit, communiter instituet, et hujusmodi leges scriptas relinquet, et patrios etiam non scriptos similiter mores induoet. So. Recte. Hosp. Recte admodum. etenim quo pacto quis possit per omnem vitam ad singulos circumspicere, sedulusque assidere cuique, et cujusque commoditati consulere? nam si quis disciplina regia præditus hoc efficere posset, nunquam impedimenta ista, quæ leges appellantur, sibi præscriberet. So. Ita ex his, quæ sunt dicta, videtur. Hosp. Immo magis, o Socrates, ex his quæ dicentur. So. Quibus? Hosp. Hisce inquam. Si medicus quidam aut gymnasticus, imminente longa peregrinatione, procul ab iis, quos curat, abfuturum diu se putet, diffidatque illorum memoriæ, monimenta quædam agendorum conscribere illis volet, necne? So. Volet utique. Hosp. Quid, si præter opinionem ocius, quam putaverat, revertatur, verebiturne alia illis præcipere præter ea, quæ quondam scripserat: si qua potiora ægrotantibus adhiberi possint, ob temporum mutationes ventis aut alio quopiam præter spem et consuetudinem contingentes? perseverabitne, inquam, in priori proposito, neque pristinas

Digitized by Google

institutiones transgredi quenquam volet, nec ipse mandare alia, nec ab ægrotante alia præter solita observari, quasi ea et medicinæ artis propria sint et saluberrima: quæ vero aliter fiant, præter artem sint et noxia? an potius quicquid ejusmodi circa scientiam artemque veram accidit, secundum omnia in hujusmodi constitutionibus risum plurimum concitabit? So. Et maxime quidem. Hosp. Homini autem illi, qui justa et injusta, honesta et turpia, bona et mala, sive scriptis legibus sive non scriptis moribus, instituit hominum gregibus, quicunque in civitate ad legum scriptarum normam vivunt, non licebit alia quædam præter ea, quæ scripta sunt, agere? neque si ipse idem, qui ante conscripsit, redeat, neque si quis alius ejus similis veniat? [296] an potius dubitatio talis non minus quam superior illa re vera ridicula videretur? So. Nihil prohibet. Hosp. Nosti ergo, quod hac de re vulgo fertur? So. Non in præsentia. Hosp. Enimvero decens est. aiunt enim, si quis leges quasdam priscis meliores invenerit, nec non civibus persuaserit, oportere eum leges ferre: si non persuaserit, non decere. Nunquid recte? So. Forsitan. Hosp. Sin autem quispiam non persuasione, sed vi, quod rectius est, induxerit: quod potissimum hujus violentiæ nomen? responde. immo nondum ad ista, sed ad superiora prius. So. Quid ais? Hosp. Si quis arte medicinæ pollens non persuadeat, sed cogat eum, quem curat puerum vel virum vel mulierem, præter scripta quod est melius agere: quidnam hujus violentiæ nomen? nonne aliud quodvis potius quam artis transgressio, hoc est illatio morbi? et quidvis aliud potius coacto homini contigisse dicendum, quam transgressionem artis ac morbum? So. Vera loqueris. Hosp. Quid autem est contra civilem artem delictum? nonne quod turpe dicitur, quod malum et quod injustum? So. Istuc ipsum. Hosp. Age, cum aliqui coguntur præter patrias leges moresque facere, quæ justiora, meliora honestioraque sunt, nonne ridiculosissimus omnium erit, quisquis vim eam vituperabit, dicetque illos a curatoribus, qui coëgerunt, turpia, mala, injusta fuisse perpessos? So. Vera penitus loqueris. Hosp. Nunquid si dives sit, qui cogit, justæ coactiones sunt: si pauper autem, injustæ? An potius sive persuaserit sive non persuaserit, sive pauper sit seu dives, vel secundum scripta vel præter scripta, modo quæ utilia sunt inducat, dicendum est, hanc veram esse rectæ gubernationis civilis definitionem? qua ratione vir sapiens bonusque gubernabit, ad subditorum salutem semper ita respiciens, ut ad nautarum navisque salutem respicit [297] gubernator. Nam ut ille non scriptis sed arte, quasi lege quadam, nautas servat, ita et vir ille re vera civilis: et apud eos, qui ita dominari possunt, recta est rerum civilium administratio, vim artis potiorem legibus adhibens. Ac summatim quodcunque prudentes principes agant, nunquam delinquunt, quamdiu unum hoc potissimum servant, ut mente et arte quod justissimum est civibus distribuentes tueri eos valeant melioresque ex deterioribus, quoad fieri potest, efficere. So. His, quæ modo dicta sunt, repugnare non licet. Hosp. Neque illis insuper. So. Quibus dicebas? Hosp. Quod nulla unquam multitudo potest ea disciplina præcellere, qua secundum mentem civitatem regat: immo recta illa civitatis administratio apud unum vel paucissimos quærenda est: aliæ vero tanquam imitationes ponendæ videntur, ut paulo supra dictum, partim secundum pulchriora, partim secundum turpiora hanc imitantes. So. Quomodo istud dicebas? neque enim, quod de imitando tradebas, satis tunc intellexi. Hosp. Haud parvi faciendum est, si quis hoc illato sermone desistet prius, quam delictum, quod circa ipsum nunc est commissum, ostenderit. So. Quod delictum inquis? Hosp. Oportet tale aliquid quærere, quod neque consuetum est neque facile cognitu, ipsum tamen comprehendere annitamur. Cum sola hæc, quam memoravimus, recta civilis gubernatio sit, scis oportere alias hujus institutis utentes servari,

Digitized by Google

dum agunt quod modo laudatur, quamvis haudquaquam rectissimum id sit? So. Quid illud? Hosp. Quod nemo quicquam præter leges committere audeat, et quisquis audet, morte mulctetur extremisque omnibus suppliciis affligatur. Id autem est secundo loco rectissimum atque honestissimum: primo namque in loco ponendum, quod nunc est dictum. Quo autem modo evenit, quod modo secundum esse diximus, declaremus. visne? So. Et maxime quidem. Hosp. Veniamus iterum ad imagines, quibus regios principes semper comparare necesse est. So. Quas imagines inquis? Hosp. Generosum inquam navis gubernatorem, multisque aliis æquivalentem medicum. consideremus jam, figuram aliquam in his fingentes. So. Qualem? Hosp. Talem quandam, [298] perinde ac si omnes existimaremus ab illis gravia quædam pati, quasi quos nostrum servare utique volunt, servent: quos contra perdere, perdant, dum secant, urunt, et instituto quasi quodam tributo mercedem referunt: cumque multa cogant expendere, nihil aut parum admodum pro ægrotante erogant, reliquis autem ipsi familiaresque utuntur: demum acceptis pecuniis vel a cognatis vel ab inimicis ægrotantis ipsius mori eum cogunt. Gubernatores quoque alia quædam hujus generis permulta patrare dicuntur: quasi homines sæpe ex insidiis in recessibus quibusdam solos destitutosque relinquant et offensionibus erroribusque in pelago factis, in mare illos ejiciant, in aliisque nonnullis lædant. fingamus itaque nos his causis lacessitos consulere, quo pacto auctoritatem his artibus auferamus, ne libere ulterius aut servis hominibus aut liberis dominentur: propterea que cœtu facto nos ipsos concurrere, et vel omnem populum convocare vel divites tantum: ubi etiam rudium hominum et artificum aliorum de navigio morbisque consilium audiatur, quo pacto medelis instrumentis medicorum erga ægrotos uti oporteat: item navibus et earum instrumentis ad navigandum, periculaque procellarum et fluctuum devitanda, et piratarum insidias evadendo, ac etiam si mari longis navibus adversus similes sit pugnandum, qua ratione uti his deceat. fingamus item nos his de rebus sententias turbæ vel medicorum quorundam gubernatorumque, vel rudium aliquorum de his consultantium, in publicis quibusdam tabulis columnisque inscribere, et mores quosdam ritusque non scriptos, tanquam patrios, constituere, adeo ut reliquum omne tempus ad horum normam navigandum sit atque medendum. So. Mira quædam finxisti. Hosp. Præterea quotannis populi principes constituere, sive ex divitibus sive ex omni populo sorte electos, qui secundum scriptas institutiones et naves gubernent et ægrotantibus medeantur. So. Hæc superioribus quoque duriora videntur. Hosp. Videamus præterea, quod hinc sequitur. Cum annui magistratus cujusque tempus exactum fuerit, necesse erit constituto judicio aut ex electis divitibus, aut per sortem ex universo [299] populo, in id arcessere viros magistratibus functos, eosque corrigere: adeo ut liceat volenti cuilibet actiones illorum præteritas improbare, quasi aliter quam leges jubeant et patria consuetudo doceat, aut naves gubernaverint aut ægros curaverint; et qui aliter fecisse deprehendentur, lata sententia vel supplicio vel alio quodam detrimento a judicibus damnabuntur. So. Nonne quicunque magistratus ejusmodi sponte suspiciet, merito quodvis supplicium damnumve patietur? Hosp. Ad hæc insuper legem ferre oportebit: si quis præter scriptas constitutiones navigandi rationem aliquam inferat, vel valitudinis naturam circa ventos et calores et frigora perscrutetur, et circa hæc ingenio suo philosophetur et doceat, primo quidem hunc neque gubernatorem esse neque medicum nominandum, sed curiosum quendam delirumque Sophistam: deinde posse a quolibet in judicium trahi, quasi juniores alios corrumpat, suadeatque gubernatoriam et medicinam præter legum instituta tractare, suoque arbitratu naves morbosque curare; ac si præter leges juvenibus

Digitized by Google

aut senibus persuadere quicquam reperiatur, extremis suppliciis affici. neque enim oportere quicquam legibus sapientius esse. neque enim illum ignorare aut medicinæ sanitatisque naturam, aut gubernandi navigandique optimam rationem, quippe cum volenti cuilibet liceat scripta moresque perdiscere. Si hæc ita contingant circa scientias, quas narravimus, aliasque permultas, ut secundum præscripta potius quam secundum artem agatur, quid dicemus, o Socrates? utputa si idem constituatur circa rem militarem omnemque venationem, picturam quoque et universam imitationem, architecturam et omnem instrumentorum suppellectiliumque effectionem, agriculturam atque omnem arborum curam, et equorum armentorumque omnium custodiam, vaticiniumque et varium ministrorum obsequium, talorum ludum, arithmeticam nudam, vel eam quæ circa planum aut profundum aut velocitatem tarditatemque versatur. So. Dicemus plane quod, si ita se res haberent, artes omnes funditus subverterentur neque deinceps renascerentur unquam ob hanc ipsam legem, quæ rerum novarum indagationem vetat. Quamobrem vita, quæ nunc difficilis est, tunc prorsus [300] intolerabilis fieret. Hosp. Quid ad hoc? si secundum præscriptas leges fieri singula cogeremus, legibusque ipsis præficeremus virum quendam, vel consensu populi designatum vel sorte creatum, qui spretis legibus, aut lucri causa aut propriæ libidinis gratia, alia quædam præter hæc, quæ sunt instituta, cum ignarus sit, agere tentet: nonne hoc priori malo deterius? So. Maxime. Hosp. Etenim quisquis imperitus audet præter leges illas agere, quæ multa peritia latæ sunt a consultoribus his, qui gratiose consultantes populo, leges eas accipere persuaserunt, scelus committit superiori peccato longe deterius, ac multo magis, quam scriptæ leges, officia vitæ confundit atque pervertit. So. Magnopere. Hosp. Quapropter secundo loco præstat, ut hi, qui aliqua de re leges conscribunt, neminem permittant aliquid unquam præter illas efficere, sive unus istud sive populus aggrediatur. So. Scite. Hosp. Nonne imitationes quædam veritatis singulorum hæc erunt, quæ ab intelligentibus, quod fieri potest, conscripta fuerunt? So. Nihil obstat. Hosp. Atqui, si recordamur, civilem revera hominem atque peritum in superioribus diximus multa sæpe arte facturum præter instituta, quæ antea scripserat, quotiens potiora quædam iis, quæ reliquit absentibus, invenisse putaverit. So. Diximus procul dubio. Hosp. Nonne quisquis aut vir unus aut populus, cui leges præscriptæ sunt, præter eas aliud quiddam tanquam melius aggreditur, idem pro viribus, quod verus ille civilis vir, agit? So. Summopere. Hosp. Si qui igitur imperiti id agerent, imitari quidem verum ipsum anniterentur, perverse tamen imitarentur. Si qui autem periti idem contenderent, haud amplius imitatio hoc, sed ipsum illud verissimum esset. So. Omnino. Hosp. Enimvero supra id inter nos convenit, artem nullam multis competere. So. Convenit certe. Hosp. Ergo si ars quædam regia facultas est, turba divitum et populus omnis nunquam civilem hanc scientiam nanciscetur. So. Nunquam. Hosp. Oportet itaque res publicas ejuscemodi, si quando veram illam gubernationem unius viri arte imperantis pro viribus [301] imitaturæ sunt, nunquam aliquid præter scriptas leges moresque patrios aggredi. So. Egregie locutus es. Hosp. Quando illam divites imitantur, rem publicam ipsam optimatum gubernationem vocamus: quando vero leges pro nihilo habent, paucorum potentiam. So. Apparet. Hosp. Quin etiam quotiens unus dominatur secundum leges scientem illum imitatus, regem vocamus, non distinguentes nomine illum, qui scientia solus imperat, ab eo qui opinione secundum leges solus etiam dominatur. So. Ita videmur. Hosp. Nonne igitur si unus vera scientia præditus imperat, idem nomen, hoc est regium, habet, nec alio cognomento significatur? Nam ex quinque nominibus gubernationum civilium, quas narravi-

Digitized by Google

mus, unum solum hoc erat. So. Videtur. Hosp. Quid porro? quotiens neque ex lege neque ex more quispiam dominatur, et quasi sciens simulat hoc ultra leges agi oportere atque præstare, inest autem libido quædam et ignorantia, dux imitationis ejusmodi, an non vir talis tyrannus est appellandus? So. Et maxime quidem. Hosp. Hac ratione rex exstitit, ut diximus, et tyrannus, paucorum potentia, optimatum gubernatio, nec non popularis administratio, cum ægre ferrent homines unius imperium, diffiderentque virum talem reperiri aliquando posse tanto imperio dignum, qui et possit et velit virtute et scientia imperare sancte et juste suum cuique jus tribuere: timerentque præterea, ne forte vir unus licentiam nactus quemlibet pro libidine læderet et opprimeret atque necaret: quoniam si talis quidam, qualem figuravimus, nobis occurreret, amaretur profecto ejus administratio, quæ sola omnium rectissima est conducitque ad bene beateque vivendum. So. Sane. Hosp. Nunc autem, postquam non nascitur rex talis in civitatibus, qualis inter apum examina, statim a principio tam corporis quam animi habitu ceteros antecellens, necesse est, cœtu consultantium facto instituta conscribere, vestigiaque verissimæ rei publicæ illius percurrere. So. Sic apparet. Hosp. Et miramur, o Socrates, quod in gubernationibus hujusce modi mala eveniant venturaque sint, eo jacto fundamento, quod non scientia, sed in scriptis quibusdam institutionibus moribusque agere cogimur? Nulli sane dubium est, quin istis aliis quasdam gubernatio vel civitas uteas, [302] omnia quæ ita fiunt, sint funditus eversura. Illud autem mirum potius videri debet, quam robusta ex natura sit civitas. nam nunc civitates nonnullæ sic diu infectæ permanent nihilominus neque corruunt: multæ tamen navium instar submersæ perierunt, pereunt atque peribunt, ob gubernatorum nautarumque improbitatem, qui in rebus maximis extrema quadam ignorantia detinentur; quoniam cum rerum civilium prorsus ignari sint, in iis tamen sapere summopere arbitrantur. So. Vera loqueris. Hosp. Cum igitur omnes non recte res publicæ sint ad convivendum difficiles, videndum, quæ levior, quæve omnium onerosissima. etsi minus ad id, de quo nunc agimus, pertinere videtur: veruntamen ad universum forte respicientes cuncta hujus gratia faciemus. So. Ita prorsus agendum. Hosp. E tribus unam atque eandem facillimam simul et difficillimam ferunt. So. Qui istuc ais? Hosp. Non aliter quam supra tetigerim, tres scilicet esse primum civiles gubernationes, unius, paucorum atque multorum, superiorem sermonem amplificans. So. Erant et supra. Hosp. Singulis autem in duas divisis sex efficiamus, rectamque ipsam ut septimam ab aliis secernamus. So. Quo pacto? Hosp. Unius principatum in regnum et tyrannidem distribuimus. Dominationem vero, quæ non multis competit, in speciem unam, quæ laudanda est, optimatum scilicet gubernationem: alteram, quæ vituperanda, paucorum potentiam. At multorum administrationem tunc simplicem posuimus, popularem gubernationem denominantes: nunc rursus et hanc duplicem esse dicamus. So. Qua ratione hanc dividemus? Hosp. Non alia, quam reliqua: etiamsi nomen hujus sit geminum. Verum tam huic quam aliis commune hoc est, ut vel leges servent vel transgrediantur. So. Est utique Hosp. Tunc sane rectam gubernationem quærentibus partitio hæc nequaquam expediebat, ut supra monstravimus. postquam vero illam segregavimus, ceteraque veluti necessarias introduximus, in his jam legis servatio et transgressio singulas bifariam partiuntur. So. Ita videtur ex eo, qui nunc est dictus, sermone. Hosp. Unius igitur dominatio, bonis conjuncta conscriptionibus, quas leges vocavimus, omnium sex optima est: legum expers dura est, et subjectis omnium onerosissima. [303] So. Apparet. Hosp. Gubernationem vero, in qua non multi communicant, quoad utraque spectat, mediam censere debemus, quemadmodum quod pau-

Digitized by Google

cum est, inter unum multave medium obtinet: ceterum multorum administrationem secundum omnia debilem, utpote quæ ad alias comparata nihil magnum, sive bonum valeat sive malum, propterea quod magistratus ad exigua redacti sunt in multosque divisi. Quapropter legitimarum omnium rerum publicarum hæc deterrima est: iniquarum optima. Ac si omnes intemperatæ sint, in populari præstet vivere: si temperatæ omnes, minime omnium in ista vivendum. In prima vero vitam agere potissimum est atque optimum, excepta septima. Illam namque ab omnibus aliis gubernationibus, non aliter quam ab hominibus Deum, secernere decet. So. Videntur hæc ita fieri atque contingere: et, ut inquis, agendum. Hosp. Nonne et omnes harum rerum publicarum administratores præter scitum prudentis rei publicæ principem segregare decet, utpote qui non sint re vera civiles, verum seditiosi, simulacrorumque ingentium præsides, eorumque persimiles, imitatores maximi, maximique præstigiatores, sophistarumque sophistæ? So. Cognomentum hoc iis, qui civiles dicuntur, competere jure videtur. Hosp. Jam tandem ab arte civili Centaurorum illam Satyrorumque choream vix separavimus, quam supra cernere nos dicebamus et a civili separandam arbitrabamur. So. Videtur. Hosp. His præterea durius quiddam restat, quod eo difficilius a rege discernitur, quo illi est natura conjunctius: ideoque idem nobis, quod aurum effodientibus, contigisse videtur. So. Quemadmodum? Hosp. Terram et lapides aliaque permulta ab illo primum artifices separant: supersunt autem post hæc cognatiora quædam auro pretiosioraque commixta, igni solo ab auro secernenda, æs, argentum, quandoque etiam adamas: quæ vix tandem facto ad ignem examine segregantur permittuntque, aurum purum atque sincerum in se ipso discerni. So. Ita de iis fertur. Hosp. Eadem ratione et nos nunc videmur a civili scientia aliena et longinqua admodum separasse: honoranda vero et proxima reliquisse. quorum ex numero est præfectura exercitus, judicialis [304] prætura, oratoria dignitas cum regia auctoritate communicans, dum quod justum est, persuadet, et cum illa publicas res gubernat: quæ modo quodam facile segregans quispiam nudum ac solum illum, quem quærimus, nobis ostendet. So. Haud dubium est, hoc omni studio experiundum. Hosp. Experientiæ quidem causa patefiet: per musicam vero demonstrare ipsum aggrediamur. ac mihi dicas. So. Quid dicam? Hosp. An est disciplina nobis aliqua musicæ artiumve, quæ manuum ministerio opus peragunt? So. Est. Hosp. Utrum dicemus circa hæc omnia scientiam aliquam esse, quæ doceat, quæ artium discenda sit, quæ minime? So. Esse plane dicemus. Hosp. Nonne hanc ab aliis esse diversam? So. Et hoc. Hosp. Utrum ipsarum nullam alteri dominari, an huic illas, an potius hanc omnium procuratricem aliis præsidere atque aliis utique imperare dicemus eam, quæ de singulis artibus, quæ discendæ sunt, quæ non discendæ, dijudicat? Et docenti igitur et discenti imperare illam asseris? So. Prorsus. Hosp. Et eam, quæ judicat persuadendumne sit an non, illi quæ persuadere potest? So. Quidni? Hosp. Persuasionem illam, quæ ad turbam fit per confabulationem quandam exhortationemque potius quam doctrinam, cui potissimum scientiæ tribuemus? So. Constat, oratoriæ tribuendam esse. Hosp. Cujus artis officium dicimus, judicare utrum vi an persuasione uti, et in quibus et ad quos uti deceat? So. Ejus, quæ persuadendi dicendique peritiæ dominatur. Hosp. Est autem ea, ut arbitror, alia nulla præter civilis hominis facultatem. So. Præclare. Hosp. Sic ergo statim oratoria a civili distincta videtur, ut alia quædam species, civili nihilominus serviens. So. Certe. Hosp. Quid insuper de hac potentia cogitandum? So. Qua? Hosp. Qua pugnamus adversus eos, quibus bellum indiximus. num artificiosam hanc an artis expertem esse dicemus? So.

Digitized by Google

Quisnam artis expertes præfecturæ reique militaris omnis actiones dixerit? Hosp. Facultatem vero illam, quæ consultando prudenter deliberare potest, quibuscum bellum gerendum sit vel pax ineunda, nunquid ab ea diversam an eandem cum illa putabimus? So. Diversam: si in superioribus stamus. [305] Hosp. Nonne, si superiorum rationem sequimur, hanc quæ de bello consultat, illi quæ bellum gerit, dominari dicemus? So. Et istud. Hosp. Quam vero potissimum facultatem vere, præter regiam civilium disciplinam, tam amplissimæ potentissimæque arti, rei scilicet militari universe imperare dicemus? So. Nullam prorsus aliam. Hosp. Scientiam igitur eorum, qui ducunt exercitus, cum obediat et serviat alteri, haudquaquam civilem ipsam esse scientiam affirmabimus. So. Haud sane deceret. Hosp. Age jam prætorum, qui juste singula judicant, potentiam cogitemus. So. Cogitemus. Hosp. Nunquid ultra commerciorum jura legitima auctoritas illius extenditur, ut circa hæc consideret quid justum, quid non, et ad normam legum, quas rex ipse condidit, respiciens, de singulis judicet, propria virtute semper adhibita, per quam neque muneribus neque minis neque commiserationibus neque odio neque amore leges transgrediantur et præter jus alternas causas dirimant? So. Non aliud certe, quam nunc abs te dictum, judicis est officium. Hosp. Constat itaque, vim judicum non esse regiam majestatem, immo et legum custodiam, regisque pedissequam. So. Apparet. Hosp. Quisquis artes, quas memoravimus, cunctas consideraverit, cogitare debet earum nullam esse civilem, quam quærimus, disciplinam: quippe cum regiæ majestatis officium sit, non ut ipsa quidem agat, sed ut agere potentibus imperet, cognoscatque principum atque progressum eorum, quæ in civitate sunt maxima, quidve decorum et opportunum sit, quid contra: alias vero facultates jussa capessere et mandata transigere. So. Optime. Hosp. Quamobrem artes illæ, quas modo narravimus, cum neque suiipsarum neque invicem dominæ sint, sed singulæ propriis quibusdam incumbant operibus, merito ex actionibus propriis propria sortitæ sunt nomina. So. Apparet. Hosp. Eam vero, quæ cunctis his præsidet, legumque et omnium, quæ in civitate sunt, curam habet omniaque contexit, merito communi appellatione comprehendentes civilem scientiam nuncupabimus. So. Omnino. Hosp. Nunquid in præsentia secundum textoriæ facultatis exemplum illam percurrere volumus, postquam omnia, quæ in civitate sunt, genera patefecimus? So. Maxime. Hosp. Declarandum deinceps, ut videtur, quæ [306] sit complexio regia, et qua ratione complicet texatque, qualemque texturam nobis efficiat. So. Sic est. Hosp. Res quidem demonstratu difficilis: sed, quoniam necessaria visa est, pro viribus declaranda videtur. Quod enim virtutis pars a specie virtutis dissentiat, facile potest adversus multorum opinionem a contentiosis hominibus probari. So. Haud intelligo. Hosp. Sic forte intelliges. Fortitudinem arbitrari te puto partem aliquam virtutis esse. So. Penitus. Hosp. Temperantiam autem a fortitudine esse diversam, esse tamen ejusdem partem, cujus est fortitudo. So. Ita. Hosp. Mirum quendam de his sermonem proferre audendum. So. Quem? Hosp. Quod duo hæc quodammodo multis in rebus sibi invicem plurimum adversantur. So. Qua ratione id ais? Hosp. Inauditum hoc: siquidem partes virtutis omnes mutua invicem amicitia vinciri dicuntur. So. Utique. Hosp. Consideremus itaque diligenter, utrum hoc ita simplex sit, an differentiam horum maximam in cognatis quodammodo habeat. So. Nempe. sed dicas, ubi considerandum. Hosp. In omnibus, quæcunque pulchra vocamus: et ad duas inter se contrarias species ea referimus. So. Dic apertius aliquid. Hosp. Laudastine unquam aut alium laudantem audisti acumen velocitatemque vel corporum vel animorum vel vocum, sive horum ipsorum, seu etiam simulacrorum, quæ-

Digitized by Google

cunque vel musica vel pictura efficit imitando? So. Sæpenumero. Hosp. Recordaris, quomodo illa in unoquoque istorum laudant? So. Minime. Hosp. An ita hæc, ut intelligo, explicare verbis potero? So. Quid prohibet? Hosp. Facile hoc existimare videris: quare ipsum in generibus subcontrariis cogitemus. Quotiens admiramur actionum multarum velocitatem, vehementiam, acumen, tum cogitationis, tum corporis, tum etiam vocis, una quadam laudis appellatione uti solemus, nomine fortitudinis semper adhibito. So. Quo pacto? Hosp. Acutum dicimus et forte, velox et forte, vehemens et forte: hasque naturas communi fortitudinis nomine laudare solemus. So. Profecto. Hosp. Nonne etiam quietæ generationis speciem [307] in multis actionibus sæpe laudavimus? So. Valde. Hosp. Nonne contrariis in hac atque in illis laudibus utimur? So. Quemadmodum? Hosp. Quieta hæc sunt, sæpe dicimus, et temperata, et hæc circa cogitationem amamus laudamusque: circa actiones tarda et mollia: circa voces levia atque gravia, et omnem rhythmicum numerosumque motum omnemque musam opportuna tarditate utentem: hisque omnibus moderationis nomen, non fortitudinis adhibemus. So. Vera nimium loqueris. Hosp. At quotiens opportunitatem ista non servant, contra mutatis nominibus vituperamus. So. Qui? Hosp. Cum acutiora fiunt velocioraque, et asperiora sive duriora, quam opportunitas exigit, dicimus contumeliosa, petulantia, furiosa: cum vero graviora tardioraque et molliora fiunt, timida ineptaque dicimus et ignava: atque ut plurimum horum temperantiæque naturam et fortitudinem, contrariorum utpote hostiles ideas, et in se invicem seditiosas inveniemus: nec invicem in actionibus, quæ circa talia versantur, commixtas esse: neque eos insuper, quorum hæc in animis insunt, inter se consentire, sed discrepare potius, si diligenter investigabimus. So. Qui istuc ais? Hosp. In iis, inquam, omnibus, quæ retulimus: quin et in aliis, ut consentaneum est, permultis. nam cum utrique pro naturæ suæ convenientia partim res ut proprias suasque laudent, partim alienas ut extraneas reprobent, in multis denique adversarii inter se vehementes evadunt. So. Videntur. Hosp. Altercatio hæc specierum talium in quibusdam ludus quidam est: in maximis autem rebus morbus fit omnium civitati gravissimus. So. Qualibus in rebus inquis? Hosp. In omni, ut consentaneum est, constitutione vivendi. Nam qui ceteris modestia præstant, vitæ tranquillitati student, sua semper privatim agentes, pacis avidi concordiæque, tam erga homines alienos quam erga concives et proprios. Atque hujus amoris excessu fit, ut dum suis privatim incumbunt operibus, clam et ipsi imbelles enervatique reddantur, et juniores suo exemplo demolliant et effeminent. unde invadentibus quibuslibet expositi sunt: ac brevi ipsi natique et patria omnis, [308] clam amissa libertate, succumbunt. So. Durum valde morbum gravemque narrasti. Hosp. Qui vero ad fortitudinem magis, quam oporteat, declinantes bellicosam vitam vehementer affectant, hi sæpe patrias suas ad bellum provocant et hortantur: atque ita gentes plurimas et potentes suis infensas civibus reddunt. quapropter vel funditus civitates suas evertunt, vel imprudenter in hostium redigunt servitutem. So. Sic quoque accidit. Hosp. Ergo quis neget, in his hæc utraque sibi invicem plurimum adversari? So. Nemo utique. Hosp. An non quod ab initio quærebamus, nunc invenimus? quod videlicet partes virtutis quædam non parvæ natura et ipsæ secum pugnant, et habentes eas discrepare inter se plurimum faciunt? So. Apparet. Hosp. Hoc itidem assumamus. So. Quidnam? Hosp. Utrum scientia aliqua ex his, quarum actio in componendo versatur, opus aliquod suum vel vilissimum sponte ex malis simul et bonis quibusdam construit? An potius omnis scientia prava semper pro viribus abjicit, apta vero et utilia captat? ex his autem partim similibus, partim dissimilibus, omnibus in unum

Digitized by Google

collatis, unam quandam vim ideamque conflat? So. Istud potius. Hosp. Nunquam igitur vera secundum naturam civilium rerum peritia ex malis bonisve hominibus civitatem ullam sponte constituet: immo disciplina unumquemque primum examinabit: factoque examine, idem postea munus committet illis, qui in eruriendo ipsi subministrare valeant: quibus ipse sic sedulo præsidebit mandabitque, ut textoria ars carminatoribus ceterisque lanificii præparatoribus præsidet, talia præcipiens singulis, qualia ad texturam suam conducere arbitratur. So. Ita prorsus. Hosp. Eadem ratione regia majestas mihi videtur omnibus legem sequentibus eruditoribus educatoribusque præsidens, id dumtaxat ut exerceant docentque permittere, quod ad ipsius seriem attinens mores decoros inducit: eos autem, qui mores fortitudinis et temperantiæ ceterarumque virtutum assequi [309] nequeunt, sed pravitate naturæ ad impietatem, petulantiam injustitiamque raptantur, ex cœtu civium ejicit exsilioque et morte et extremo opprobrio damnat. So. Ita quodammodo traditur. Hosp. Ignaros autem pusillanimesque homunculos servili ministerio subjugat. So. Scite admodum. Hosp. Ceteros autem, quorum naturæ ad generosum habitum per disciplinam evehi possunt arteque mutuam invicem commixtionem suscipere, servat atque tutatur. harum vero illas, quæ magis ad fortitudinem vergunt, staminis vicem propter solidum morem tenere censet: illas autem, quæ ad modestiam, mollis pinguisque materiæ, ac secundum imaginem vicem habere subtegminis cocci coloris vel flosculi: atqui utrasque in contraria natura tendentes hoc modo vincire invicem et contexere nititur. So. Quo? Hosp. Primo quidem secundum cognationis naturam animæ ipsorum partem, quæ sempiternæ generationis est, divino vinculo nectit: post divinam autem illam, quæ animalis naturæ est, humanis. So. Quomodo istud? Hosp. Quotiens in animis fit vera stabilisque opinio de pulchris, justisque, bonis, horumve contrariis, divinam illam in genere demonico, id est scito atque felici, fieri assero. So. Decet sane. Hosp. Scimusne oportere civilem virum ac bonum latorem legum solum posse regia musa hoc illis inserere, qui rectæ disciplinæ, ut decet, participes sunt, quosve modo commemoravimus? So. Consentaneum id quoque. Hosp. Qui vero id facere, o Socrates, nequit, nominibus modo quæsitis appellari non debet. So. Non certe. Hosp. An non fortis animus, si veritatis hujusmodi sit particeps, mansuescit, atque ita maxime juste inter alios vivere et agere cupit? sin autem omnino sit expers, ad ferinam naturam delabitur? So. Procul dubio. Hosp. Atqui et modestus natura animus opinionibus illis imbutus, re vera temperans moderatusque, adeo ut rei publicæ utilis sit, efficitur: vacuus autem turpem stoliditatis ignaviæque reportat infamiam. So. Valde. Hosp. Nonne dicendum est, complicationem vinculumque hujusmodi inter malos ac malos, seu bonos et malos, nunquam indissolubile permanere? neque scientiam ullam hoc ad ejusmodi homines vinciendos de industria uti? So. Utique. Hosp. Illis [310] autem, quos generosis moribus natura donavit et ad naturæ normam educavit consuetudo, solis hoc a lege tribuitur: idque in his artificiosum quiddam pharmacum et remedium est, et hac ratione illa ipsa, quam supra diximus, partium virtutis natura contrariarum pugnantiumque conciliatio divinior conficitur. So. Vera hæc sunt. Hosp. Cum divinum hoc vinculum constet exstetque, facile et inveniri et perfici humana vincula possunt. So. Qua ratione? et quæ potissimum? Hosp. Conjugia inquam maris et feminæ ad filiorum procreationem. plurimi enim circa hæc tum accipiendo tum dando aberrant. So. Quamobrem? Hosp. Divitiarum quidem potentiarumque studia in rebus hujusmodi quisnam ut existimatione digna damnare contendat? So. Nullus. Hosp. De illis autem, quibus genus curæ est, loqui præstat, si quid forte præter modum agant. So. Æquum est. Hosp. Agunt autem

Digitized by Google

nulla quidem ratione recta, præsentem voluptatem secuti, et quatenus suis similibus delectantur, dissimilibus vero minime, eatenus difficultati plurimum tribuunt. So. Quo pacto? Hosp. Modesti siquidem homines mores sui similes quærunt, et, quoad possunt, cum talibus tam dando quam accipiendo matrimonium ineunt. fortes quoque natura simile sibi genus adsciscunt: cum oporteret contra omnino ab utrisque his generibus fieri. So. Quomodo? et quam ob causam? Hosp. Quoniam fortis naturæ hæc est conditio, ut in multis generationibus expers temperantiæ permanens principio sit robustior, tandem vero in furorem versa deficiat. So. Convenit. Hosp. Rursus anima pudore abundans, audacia vero fortitudinis undique carens, si per multas similiter generationes transeat, segnior fit quam decet, ac demum extremo quodam torpore submergitur. So. Id quoque ita contingere convenit. Hosp. His, ut diximus, ligamentis vincire utraque hominum genera facile possumus, hoc exstante ut utraque opinionem de bonis et pulchris eandem habeant. Hoc autem unum et integrum regiæ texturæ est opus, ut nunquam moderatos mores seorsim a fortibus esse permittat; sed utraque ingenia contexens invicem per opinionis ejusdem consensionem, per honores vituperationesque, per alterna conjugia, telam ex his levem [311] optimeque contextam efficiat, hisque communiter semper civiles magistratus muneraque committat. So. Quo pacto? Hosp. Ubi unius sufficiet gubernatio, hominem præditum moribus utrisque præficiet: ubi pluribus opus erit, utriusque generis partes aliquas commiscebit. Temperatorum enim principum mores cauti admodum et justi et salutares, acri vero promptitudine et vehementia quadam ad agendum idonea indigent. So. Ita de his quoque videtur. Hosp. Fortitudo autem in cautione et justitia illis cedit: in rebus agendis plurimum antecellit. Neque vero possunt in civitate omnia bene agi privatim et publice, nisi ambo hæc adsint. So. Non certe. Hosp. Finem igitur civilis actionis recta plicatione contextum tunc exstare dicamus, quando fortium et temperantium ingenia concordia amicitiaque concilians communem illorum efficit vitam: qui sane contextus præclarissimus omnium est et optimus, aliosque insuper omnes in civitate tam servos quam liberos protegens et complectens, hac textura serieque comprehendit: atque ita dominatur et præsidet civitati, ut nihil prætermittat eorum, quæ, quoad fieri potest, beatam efficiunt civitatem. So. Profecto nobis, Hospes, regium ipsum civilemque virum egregie definisti.

Digitized by Google

CONVIVIUM.

APOLLODORUS, FAMILIARIS APOLLODORI, GLAUCO, ARISTODEMUS, SOCRATES, AGATHO, PHÆDRUS, PAUSANIAS, ERYXIMACHUS, ARISTOPHANES, DIOTIMA, ALCIBIADES.

[172] VIDEOR mihi in his, quæ petitis, satis præmeditatus esse. heri enim, cum domo ex Phalero in urbem redirem, quidam mihi notus a tergo me aspiciens, eminus vocavit: et inter vocandum jocatus, O Phaleree, inquit, Apollodore, cur non exspectas? Ego autem exspectavi. Tum ille: Quærebam te modo, audire cupiens, qui de amore sermones habiti sunt in ea cœna, ad quam Agathon, Socrates, Alcibiades nonnullique alii convenerunt. Retulit quidem mihi et alius quidam, qui a Phœnice Philippi filio audiverat, addiditque te scire. verum nihil certi ea de re afferre poterat. Quare tu mihi referas. tua enim interest, sermones amici tui narrare. Id autem primum dicas, ipse affuisti, cum disputarent, an non? Re vera, inquam, certi nihil retulisse tibi ille videtur, si quidem convenisse illos invicem nuper existimas, ut ego interesse potuerim. Existimabam equidem, inquit ille. Tum ego: Undenam istud audieras vel conjectabas? Nescis, o Glaucon, multis jam annis huc Agathonem non accessisse? Ex eo vero tempore, quo cum Socrate versari assidue cœpi, ejusque tum dicta tum facta diligentius observare, nondum tres anni fluxere. Antea vero, quocunque [173] contingebat, oberrans, existimansque aliquid agere, omnium miserrimus eram: perinde ac tu nunc, qui quodlibet agendum censes potius quam philosophandum. Ne mordeas, inquit ille: sed quo in tempore convivium celebratum est, enarra. Ad hæc inquam, Dum pueri adhuc essemus, in primo tragœdiæ certamine victoriam reportavit Agathon: sequenti autem die post palmam sacraque victoriæ gratia celebrata, parato convivio disputatio instituta fuit. GLAU. Longum certe id tempus. sed quis tibi narravit? nunquid ipse Socrates? APOL. Non per Jovem: immo idem, qui et Phœnici, Aristodemus quidam Cydatheneus, qui exiguo corpore erat et nudis semper pedibus ibat. interfuit enim disputationi: quippe qui maxime omnium, qui tunc erant, Socratem, ut mihi videtur, amaret. Quin etiam Socratem ipsum de nonnullis, quæ ille retulerat, percontatus sum; qui in referendo cum illo consentiebat. GLAU. Cur ergo mihi non refers? apta quidem via est, quæ ducit in urbem, et ad audiendum pariter et ad dicendum. APOL. Sic itaque inter eundum de illis verba fecimus. quapropter, quemadmodum a principio dixi, in his rebus satis præmeditatus sum. Quod si iterum vobis recenseri hæc vultis, iterum recensebo. nam quotiens vel ipse de philosophia sermonem habeo vel dicentes alios au-

Digitized by Google

dio, prætèr id, quod prodesse mihi id putem, mirifice lætor. quotiens autem sermones alios audio, vestros præsertim, qui cumulandis pecuniis studetis semper, et ipse angor et vestri misereor, quod efficere aliquid existimetis, cum nihil efficiatis. Forte etiam vos me infelicem putatis, quos et ipse de me vera putare arbitror: ego autem vos non puto quidem, sed certo scio. Fa. Semper, Apollodore, æque tibi ipsi et aliis detrahis, ac videris procul dubio te quidem inprimis, deinde alios omnes præter unum Socratem infelices putare. unde vero insani cognomen tibi exortum sit, nescio. semper enim loquendo te et alios improbas, Socratem unum probas. Apol. O dilectissime vir, ex eo insanire et delirare me constat, quod ita de me ac vobis existimem. Fa. De his in præsentia contendere, Apollodore, nequaquam decet: sed precibus nostris obsequere, et, qui sermones illi fuerint, nobis exponc. Apol. Tales utique illi fuerunt. immo vero a principio, eodem ordine, quo Aristodemus retulit, [174] vobis ipse nunc recensere conabor. Inquit enim, Socratem offendisse et lotum et calceis pedes ornatum, quæ ille raro efficiebat: eumque interrogasse, quonam ita ornatus incederet. cui respondisse Socratem, Agathonis domum cœnatum: hesternam vero cœnam vitasse, quod turbæ propter Agathonis palmam concursum veritus esset: promisisse autem, sequenti die se affuturum. ea vero de causa se ornasse, ut pulcher ad pulchrum iret. quæsisse insuper, Quonam pacto tu, Aristodeme, ad cœnam proficisceris non vocatus? Ari. Ut tu jusseris. So. Sequere me, ut proverbium transgrediamur, illud in hunc modum mutantes, quod ad bonorum hominum cœnas boni homines etiam non invitati proficiscuntur. Homerus quidem videtur non modo non observare, sed et violare proverbium. nam cum Agamemnonem in re militari strenuum virum finxisset, Menelaum vero mollem: convivium celebrante post sacrificium Agamemnone, Menelaum induxit ultro ad mensam Agamemnonis venientem. ubi deteriorem ad præstantioris viri mensam non arcessitum venire fecit. Ari. Forte et ipse, o Socrates, non talis, qualem tu inquis, sed quemadmodum induxit Homerus, vilis homunculus ad sapientis viri convivium ultro venire videbor. Cum ergo me ducas, vide, quam adventus mei rationem assignes. ego enim me sponte venire non confitebor, sed abs te invitatum dicam. So. In ipso itinere, quid dicturi simus, invicem consultabimus. sed eamus jam. His dictis inquit Aristodemus ire cœpisse: et Socratem cogitabundum lento nimis passu gradientem exspectasse sæpius, tandem jussisse Socratem, ut præiret. Cum vero ædibus Agathonis appropinquaret, apertam januam invenisse, et aliquid ibi contigisse ridiculum. inquit enim, quod in ipso limine famulus quidam intrinsecus occurrens intro, ubi accumbebant alii, ipsum duxit, quos jam cœnaturos reperit. Eumque ut vidit Agathon, O Aristodeme, ait, opportune venisti, ut nobiscum cœnes. si vero aliud quicquam vis, in aliud tempus differas. equidem heri te quærens, invitaturus te, nusquam vidi. Sed cur Socratem ad nos non ducis? Ego quidem, inquit Aristodemus, retro conversus, nusquam vidi, respondique Agathoni: Equidem cum illo veni, ab eo vocatus huc ad cœnam. Aga. Recte fecisti: sed ubinam Socrates? Ari. Post me modo [175] paulo ante accedebat. quare ipse quoque admiror, et ubi sit nescio. Aga. Quære Socratem, puer, et ad nos introducas. tu autem, Aristodeme, juxta Eryximachum accumbe. Heus tu, dato huic manibus aquam, ut jam sedeat. Tunc ingressum puerum quendam nuntiasse dicebat Aristodemus, Socratem ipsum in vestibulum proximum secessisse, et arcessitum ingredi nolle. Aga. Absurdum quiddam narras. voca iterum, neque dimittas, quousque venerit. Ari. Non sic, o Agathon, sed mittite illum. mos enim Socratis iste: nonnunquam desistens, ubicunque accidit, consistere solet. veniet autem cito, ut arbitror. ne turbetis ipsum, sed suo arbitratu venire permittite. Aga. Ita,

Digitized by Google

si tibi videtur, agendum est. ceterum vos, ô pueri, aliis epulas afferte, et, quodcunque habet, apponite: vobis siquidem nullus præsidet. Id equidem nunquam feci. quapropter existimantes nunc me una cum aliis convivio a vobis exceptum, curate omnia diligenter, ut vestram operam comprobemus. Post hæc, addebat Aristodemus, cœnare eos cœpisse: et Socratem, Agathonis jussu sæpe vocatum, non prius intrasse, quam aliquantum se more suo exercuisset; mediaque in cœna venisse. Ad quem Agathonem, qui ultimus sedebat et solus, ita dixisse: Hic, Socrates, prope me sede, ut te tangens sapienti illa sententia fruar, quam in vestibulis excogitasti. constat enim, invenisse illam te atque habere. alioquin tam diu non restitisses. Sedisse itaque Socratem, atque dixisse: Bene se res nostræ haberent, Agathon, si sapientia talis esset, ut in vacuum hominem ex plenlore ipso contactu profluceret, quemadmodum aqua ex pleno calice in vacuum per lanam influens. Si enim sapientia ita se habet, permulti facio, quod apud te sedeo. repleri quippe abs te uberrima et præclara sapientia puto. Mea siquidem tenuis est et ambigua, insomnii cujusdam instar: tua vero luculenta admodum atque præpollens, utpote quæ in adolescentia tua heri in conspectu plus quam triginta millium Græcorum tam clare emicuit et effulsit. Aga. Contumeliosus es, o Socrates. atqui hæc postea de sapientia ego ac tu dijudicabimus, Dionysio judice: nunc autem cœna. [176] Post hæc, inquit Aristodemus, Socrate simul et aliis discumbentibus, libare invicem et degustare vina sacrificantium ritu, Deumque cantare cœpisse, et alia quædam, ut mos est, facientes, ad potum se convertisse. Unde Pausaniam ita locutum: Videndum est, o viri, quo pacto levius suaviusque bibamus. nam ut de me inprimis verum fatear, gravatum adhuc hesterno mero me sentio et intermissione quadam indigeo. opinor quoque et plurimos vestrum similiter affectos esse: heri enim affuistis. Considerate itaque, quomodo levius salubriusque bibemus. Cui mox Aristophanem respondisse: Scite loqueris, Pausania, potui moderationem quandam adhibendam esse. ego quoque ex his sum, qui heri ingurgitarunt. Cum hæc audisset Eryximachus Acumeni filius, ait: Probe dicitis; atque hoc insuper a vobis audire desidero, quantum bibendo valeat Agathon. Aga. Minime quidem. confert id sane nobis, mihi, inquam, et Aristodemo et Phædro atque his aliis, quod vos, qui ad bibendum valetis plurimum, nunc tanquam bibendo defessi prohibeatis. nos enim semper imbecilles, excepto Socrate, qui ad utrumque idoneus est. quocirca, quodcunque agamus, illi sat erit. Ery. Postquam præsentium nullus ingurgitare mihi velle videtur, forte, si vera de ebrietate dixero, minus ero molestus. Id siquidem ex medicinæ peritia apud me constat, grave quiddam esse hominibus ebrietatem. nec enim sponte supervacuo bibere unquam vellem, nec alteri consulerem, præsertim si quis hesterno mero adhuc fetet. Huic Phædrum Myrrinusium dixisse, Aristodemus inquit: Equidem semper tibi fidem habui, in medicina præsertim: nunc similiter, modo ceteri quoque consentiant. Hæc cum audissent, omnes concessisse inquit, non ad ebrietatem in præsenti convivio, sed ad voluptatem esse bibendum. Tum Eryximachus: Postquam visum est, in cujusque arbitrio fore, quantum bibat, neminem vero supra quam velit cogi, quod restat exponam. Tibicinam, quæ modo ingressa est, abigendam puto, sibi ipsi tibia personantem, vel, si velit, mulieribus, quæ sunt intus. nos autem confabulari invicem debere hodie judico. qui vero esse sermones nostri debeant, si vultis, aperiam. Ad hæc [177] omnes explicare jusserunt. Eryximachus deinde, Mei, inquit, sermonis exordium secundum Euripidis Melanippen erit. neque enim mea fabula est, quam inceptarus sum, sed Phædri. Phædrus iste mecum sæpe conqueritur, absurdum quiddam asserens, quod, cum in ceteros Deos cantilenas et hymnos poëtæ finxerint, in Amo-

Digitized by Google

rem tamen, tantum talemve Deum, nullus unquam ex tot poëtis laudem aliquam scripserit. atqui si vis, inquit, o Eryximache, quærere, invenies profecto Sophistas disertos soluta oratione Herculem aliosque laudasse, quemadmodum peritissimus Prodicus. quamquam hoc minus alicui mirum videri debet: sed ego legi quandoque sapientis viri librum, in quo sal ad victus utilitatem miris laudibus extollebat: aliaque hujus generis multa reperire licet laudibus celebrata. In his itaque studiose versari, Amorem vero, tantum deum, a nullo adhuc in hunc usque diem pro dignitate laudari, sed usque contemni, cui non gravissimum videtur? Mihi quidem oratio hæc Phædri vera videtur. Quare et huic munus id conferre gratificarique cupio: et Deum hunc honorari a nobis decens esse censeo. Quod si et vobis videtur, congrua disputatio inter nos orietur, laudandum quippe Amorem ab unoquoque nostrum pro viribus arbitror ad dexteram alterum alios deinceps aliis succedendo. incipiat autem Phædrus, cum et primus sedeat et hujus sit sermonis inventor. Tum Socrates, Nullus tibi, o Eryximache, repugnaret. ego enim qui istuc renuerem, cum nihil præter amatoria scire profitear? nec etiam Agathon et Pausanias adversabuntur, et Aristophanes multo minus, cujus omne studium circa Dionysium Veneremque versatur; nec alius ullus eorum, quos nunc intueor. Quanquam non æqua sors nobis obtigit, qui extremi discumbimus. nam si priores scite abundeque dixerint, sat nobis erit. Verum Phædrus felicibus auspiciis jam exordiatur, Amoremque honoret. His omnes, quæ Socrates dixerat, assensere, similiterque jusserunt. [176] Singula vero singulorum dicta nec Aristodemus memoria tenebat; nec ego, quæ ille recensuit, singula teneo. eorum igitur orationem vobis nunc referam, qui memoratu digna dixerunt. Principio dixerunt Phædrum hunc in modum exorsum fuisse. Magnus Deus est Amor, et apud Deos hominesque mirandus, eum propter alia multa, tum maxime propter ejus originem. cum enim ex antiquissimorum Deorum numero sit, honore dignus apparet. Id autem ex eo constat, quod parentes Amoris a nullo vel poëta vel alio quovis descripti sunt. Sed Hesiodus principio Chaos exstitisse his verbis asserit: *Terra ampla stabilisque semper omnium sedes, atque Amor:* post Chaos videlicet asserens duo hæc exstitisse, Terram atque Amorem. Parmenides autem de generatione illius inquit: *Ante Deos omnes primum generavit Amorem.* Acusileus quoque cum Hesiodo sentire videtur. Atque ita passim, Amorem ex antiquissimis esse, conceditur. Cum vero talis sit, maximorum bonorum nobis est causa. Nam quid mĕlius accidere possit adolescenti quam optimus amator; aut amatori, quam amatus optimus, non invenio. Duo quidem sunt, quæ a pueritia per omnem vitam ducere illum debent, qui sit præclare victurus: in rebus turpibus verecundia, honestis studium. hæc autem nobis neque genus neque divitiæ neque honores præstare citius ac melius quam amor possunt. neque absque his duobus aut civitas unquam aut privatus præclarum aliquid et magnificum perficere poterit. Assero equidem amatorem, si turpe aliquid agere vel pati ab aliquo per ignaviam nec repugnare et ulcisci deprehendatur seu a patre sive ab amicis sive ab alio quovis homine, haud tam vehementer angi quam si forte ab amato deprehenderetur. Similiter adolescentem tunc maxime erubescere cernimus, cum amator eum turpe quid committentem offendit. Si quo pacto fieri civitas vel exercitus posset partim ex his, qui amant, partim ex his, qui amantur; supra quam dici possit, fortiter agerent administrarentque singula, dum per verecundiam a turpibus abstinerent et ad honesta, quasi quadam æmulatione, contenderent: [179] talesque homines vel pauci numero universos, ut ita dixerim, homines prælio superarent. amator sane vel deserere ordinem vel arma abjicere coram amato, vehementius quam coram cunctis aliis hominibus erubesceret. immo

Digitized by Google

obire sæpenumero mallet quam dilectum derelinquere et in periculis non succurrere. Nec ullus adeo ignavus est, quem Amor non inflammet et ad virtutem divinum reddat, ut viro fortissimo par evadat. Etenim, quod Homerus inquit, vim furoremque a Deo quibusdam heroum inspiratum, hoc Amor amantibus efficit. Quin etiam pro alio mori amantes soli eligunt, non viri tantum, sed etiam mulieres. cujus sermonis testimonium Græcis Alceste, Pelii filia, manifestum exhibuit, quæ sola elegit pro viro suo perire, cum tamen et pater et mater illi adesset: quos illa propter amorem caritate adeo superavit, ut eos extraneos et nomine duntaxat filio suo conjunctos esse monstraret. Quod quidem facinus tam præclarum non tantum ab hominibus, verum etiam a Diis est judicatum, ut cum e multis, qui multa et egregia gesserant, Dii reviviscendi munus paucis admodum et præstantissimis tribuissent, hanc ab inferis continuo suscitarint, tam egregio facinore delectati. tanti studium virtutemque circa amorem Dii æstimant. Orpheum vero, Iagri filium, voti impotem ex inferis emiserunt. neque enim feminam, cujus gratia descenderat, restituere, sed illius phantasma monstrarunt: cum non auderet, ut Alceste, amoris gratia mori, sed, utpote citharœdus, mollitie quadam absterreretur, et machinamenta quædam excogitaret, quibus vivens ad inferna descenderet. cujus delicti pœnas eum pendere decreverunt, jusseruntque a feminis lacerari. Achillem autem, Thetidis filium, honorarunt et in beatorum insulas miserunt, quia, cum accepisset a matre, si Hectorem occidisset, statim sibi moriendum fore: sin minus, in patriam se redi-turum et senem denique moriturum: audacter elegit pro Patroclo amatore suo pugnare ejusque mortem ulcisci; [180] nec pro illo mori solum, sed et perempto illo interfici. quod quidem magnopere probantes Dii, insigni eum gloria decorarunt, quia tanti amatorem suum fecisset. Æschylus plane delirat, cum Patroclum ab Achille dicit amatum, qui non Patroclo tantum, verum etiam cunctis heroibus forma præstabat, eratque adhuc imberbis, multoque natu minor, ut inquit Homerus. Revera virtutem hanc in amore Dii plurimi faciunt: vehementius autem admirantur delectanturque, ac majora beneficia conferunt, quando amatus amatorem tutatur et diligit, quam cum amator amatum. Divinior enim est amator amato, cum divino furore sit raptus. Quamobrem Achillem magis quam Alcestem honorarunt: illum quippe in beatorum insulas transmiserunt. Ex his omnibus Amorem assero Deorum omnium antiquissimum atque summopere venerandum, et maxime omnium ad virtutem et beatitudinem consequendam hominibus, tam viventibus quam defunctis, conducere. Talem fuisse sermonem Phædri narravit: post Phædrum vero alios quosdam fuisse locutos, sed e memoria excidisse. eos igitur prætermittens, hanc, quam modo referam, orationem Pausaniæ retulit: Videtur mihi, Phædre, haud satis recte sermo ille nobis esse propositus, quo Amorem simpliciter laudare jubemur. nam si unus esset Amor, probe dictum fuisset. cum vero non unus sit dumtaxat, satius eum prius, qui sit laudandus, exprimere. hoc itaque emendare conabor. Primo enim, quem Amorem laudare deceat, explicabo: deinde pro Dei istius dignitate extollere nitar. Neminem profecto latet, absque Amore Venerem nunquam esse. quare, si una esset Venus, unus et Amor. Quoniam vero duæ sunt Veneres, geminum quoque Amorem esse necesse est. Geminam autem Deam hanc esse, quis neget? nonne una quædam antiquior est et sine matre Venus, Cœlo nata, quam cœlestem Venerem nuncupamus? altera vero junior, e Jove et Dione progenita, quam vulgarem communemque vocamus? Necessarium itaque, Amorem, Veneris illius comitem, cœlestem vocari; hujus vero vulgarem. Laudare quidem Deos omnes decet; sed utriusque Amoris opera distinguenda. Actionis cujuslibet hæc est conditio, ut suapte natura [181] neque honesta sit neque turpis: ut ea, quæ nunc nos

Digitized by Google

agimus, bibere, canere, disputare. nullum ex his se ipso turpe vel honestum: sed agendi modus actioni certum tribuit cognomentum. quod enim bene recteque agitur, honestum; quod non recte, turpe resultat. Eadem ratione non quilibet amor et quivis amandi modus honestus est et laudandus: immo ille solus, qui honeste amare nos exhortatur. Etenim vulgaris communisque Veneris amor revera est et ipse vulgaris, et, quodcunque contingit, peragit. Atque is est, quo pravi abjectique homines amant. amant porro feminas non minus quam masculos, et corpora magis quam animos, et sine mente homines potius quam prudentes. ad explendum sane desiderium inhiant: honeste vero, necne, expleant, omnino non curant. Quo fit, ut, quodcunque sors illis offert, exsequantur, et bonum similiter atque malum. affectus enim hujusmodi a Venere illa juniore et utriusque sexus in generatione participe profluit. Amor autem, qui cœlestem sequitur Venerem, quæ non feminei, sed masculi tantum sexus in generatione est particeps, ipse quoque genus respicit masculum: deinde, quoniam antiquioris Veneris pudicæque est comes, et ipse petulantiæ omnis est expers. Quocirca quicunque amore hoc inspirati sunt, genus masculum, natura robustius et generosius et mentis magis particeps, diligunt. et qui amore hoc sincere perfecteque sunt rapti, ex hoc perspicue dignoscuntur, quod pueros non amant, sed adolescentes, cum mente valere jam cœperint: hujusmodi vero genus exercendæ menti propinquius est, ad eamque exercendam familiaritas inter illos initur. parati enim sunt, arbitror, qui sic amare incipiunt, per omnem vitam simul et communiter vivere, neque amatum decipere, neque ab uno in alterum amandum abire: neque enim pueros adhuc mentis expertes amant, quos deinde exoletos irrideant et relinquant. Oporteret autem legibus institutum esse, ne quis pueros amet, ne in re ambigua frustra tantum studium poneretur. incertum enim est, quo aut corpus aut anima puerorum, tam secundum virtutem quam secundum vitium, postremo deveniat. Probi quidem viri legem hanc sibi ipsi sponte præponunt. oportet quoque eidem legi vulgares amatores, adhibita necessitate, subjicere: quemadmodum illos pro viribus amare mulieres liberas prohibemus. [182] hi nanque sunt, qui in turpissima quæque labuntur. unde orta est illorum sententia, qui turpe aiunt amatoribus obsequi. hi vero de vulgaribus amatoribus ista loquuntur, quia importunitatem injustitiamque illorum agnoscunt et improbant. nihil autem, quod modeste et legitime fit, vituperare decet. Lex utique de amore, in civitatibus aliis instituta, intellectu facilis est, quoniam simpliciter traditur: apud nos autem et Lacedæmonios varia exstat. In Elide namque et apud Bœotios, et ubi dicendi arte homines carent, simpliciter lege statutum est, morem amantibus esse gerendum: nec apud eos quisquam aut juvenis aut senex turpe id prædicaret. Quod quidem ea de causa ab illis arbitror esse factum, ne in persuadendis adolescentibus elaborandum illis esset, utpote qui ad orandum inepti sunt. In Ionia vero et apud alios multos, qui barbaris subjecti sunt, omnino turpe hoc lege censetur. nam inter barbaros quidem propter tyrannides turpe istud habetur, et sapientiæ præterea atque gymnasticæ studium. neque enim tyrannis conducunt ea studia, quæ subditorum mentes acutas generosasque reddunt, quæve amicitias inter eos indissolubiles societatesque frequentes pariunt: quæ cum ab illis, tum vel maxime ab amore gigni consueverunt. Hoc autem ipso eventu tyranni nostri didicerunt. nam Aristogitonis amor et Harmodii amicitia confirmata illorum tyrannidem dissipavit. Atque ita ubicunque amoris indulgentia funditus sublata est, pravitate illorum, qui leges condiderunt, est vetita, principum quidem iniquitate et violentia, subditorum ignavia. ubi vero penitus permissa est, propter eorum, qui sic statuerunt, secordiam et segnitiem est permissa. His vero multo rectius est institutum: sed, ut dicebam,

Digitized by Google

non facile cognitu. Concedi plane videtur, si quis animadvertat, quod dicitur præclarius esse palam amare quam clanculum, eosque præcipue, qui generosi et optimi sunt, etiamsi minus formosi quam alii videantur. Favet quoque amatori quamplurimum communis omnium cohortatio, quasi nihil turpe aggrediatur. nam communiter, si quis amatum capiat, pulchrum quiddam videtur: si non capiat, turpe. Et lex ad amatum sibi conciliandum amatori mira quædam machinamenta concedit, laudarique permittit: quæ si quis aliquando cujusvis gratia tentare auderet, [183] maximas apud philosophos vituperationes incurreret. Si quis enim accipiendæ ab aliquo pecuniæ vel magistratus, potentiæ gratia, aggrediatur illa, quæ erga amatos amantes, passim occurrat, supplex oret, obtestetur, ad fores noctu jaceat, et sedula quadam observantia serviat, et in omnibus obsequatur, quæ servus aliquis agere nec vellet nec etiam cogeretur, ab inimicis pariter et amicis jurgabitur. illi adulationes servilesque assentationes vituperabunt: isti corripient, eosque servitutis amici sui pudebit. Amator autem dum ista facit, gratiam adipiscitur, et, quasi præclarum aliquid agat, a lege absque ulla infamiæ nota facere ista permittitur. Quodve permaximum est, vulgo fertur, quod solis amatoris perjuriis Dii dant veniam. Venereum quippe jusjurandum nihil valere aiunt. itaque tam Dii quam homines omnem amanti licentiam præstiterunt, ut lex nostra testatur. Si ad ista, quæ dicta sunt, respiciamus, præclarissimum quiddam in hac civitate existimari videbitur, quod quis amet, quodve amanti amatus indulgeat. si rursus ea, quæ dicam, animadvertamus, turpissimum hoc apud nos haberi putabimus. Nam parentes pædagogis filios commendant, qui amatos cum amantibus loqui prohibeant, socii quoque et æquales, quotiens tale quid vident, vituperant: eosque, dum talia carpunt, senes non reprehendunt neque eos, quasi errent, corripiunt. Quapropter ita hoc habere se arbitror, ut ipsum secundum se, sicut a principio dictum est, neque honestum sit neque turpe. neque enim simplex est: sed recte factum honestum; contra turpe. Turpe quidem est pravo ac turpiter obsequi: honestum vero bono atque honeste. Pravus autem est amator ille vulgaris, qui corpus magis quam animum amat. neque stabilis est, cum rem sequatur minime stabilem. nam cum primum corporis species, quam cupierat, deflorescit, abit, nihil eorum, quæ promiserat, servans. Bonorum vero morum amator per omnem vitam in amicitia perseverat, utpote qui rem stabilem sectabatur. Istos utique [184] nostra lex diligenter examinare præcipit, et his morem gerere, illos fugere. et hos quidem sequi jubet, illos fugere, dijudicans et examinans, quæ quis amet et quæ in quovis amentur. Atque hanc ob causam primum facile citoque capi turpe censetur; ut tempus intercedat, quod ad examinandos mores exigitur. deinde aut pecuniarum copia aut magistratuum potentia capi absurdum: sive timore quodam potius quam voluntate irretiatur; sive acceptis pecuniis civilibusque muneribus acquisitis non contemnat. nihil enim ex iis solidum firmumque esse videtur, præter id quod ab iis amicitia generosa oriri nequit. Una itaque secundum legem nostram via restat, qua amati amantibus jure gratificari possint. Etenim quemadmodum apud nos de amantibus lex illa relata est, qua dicitur nullum voluntarium amatoris in amatum obsequium adulatorium et infame putandum: sic et alia quædam secundum legem voluntaria servitus restat, quæ infamiam nullam subit. hæc autem est, quæ circa virtutem versatur. Nam nostris legibus est institutum, si quis velit aliquem colere, putans per illum vel in sapientia quadam vel in alia quavis parte virtutis proficere, hanc rursus voluntariam servitutem neque dedecori servienti fore, neque adulationem vocari debere. Oportet autem has leges in idem conducere, illam scilicet de amatoribus et hanc de philosophia aliaque virtute conscriptam, si ulla ratione contingere debet, ut deceat amatos

Digitized by Google

amatoribus obsequi. Quotiens enim in idem concurrunt amator atque amatus, utrique legem habentes, hic quidem obsecuturis amatis juste in omnibus ministrare servireque paratus, ille rursus scientiæ morumque præceptori suo juste in singulis pariturus; et hic quidem ad sapientiam aliasque virtutes conferre potens; ille autem eruditione et sapientia indigens: tunc sane in unum his legibus concurrentibus duntaxat evenit, ut honestum sit amatos amatoribus morem gerere; alias autem nullo modo. in hoc utique falli turpe non est: in aliis autem omnibus obsequium hujuscemodi turpe censetur, sive obsequentem fallat opinio sive non fallat. Si [185] quis enim amatori tanquam diviti divitiarum causa gratificatus fallitur, neque voti compos efficitur, cum pauper sit amator, nihilominus vituperatur. videtur enim hic servilem animi sui habitum ostendisse, quod pecuniarum gratia in singulis rebus cuivis serviret: quod quidem minime est honestum. Eadem ratione, si quis tanquam bono gratificatus, ipse hac consuetudine sperans evadere melior, fallitur, cum ille pravus esse deprehendatur, honesta quædam deceptio est. nam videtur affectum suum demonstrasse paratum ad omnia ministeria virtutis consequendæ gratia toleranda. quod sane præclarissimum judicatur: hac itaque ratione virtutis aviditate gratificari atque servire semper honestum. Hic autem est ipsius cœlestis Deæ amor, cœlestis et ipse: qui tam privatim quam publice pretiosus est, et amantem periter atque amatum virtutis curam studiumque suscipere cogit. ceteri vero amores Veneris vulgaris sunt comites. Hæc in præsentia, o Phædre, velut ex tempore de Amore vobiscum confero. Cum Pausanias pausam, id est, finem, dicendi fecisset, (sic enim alludere vocabulo sapientes me docent) oportere inquit Aristodemus Aristophanem dicere: verum singultu vel propter repletionem vel propter aliam causam contingente impeditum fuisse. Quocirca ad Eryximachum medicum continuo post ipsum sedentem ita locutum: O Eryximache, tua tunc interest aut singultum reprimere aut pro me loqui, donec cesset. Ad quæ Eryximachum respondisse, Utramque efficiam. Equidem vicem tuam sumens pro te dicam: tu vero pro me, postquam singultus abierit. Interim dum ipse loquor, si vis aliquamdiu spiritum cohibere, singultus cessabit: si minus id placet, saltem aqua multa intus allue fauces: et si forte vehemens est, nares commode stimula, ut sternutatio irritetur. nam si id semel aut bis feceris, etiamsi frequentissimus sit, tolletur. Antequam finem dicendi feceris, inquit Aristophanes, quæ jubes, efficiam. Eryximachum igitur ita locutum. Necessarium mihi videtur, postquam Pausanias recte [186] exorsus finem imposuit minus sufficientem, quod deest a me nunc impleri. Distinctionem quidem illam, qua in duo distributus est Amor, approbo. Verum nostra hac medicinæ arte comperisse mihi videor non solum animis hominum erga pulchros Amorem inesse; verum etiam ad alia multa atque in aliis tum corporibus animalium omnium, tum his quæ ex terra nascuntur, ac denique in omnibus, ut ita dixerim, quæ in rerum natura consistunt: magnum quoque atque mirabilem hunc Deum per omnia tam humana quam divina latissime se porrigere. A medicinæ peritia primo exemplum capiam, ut artem meam venerer. Corporum sane natura Amorem hunc geminum continet. quod enim in corporibus nostris bene valet et quod male, aliud atque dissimile esse constat: quod vero dissimile est, dissimilia cupit et amat. Alius ergo, qui in sano corpore, amor; alius, qui in ægroto. et ut paulo ante Pausanias asserebat temperatis hominibus gratificandum esse, intemperatis vero nequaquam: ita et in ipsis corporibus bonis quidem sanisque obsequendum est, in quo maxime ratio medicinæ consistit; malis autem ægrotisque minime, si modo artificiosus quis velit medicus esse. Est autem, ut summatim dicam, medicina scientia, qua amatorii affectus corporis quoad repletionem evacuationemve noscuntur: et,

Digitized by Google

quisquis pulchrum et deformem in his amorem discernit, is est medicus peritissimus: quive ita permutare hæc potest, ut pro altero amore nascatur alter, aut quibus abest amor, adesse autem oportet, immittere valet, et insitum extirpare, eruditus est artifex. Posse autem oportet, quæ in corpore inimica maxime sunt, conciliare, et amorem illis inserere mutuum. Inimica vero maxime sunt, quæ contraria maxime, frigidum calido, amarum dulci, humido siccum, ceteraque hujusmodi. Cum amorem his mutuum concordiamque inserere sciret noster ille progenitor Æsculapius, ut hi poëtæ testantur, quibus et ipse credo; artem nostram composuit. Medicina itaque omnis ea ratione, qua loquor, ab hoc Deo gubernatur. Similiter quoque agricultura atque gymnastica. [187] quod autem eadem sit et de musica ratio, perspicuum esse cuivis potest, qui vel paulisper advertit. Quod Heraclitus forsitan sentit, verbis tamen parum explicat. *Unum quidem*, inquit, *secum ipse discrepans convenire, ut harmonia arcus et lyræ*. Atqui absurdum dictum est, harmoniam discrepare atque ex discrepantibus, quamdiu dissonant, esse: sed hoc forte significare volebat, quod ex his, quæ prius discrepabant, gravi scilicet et acuto, deinde per artem musicam consonantibus harmonia conficitur. Nunquam enim ex gravi et acuto, dum discrepant, harmonia conflatur. harmonia namque concentus est: concentus vero concordia quædam. concordia autem ex discrepantibus, donec discrepant, fieri nunquam potest. quod vero discrepat neque est concors, concinere nequit: quemadmodum rhythmus ex veloci et tardo, antea discrepantibus, postea vero concinentibus, constituitur. et quemadmodum humoribus medicina concordiam, ita vocibus musica consonantiam tribuens, amorem consensumque mutuum gignit. atqui est et musica scientia circa harmoniam et rhythmum, affectus amatorios virosque dijudicans. Sane in ipsa harmoniæ et rhythmi compositione vis amatoria facile percipi potest. verum geminus amor nondum hic distinguitur: sed tunc demum, cum ad alios rhythmo et harmonia est utendum, vel fingendo, quam melodiæ fictionem vocant; vel utendo recte his, quæ facta sunt, melodiis et metris, quam disciplinam nominant. ubi difficilis observatio est, et perito est opus artifice. Huc jam superior ille sermo revertitur, quod videlicet modestis hominibus et his, qui nondum satis modesti sunt, ut fiant, gratificandum, horumque servandus est amor. Atque hic est decorus ipse et cœlestis Uraniæ Musæ amor: Polymniæ vero Musæ vulgaris: cui summa cautione indulgendum est, ut voluptatem quidem homines hauriant, incontinentiam vero devitent. sicut in arte nostra arduum est cupiditatibus, quæ ad suaves coquorum epulas nos alliciunt, recte uti, adeo ut absque bonæ valetudinis detrimento suaviter his vescamur. Quamobrem et in musica et in medicina et in aliis omnibus, tam humanis quam divinis, utrumque amorem, qui omnibus inest, pro viribus observare debemus. [188] Quin etiam anni temporum constitutio utrisque his plena est. nam quotiens illa, quæ modo dicebam, calida et frigida, sicca et humida, congruum inter se sortiuntur amorem et harmoniam temperiemque opportunam suscipiunt, salubrem et fertilem annum hominibus, animantibus omnibus atque plantis afferunt, neque quicquam lædunt. contra vero cum petulans et contumeliosus Amor in anni temporibus prævalet, injuria multa corrumpit. Pestes siquidem ex his oriri consueverunt, aliique morbi permulti et varii brutis ac plantis innasci. quoniam pruina, glacies, grando segetumque rubigines et putredines ex immoderato et excedente qualitatum amore proveniunt: horumque et cœli motus et anni temporum scientia Astronomia vocata est. Præterea sacrificia omnia, et illa, quibus vaticinium præest, communiones videlicet Deorum hominumque invicem, circa nihil aliud versantur, quam amoris curationem atque custodiam. omnia enim impietas tunc accidit, quando quis modesto amori haud indulget, nec

Digitized by Google

illum honorans in omnibus veneratur, sed circa amorem alterum pervagatur, nec officio congrue erga parentes vivos et defunctos et erga Deos utitur. hos amores discernere atque curare vaticinii propositum est. Est insuper vaticinium amicitiæ inter Deos et homines opifex, ex eo quod intelligit, qui potissimum ex humanis amoribus fas aut nefas attingit. Atque ita multam et amplam, immo vero omnem vim summatim quidem omnis continet amor: sed qui circa bona cum temperantia et justitia tam erga nos quam erga Deos versatur, vim summam habet omnemque nobis beatitudinem exhibet. nam et nos invicem communi vita concliat, et Diis humana natura præstantioribus amicos efficit. Forte et ipse multa, quæ ad laudandum Amorem pertinent, prætermitto: neque sponte tamen. quod autem deest, tuum est, Aristophanes, adimplere: vel si aliter hunc Deum honorare vis, honora, cum singultus ipse cessaverit. [189] Ari. Jam sedatus est: non tamen prius, quam sternutamento repressissem. quo fit, ut admirer, si congrua corporis affectio hujuscemodi strepitu et titillatione indiget, qualis est sternutatio. hæc enim mox expulit. Ery. Vide, o bone Aristophanes, quid agas. risum contra te moves, dum alios irrides, cum jam dicturus sis, et observatorem me fieri cogis sermonis tui, si quid forte ridendum protuleris: cum tibi loqui secure liceat. Ari. Probe loqueris, Eryximache. sint ista mihi non dicta: ne nobis insidieris obsecro. neque enim vereor, ne quid, quod risum moveat, in medium afferam: (hoc enim Musæ nostræ lucrum propriumque esset) sed ne deridenda proferam, timeo. Ery. Emisso in nos jaculo, Aristophanes, aufugere speras. at mentem dicendis adhibe, tanquam rationem dictorum omnium redditurus. forte vero, si videbitur, te dimittam. Aliter de Amore, quam tu et Pausanias, loqui cogito. mihi plane videntur homines Amoris vim omnino hactenus ignorasse. nam si eam nossent, delubra illi insignia, aras et hostias dedicarent: quorum nihil his temporibus agitur, cum erga illum maxime omnium observare hæc deceat. Est enim præ ceteris Diis summopere generi humano beneficus, curator et tutor hominum atque medicus, quibus sanatis summam genus nostrum felicitatem nanciscereturi. Conabor itaque vim illius vobis exponere. vos autem, quæ a me hodie percipitis, alios deinde docebitis. Oportet imprimis, qualis hominum quondam natura fuerit quæve illius passiones, animadvertere. neque enim qualis nunc est, olim erat, sed longe diversa. Principio tria hominum erant genera, non solum quæ nunc duo, mas et femina: verum etiam tertium quoddam aderat, ex utrisque compositum, cujus solum nobis restat nomen, ipsum periit. Androgynum quippe tunc erat et specie et nomine, ex maris et feminæ sexu commixtum. ipsum profecto defecit, nomen solum infame relictum. Præterea tota cujusque hominis species erat rotunda, dorsum et latera circum habens, manus quatuor totidemque crura, vultus item duos tereti cervice connexos [190] et omnino consimiles. caput utrisque vultibus contra versis unum, aures quatuor, genitalia duo, et alia singula, ut ex his quisque convenienter excogitare potest. Incedebat hoc tunc et rectus, ut nunc, in utram vellet partem: et quotiens celerius ire contenderet, instar eorum qui prono capite crura sursum circumferentes circularem choream exercent, tunc octo membris innixus celeri circulo ferebatur. Ob hanc vero causam tria genera et talia erant, quia masculum Sole genitum erat; femina Terra; promiscuum denique Luna. utriusque enim Luna est particeps. Sphærica vero erant et figura et motu, quia parentum similia. unde et robusto corpore et elato animo erant. quare cum Diis pugnare tentabant et in cœlum ascendere, quemadmodum de Ephialte et Oto scribit Homerus. Juppiter igitur unaque Dii ceteri, quid agendum esset, consultaverunt. qua in re non parva inerat ambiguitas. nam neque fulminare homines illos ut gigantes placebat: exstincto enim hominum genere humanus

Digitized by Google

Deorum cultus veneratioque periret: neque in tanta insolentia perseverare illos permittendum censebant. Tandem sententiam Juppiter suam explicuit. Inveni, inquit, qua ratione fieri possit, ut et sint homines et modestiores sint: idque erit, si imbecilliores fiant. Unumquemque nunc duas in partes dividam. ex quo et debiliores erunt, et nobis etiam magis id conducit: numero siquidem plures erunt, qui nos colent. recti duobus cruribus ibunt. quod si rursus impie insurgere videantur, iterum in duo secabo, ut unico crure nixi, utpote claudi, saltare cogantur. Hæc fatus, bifariam partitus est singulos, instar eorum qui ova dividunt, ut sale condiant, vel qui capillo ova secant. mandavitque Apollini, ut partitione statim facta cujusque vultum cervicisque dimidium in eam partem, qua sectus esset, verteret, ut scissionem suam considerans modestior fieret: reliquis autem mederi jussit. Ille continuo vultum vertit, et contrahens undique cutem in eum, qui nunc venter vocatur, tanquam contracta marsupia, et os unum faciens, medio in ventre ligavit. quem quidem nexum umbilicum vocant. Et alias quidem rugas [191] maxima ex parte lævigavit, pectoraque articulatim distinxit, instrumento quodam tali utens, quali coriarii, cum corii rugas super pedis formulam poliunt: nonnullas vero circa medium ventrem umbilicumque reliquit, ut quasi cicatrices quædam passionem nobis veterem semper repræsentarent. Postquam natura hominum ita divisa fuit, cum quisque dimidium sui agnitum cuperet, inter se concurrebant, circumjactisque brachiis se invicem complectebantur, conflari in unum affectantes. unde fame et torpore deficiebant, eo quod nunquam sejungebantur. et cum dimidium unum moriebatur restabatque alterum; quod supererat, rursus aliud adsciscebat, similiterque congrediebatur: sive solius cujusdam totiusque feminæ dimidium esset, quam feminam nunc vocamus, seu viri. Atque ita genus hominum deperibat. Quocirca miseratus Juppiter remedium aliud excogitavit: permutavit genitalia, et, quæ prius retro erant, ad anteriores partes transtulit. Antea siquidem, cum ad nates hæc haberent, non invicem, sed in terram spargentes semina cicadarum instar concipiebant atque generabant. Cum vero ad anteriora transposuisset, per hæc generationem in se invicem fecit expleri, per masculum quidem in femina: hac de causa, ut si in amplexu vir feminæ commisceretur, genita prole speciem hominum propagarent; sin autem masculo masculus, satietate ab amplexu amoverentur et ad res gerendas conversi victum curarent. Hinc utique ex illo tempore mutuus hominibus innatus est amor, priscæ naturæ conciliator, annitens unum ex duobus efficere hominumque naturæ mederi. Est igitur quisque nostrum dimidium hominis, utpote sectus, quemadmodum pisciculi, qui Psettæ vocantur, scissi ex uno duo efficiuntur. quærit autem sui quisque dimidium. Quamobrem quicunque ex viris promiscui generis portio sunt, quod olim Androgynum vocabatur, mulierosi sunt, adulteriaque ut plurimum ex his patrantur. ex hoc sane genere mœchi ducunt originem. Rursus quæcunque mulieres virorum cupidæ mœchæque sunt, hac stirpe nascuntur. quæ vero mulieres mulieris pars exsistunt, haud multum viros desiderant, sed feminas magis affectant: atque hinc feminæ, quæ feminas cupiunt, nascuntur. At vero qui maris portio sunt, mares sequuntur. at dum pueri sunt, utpote qui maris particula sunt, viros diligunt virorumque familiaritate assidua congressuque [192] gaudent. hique sunt puerorum adolescentulorumque omnium generosissimi, quippe qui natura præ ceteris omnibus sunt viriles. Hos quidam impudicos falso appellant. neque enim impudentia ulla, sed generositate et fortitudine quadam mascula virilique natura hoc agunt: nam simili suo congratulantur. Hujus evidens argumentum est, quod, cum adoleverint, soli ad civilem administrationem conversi, viri præstantes evadunt, et in ætate virili constituti ipsos adolescentes diligunt; matrimonium vero

Digitized by Google

filiorumque generationem natura spernunt, nisi lege cogantur. cœlebs porro vita his placet. Omnino igitur vir talis mares diligit, amicorumque studiosus efficitur, cognato semper congratulatus. quodiens itaque dimidium suum alicui, cujuscunque sexus avidus sit, occurrit, vehementissime concitantur et obstupescunt amicitiaque et familiaritate et amore ardent; neque momentum quidem, ut ita dixerim, sejungi a se invicem patiuntur. Atque hi sunt, qui per omnem vitam amare pergunt: neque, quid potissimum a se vicissim expetant, exprimere possunt. neque enim venereus coitus id esse videtur, cujus gratia alter alterius consuetudine tantopere delectatur. aliud quiddam est profecto, quod animus utriusque cupit, nec exprimere valet, sed vaticinatur potius, et affectum insitum vestigiis signat obscruris. Atqui si una jacentibus illis superne Vulcanus suis instrumentis adstans interrogaret, Quid est, o homines, quod a vobis vicissim exigitis? et ambigentibus illis iterum percontaretur, Nunquid hoc exoptatis, in unum idemque maxime congredi, adeo ut neque die neque nocte invicem separemini? Si hoc affectatis, colliquefaciam vos confundamque in idem, ut ex duobus unum efficiamini, et tam in hac vita quam apud inferos unum semper perseveretis. videte, an hoc sit, quod ardetis, satisque futurum sit vobis, si hujus compotes efficiamini. Si ita, inquam, Vulcanus quæreret, constat, quod nemo renueret aut aliud quam hoc expetere videretur. re vera enim, quod olim cupierat, audisse se quisque putaret, congressu videlicet commixtioneque cum amato unum ex duobus confici. Hujus causa est, quia prisca hominum natura hæc erat integrique eramus. Totius itaque reficiendi cupido nixusque amoris nomen accepit. [193] olim quidem, ut supra narrabam, unum quisque nostrum erat: deinde propter injustitiam a Deo scissi fuimus, quemadmodum a Lacedæmoniis Arcades. verendum est præterea, ne, si minus modesti quam deceat in Deos simus, iterum dividamur talesque efficiamur, quales qui in columnis figurantur, nares secti, evadamus similes tenuissimorum quorundam animalium, quæ lipsæ vocantur. Sed horum gratia unumquemque decet summa pietate Deos colere, et alios ad hoc exhortari: ut hæc vitemus, adipiscamur illa: ut quemadmodum nos dux noster Amor et imperator admonet, cui nullus repugnare audeat. repugnat autem huic, qui adversatur Diis. nam si Deo reconciliati, eum propitium habuerimus, singuli dimidium suum exoptatum reperiemus et consequemur. quod quidem pauci his temporibus agunt. Neque sermonem hunc meum Eryximachus iste corripiat, quasi Pausaniam Agathonemque dicam. forte enim et isti ex his sunt, et natura ambo mares exsistunt. Assero equidem de omnibus viris ac feminis, ita demum genus nostrum fore beatum, si quando amoris impetum expleamus, et suis quisque deliciis potiatur, in antiquam naturam penitus restitutus. Si hoc felicissimum quiddam est, sequitur, ut ex iis, quæ nunc nobis tributa sunt, quod huic proximum est, id sit et optimum: hoc est, ut quilibet eos, qui natura ipsi cordi sunt, nanciscatur. Cujus utique causam Deum laudantes, Amorem jure laudare debemus, qui in præsenti tempore nos summopere juvat, dum in suum igniculum quemque conducit, et in posterum spem summam porrigit nobis Deos pie colentibus, in veterem figuram restituendo medendoque se nos beatissimos effecturum. Hic meus est, Eryximache, de Amore sermo, a tuo diversus: quem, ut supra oravi, ne carpas, ut audiamus, quid quisque reliquorum afferat, immo quid uterque. nam Agathon duntaxat et Socrates restant. ERY. Morem tibi geram. nam mihi oratio tua placet. et nisi cognovissem Socratem et Agathonem in amatoriis esse facundos, dubitassem, ne verba illis deficerent, eo quod multa variaque sunt dicta. verum adhuc illis confido. [194] So. Strenue et ipse certasti, o Eryximache. verum si in eo gradu constitutus esses, in quo nunc ego sum, immo in quo ero, cum Agathon quoque scite

Digitized by Google

dixerit, perinde ut ego nunc maxime formidares et angustiis undique præsteteris. Aga. Incantationibus circumvenire me vis, o Socrates, ut in conspectu vestro paream, quod magna apud vos tanquam in theatro de me exspectatio sit, quasi elegantissime sim dicturus. So. Nimis, o Agathon, oblivioso essem, si te nunc coram paucis trepidaturum putarem, quem heri tam fortiter tamque generose ascendisse pulpitum tragicum una cum histrionibus viderim, et sine ullo terroris motu coram tanta spectantium multitudine carminum periculum effecisse. Aga. Ne me adeo theatri studiosum ejusque favori deditum putes, ut ignorem prudenti viro paucorum sapientum magis quam multorum insipientium judicium esse verendum. So. Iniquo judicarem, Agathon, si quid in te rusticum existimarem. novi equidem, quod si in quos offenderes tuo judicio sapientes, magis eos quam vulgus curares. Sed vide, ne ipsi tales minime simus. interfuimus ibi et ipsi, vulgarium numero computati. Sin autem aliis occurreres sapientibus, ne quid in eorum conspectu inepte faceres, formidares. nunquid aliter dicis? Aga. Non: vera enim refers. So. Vulgus autem non metueres, si quid ineptum committere te putares? Phæ. O amice Agathon, si Socrati respondere pergis, nihil curabit, quomodocunque cetera hic agantur, modo habeat, quicum disputet, pulchro præsertim. equidem libenter Socratem audio disputantem: veruntamen curandum mihi est, ut Amor a singulis ordine certo laudetur. Laudate igitur et vos Deum primo: postea arbitratu vestro invicem disputabitis. Aga. Præclare loqueris, Phædre, neque me quicquam dicere prohibet, cum Socrate quidem sæpe alias disputare licebit. Ego vero nunc primum a me dicendum esse monstrabo: postea dicam. Videntur mihi, qui hactenus locuti sunt, non ipsum Deum laudasse, sed beneficia, quæ feliciter ab illo conferuntur hominibus, narravisse. qualis vero ipse sit, qui horum bonorum causa est, [195] nullus adhuc expressit. Recta autem laudandi ratio sola in omnibus illa est, qua illius, de quo agitur, natura prius ostenditur; postea, quorum causa est, declaratur. Sic et in præsentia, qualis ipse sit Amor, primum ostendere decet, deinde munera illius exponere. Assero equidem, cum Dii omnes beati sint, Amorem, si modo fas est et tolerabile dictu, esse omnium beatissimum, quippe cum pulcherrimus omnium optimusque exsistat. Quod vero pulcherrimus sit, ex eo primum patet, quod Deorum omnium maxime juvenis est. cujus ipse evidens argumentum præbet, cum senectutem fugiat, velocem videlicet, quæ citius quam oportet adveniat: eamque Amor natura odit fugitque, juvenibus vero se miscet. Scite quidem veteri proverbio fertur, simile simili semper hærere. et cum multa Phædro concedo, in hoc uno minime assentior, quod Amor Saturno et Iapeto sit antiquior: immo præ ceteris Diis juvenem esse aio semperque juvenem. prisca vero Deorum gesta, quæ Hesiodus Parmenidesque describunt, Necessitati potius quam Amori attribuenda, si modo illi vera narrarunt. neque enim castrari invicem et vinciri, aliisque violenta permulta Diis olim contigissent, si Amor illis tunc affuissent: sed benevolentia et pax summa regnasset, quemadmodum nunc, ex quo imperare Diis Amor incepit. Ergo juvenis est, et tener præterea mollisque. Opus autem est tali quodam poëta, qualis Homerus exstitit, ad teneram Amoris mollitiem demonstrandam. Hometus quidem Aten, id est Calamitatem, Deam inquit esse et mollem. utque illius pedes teneros esse ostenderet, ait nunquam pavimenta calcare, sed per capita hominum incedere. perspicua sane conjectura, quod tenera sit, usus fuisse videtur, quia per dura non graditur, sed mollia tangit. Eodem nobis utendum est argumento, quod tener sit Amor ostendere cupientibus. neque enim per terram et saxa vadit, quæ aspera sunt, sed mollissimis omnium rebus se infigit atque permanet. in animis quippe Deorum et hominum sedem suam locat. neque tamen in quibuslibet animis: nam si durum

Digitized by Google

animi offenderit habitum, aufugit; sin autem mitem mollemque, habitat. Cum itaque mollissimarum rerum mollissimas semper partes pedibus totoque tangat, teneerrimum esse Amorem necesse est. Quapropter et juvenis est et tener præ ceteris Amor. Quin etiam aquæ [196] instar liquidus est et lubricus. non enim undique per omnem animam circumfluere posset et clam influere et effluere clam, si durus ac rigidus esset. Aptæ vero, compositæ flexibilisque formæ argumento esse formositas potest, hoc est figuræ concinnitas, qua Amor omnium maxime procul dubio decoratus est. inter deformitatem porro et amorem est pugna perpetua. Coloris quoque decorem assidua inter flores habitatio hujus Dei significat. in eo siquidem, quod floribus caret aut defloruit, sive corpus sive animus seu quodvis aliud sit, Amor ipse non insidet: ubicunque vero floridus et odorifer est locus, gratissime conquiescit. De hujus Dei pulchritudine permulta insuper afferri possent: sed ista sufficiunt. Deinceps de virtute Amoris est dicendum. Quod in primis maximi faciendum est, Amor nec injuriam infert Deo vel homini; nec a Deo vel homine injuriam patitur. non enim ipse vi patitur, si quid patitur; nam violentia non tangit Amorem: neque vi facit, si quid faciat. quisque enim sponte Amori in singulis paret. quæcunque vero volens quispiam cum volente ultro contrahit, justa habentur, ut regiæ civitatis leges statuunt. Nec justitiæ solum, verum etiam summæ est temperantiæ particeps. siquidem inter omnes convenit, temperantiam esse libidinibus et voluptatibus dominari, nullamque voluptatem esse amore potentiorem. quod si voluptates omnes amore imbecilliores sunt, ab illo utique superantur, ille vero dominatur. Amor itaque, quoniam libidinibus et voluptatibus dominatur, mirum in modum est temperans. Quoad fortitudinem præterea, neque Mars quidem Amori resistit. neque enim Mars Amorem, sed Amor Veneris, ut fertur, Martem detinet. potentius autem est, quod detinet quam quod detinetur. qui vero ceterorum fortissimo dominatur, omnium absque dubio fortissimus est judicandus. De justitia igitur temperantiaque et fortitudine hujus Dei satis est dictum. De sapientia deinceps dicendum restat: quod quidem pro viribus est exsequendum. Principio, ut et ipse artem meam, perinde ac suam Eryximachus, honorem, hic Deus poëta est adeo sapiens, ut alios quoque poëtas possit efficere. quilibet enim, licet antea rudis, poëta evadit, cum primum Amor afflaverit. ex quo perspicue conjectare licet, Amorem peritum esse poëtam, omnesque summatim musicos poësis numeros continere. nam quæ nec habet aliquis neque novit, alteri dare [197] vel monstrare non potest. Quod utique per Amoris sapientiam animalia cuncta gignantur atque nascantur, quis dubitet? Artium præterea facultatem nonne ab hoc Deo tradi videmus? eumque hominem, cujus hic est præceptor, quavis in arte præcellere clarumque evadere? contra vero eum, qui ab Amore non tangitur, in obscuro jacere? Sagittandi namque, medendi et divinandi peritiam appetitu atque amore duce invenit Apollo, qui est Amoris discipulus: musicam similiter Musæ: fabricam Vulcanus ærariam: texendi artificium Minerva: Jupiter Deorum hominumque gubernationem. Quocirca res Deorum Amore incrementa dispositu sunt. Amore, inquam, pulchritudinis. deformitatem quippe non sequitur Amor. Antea vero, ut supra dicebam, permulta atque atrocia inter Deos propter Necessitatis regnum, ut dicitur, contigerunt. postquam vero Deus hic ex pulchrorum desiderio natus est, bona omnia tam ad Deos quam ad homines provenere. Ita mihi videtur, o Phædre, Amor ipse primum pulcherrimus optimusque esse, deinde talia quædam ceteris quoque largiri. Succurrit mihi in præsentia meum quiddam atque concinnum: Hic Deus est, qui *pacem* largitur *hominibus, qui mari tranquillitatem, qui ventis requiem, cubile viventibus omniumque securum.*

Digitized by Google

Hic rusticitatem a nobis amovet, hic nos familiaritate conciliat, cœtus hujusmodi omnes congregans; in solemnibus festisque diebus, in choris, in sacrificiis, dux nobis et præsidens: mansuetudinem quidem porrigens, exterminans feritatem, benevolentiæ largitor, malevolentiæ omnis expulsor: propitius, beneficus, spectandus sapientibus, Diis placidus, exoptandus expertibus, participantibus possidendus atque tenendus: deliciarum, mollium illecebrarum, gratiarum, dulcis perfusionis et desiderii pater: bonorum studiosus, malorum spretor: in labore, in timore, in desiderio, in sermone gubernator, perfectus adjutor servatorque præcipuus: cunctorum Deorum atque hominum decus et dux pulcherrimus atque optimus, quem profecto sectari debet præclarisque hymnis venerari vir quisque cantilenæ illius particeps, quam Amor ipse concinit, mentem Deorum hominumque permulcens. Hæc igitur oratio mea, Phædre, Deo devoveatur, partim jocis, partim seriis rebus pro ingenii mei facultate referta. Cum hæc Agathon dixisset, [198] quemadmodum retulit Aristodemus, convivæ omnes summo quodam applausu orationem ipsam comprobaverunt, utpote quæ, sicut et Agathone et Deo dignum erat, habita videretur. Quapropter Socrates, ad Eryximachum conversus, inquit, An non merito, o Acumeni fili, supra timuisse nunc videor, quod revera contigit, vaticinatus, quod Agathon elegantissime loqueretur, ex quo mihi verba deficerent? Ery. Unum quidem recte vaticinatum te puto, scite locuturum Agathonem: tibi vero defuturam facundiam, minime. So. Cur non et ipse, o beate, et alius quivis a dicendo absterreatur, cui post tam luculentam copiosamque orationem sit loquendum? et cetera quidem, quamvis apte composita, non adeo miranda videntur: elegantiam vero nominum atque verborum, qua in orationis calce est usus, si quis animadverterit, protinus obstupescet. quandoquidem et ipse cum intelligerem, non posse me eloquentia prope accedere, parum abfuit, quin verecundia motus hinc alio, si quo licuisset, abirem. Etenim Gorgiæ me sermo admonuit, quod illud mihi Homericum contigisset. extimui nempe, ne finem verbis imponens Agathon, Gorgiæ facundi caput e sermone suo in meum transmittens, mutum me factum, lapidem pro homine redderet. Tunc demum temere promisisse me agnovi, Amorem vobiscum pro vice mea collaudaturum, et inepto amatoria professum fuisse, cum omnino nescirem, qua quidque sit ratione laudandum. putabam equidem ob ruditatem meam, de quocunque, quod laudatur a nobis, vera oportere referri, et hoc quidem adesse atque licere: ex his autem pulcherrima seligentes, quam decentissime adscribere nos debere. Quocirca ingenti quadam spe elatus sum, quasi recte dicturus, quandoquidem veram laudandi rationem, ut videbatur, haberem. tandem vero haud congruus laudationis hic modus apparuit: oportere namque videtur, maxima quæque et præclarissima rei, quam laudamus, adscribere, sive revera illi adsint, sive non adsint. nihil enim referre, falsane an vera sint, cum propositum sit, non quomodo Amor ipse laudetur, immo ut quisque Amorem laudare quam maxime videatur. Quapropter universa Amori tribuitis, talemque eum esse et [199] talium tantorumque causam affirmatis, ut quam pulcherrimus optimusque appareat, ignorantibus videlicet. nunquam enim intelligentibus laus hujusmodi recta et pura judicaretur. Equidem laudationis hujus modum penitus ignorabam. nesciens itaque, vobiscum conveni, me quoque inter alios collaudaturum. Lingua ergo pollicita est, mens vero nequaquam. Absit igitur a me ista laudatio. neque enim sic illum extollere possem. Veruntamen, si vultis, ritu meo vera loqui cupio, et ad me ipsum respicere potius quam cum orationibus vestris stilum meum conferre, ne risum moveam. Vide itaque, Phædre, utrum vobis placeat orationem hujusmodi nunc audire, quæ de Amore vera duntaxat enarret, verborum nominum-

Digitized by Google

que utcunque accidit compositione procedens. Phæ. Mihi sane et aliis placet, ut tuo arbitratu loquaris. So. Concede mihi, o Phædre, ut pauca quædam Agathonem interrogem, ut confirmatus ab illo loquar. Phæ. Concedo equidem: interroga modo. So. Optima, o amice Agathon, orationis tuæ fundamenta jecisse videris, cum diceres, primo quid Amor sit ostendendum, postea illius opera numeranda. hoc equidem principium valde probo. Age itaque, postquam de Amore cetera ornate atque magnifice es elocutus, hoc insuper circa illius naturam mihi declara, utrum talis sit Amor, ut alicujus amor sit, an nullius. haud peto, utrum matris alicujus patrisve sit. ridicula namque interrogatio esset, utrum amor patris matrisve sit amor. verum si interrogassem, nunquid pater alicujus pater esset an non, respondisses utique, si modo congrue loqui voluisses, Patrem filii aut filiæ patrem esse. an non? Aga. Prorsus. So. Nonne et matrem alicujus esse matrem? Aga. Et istud. So. Responde præterea pauca quædam, ut, quod sentio, magis intelligas. Frater nunquid ipsum quod est, alicujus est frater? Aga. Est certe. So. Nonne fratris, aut sororis? Aga. Horum profecto. So. Conare similiter de amore nobis ostendere, num amor alicujus sit amor. Aga. Alicujus certe. [200] So. Hoc itaque memoriter serva, cujus sit recordatus: atque ad hoc responde, utrum amor illud ipsum, cujus est amor, appetat necne. Aga. Et maxime quidem. So. Nunquid hoc ipsum apud se habet, et tamen, quod habet, appetit atque amat? an potius non habet, quod et amat et appetit? Aga. Verisimile est non habere. So. Adverte præterea, utrum pro eo, quod verisimile est, necessarium sit ita, quicquid appetit, id quo eget appetere: et, si non eget, nec cupere. mihi quidem mirum in modum hoc placet, ut necessarium sit. tibi vero quid videtur, Agathon? Aga. Quod et tibi. So. Bene loqueris. an vellet magnus quispiam magnus esse, et robustus aliquis esse robustus? Aga. Ex his, quæ supra concessimus, fieri non posse mihi videtur. So. Neque enim indigus esset eorum, quæ in se ipso jam contineret. Aga. Vera dicis. So. Etenim si ille, qui robustus est, vult esse robustus, et qui velox, esse velox, et sanus denique sanus, forte quispiam crederet et hos et alios quoslibet ea quæ habent appetere. ne igitur hic decipiamur, hæc inquam. Si diligenter animadvertas, Agathon, necessarium esse videbis, quæcunque præsenti in tempore isti habent, eadem in tempore eodem habere, seu velint sive nolint. hoc ipsum vero quisnam cuperet? Cum vero quis addit, At ego, sanus dum sum, volo equidem sanus esse: et dives dum sum, esse dives: atque iccirco, quæ habeo, cupio: huic protinus respondemus, O bone vir, ipse divitias, sanitatem robur que adeptus vis hæc et in futuro tempore possidere, quoniam in præsenti, velis nolisve, habes. Vide ergo, cum dicis. Quæ mihi adsunt cupio, nunquid aliud quam hoc inferas, Quæ mihi nunc adsunt, et in futuro adesse exopto? Censes hunc hominem, Agathon, istud an aliud responsurum? Aga. Nihil aliud. So. Amor profecto hujusmodi illud respicit, quod nondum in promptu est nec habetur, adesse videlicet et servari illa in tempore, quod sequatur. Aga. Sic est omnino. So. Et iste igitur et alius quicunque appetit, quod nondum expositum et paratum est, appetit, quodve non adest nec habet, et quod ipse non est, quove indiget. talia quædam sunt illa, quorum est appetitus et amor. Aga. Talia procul dubio. So. Age, quæ supra dicta sunt repetamus. Primo quidem amor aliquorum dictus est amor: deinde illorum potissimum, quibus indiget. [201] Aga. Certe. So. Recordare præterea, quorum esse amorem asseruisti. ego tibi in memoriam, si vis, reducam. equidem ita dixisse te arbitror, A Diis omnia propter pulchrorum amorem fuisse disposita: turpium quippe amorem omnino nullum esse. an non ita dicebas? Aga. Ita profecto. So. Probabiliter quidem loqueris, o amice. et, si ita est, amor

Digitized by Google

certe pulchritudinis amor est, turpitudinis vero minime. Aga. Consentio. So. Nonne concessum est, id, quo eget nec habet, amare? Aga. Concessum plane. So. Ergo pulchritudine indiget amor, eamque non habet. Aga. Necessarium. So. Quid vero? num pulchrum vocas, quod pulchritudinis indigum est nec eam habet? Aga. Nequaquam. So. Nunquid ulterius, si haec ita se habent, Amorem pulchrum asseris? Aga. Nihil eorum, quae supra dixi, intellexisse videor. So. Recte dixisti. sed responde parumper ulterius, Nunquid ipsa bona pulchra esse videntur? Aga. Mihi vero. So. Si igitur Amor pulchris caret, bona vero pulchra sunt, bonis quoque caret. Aga. Repugnare tibi, o Socrates, nullo modo possem. esto igitur, ut tu ais. So. Veritati quidem nunquam, o dilecte Agathon, adversari posses, Socrati vero facillime. Verum Agathonem jam dimittam, vobisque, o convivae, referam sermonem de Amore, quem olim accepi a fatidica muliere Diotima, quae et harum rerum perita erat, et alia multa sapienter intelligebat, et Atheniensibus olim, sacris decennio ante pestem peractis, morbi dilationem dedit. illa me in amatoria facultate instruxit. quae igitur illa dixit, conabor vobis ex me ipso, secundum ea quae inter me et Agathonem convenerunt, exprimere. Oportet autem primo, o Agathon, ut et tu exposuisti, quid et quale sit Amor, ostendere, deinde opera illius enumerare. Praestat, ut mihi videtur, eodem ordine vobis nunc referre, quo hospes illa me examinans pertractavit. ferme enim eadem ego illi, quae mihi Agathon, praedixeram, Magnum esse Deum Amorem et ad pulchra respicere. eisdemque rationibus me redarguit, quibus hunc ipse, quod neque pulcher esset Amor, ut dicebam, neque bonus. Ad quam ego tunc, Quid ais, o Diotima? inquam. turpisne igitur ac malus est Amor? Dio. Dic meliora, quaeso. an putas necessarium esse, ut, quicquid pulchrum non est, sit turpe? [202] So. Maxime. Dio. Et quod non sapiens, ignorans? an non advertisti, esse quoddam sapientiae et ignorantiae medium? So. Quid istud? Dio. Recte opinari, hoc est veri absque certa ratione participem esse: hoc siquidem neque scientia est; nam sine ratione scientia nunquam; neque ignorantia rursus. quod enim veri compos est, ignorantia non vocatur. hujusmodi quiddam est opinio recta, inter sapientiam et ignorantiam medium. So. Vera narras. Dio. Ne cogas igitur, quod pulchrum non est, esse turpe; quodve non bonum, esse malum. Eadem ratione quamvis Amorem neque pulchrum neque bonum esse concedas, non tamen putare debes turpem necessario esse vel malum, sed inter ista medium. So. At vero in hoc omnes consentiunt, magnum esse Deum Amorem. Dio. Ignorantesne dicis omnes? an scientes? So. Cunctos inquam. Dio. Quonam pacto, ridicule, magnum esse Deum hi confiterentur, qui nec Deum quidem esse volunt? So. Quinam isti? Dio. Unus quidem tu es, ego altera. So. Quonam pacto dixisse me hoc asseris? Dio. Facile tibi ostendam. dic age, Nonne Deos omnes pulchros ac beatos affirmas? nunquid auderes Deorum quempiam non pulchrum beatumve dicere? So. Non per Jovem. Dio. Beatos autem nonne illos vocas, qui bona pulchraque possident? So. Illos dumtaxat. Dio. Atqui Amorem in superioribus admisisti propter pulchrorum bonorumque inopiam haec ipsa, quorum indigus est, appetere. So. Admisi equidem. Dio. Quonam igitur modo Deus est, qui pulchrorum bonorumque est expers? So. Nullo pacto, ut videtur. Dio. Videsne, quod et ipse Amorem Deum esse non putas? So. Quid ergo? num mortalis est Amor? Dio. Minime. So. Quid igitur? Dio. Superiorum instar, mortalis immortalisve medium. So. Quid, inquam, est, o Diotima? Dio. Magnus, o Socrates, daemon. etenim omnis natura daemonum inter mortales Deosve est media. So. Quam vim habet? Dio. Interpretatur et trajicit humana ad Deos, divina ad homines: horum quidem preces

Digitized by Google

et sacrificia, illorum præcepta sacrosque solemnes, institutiones et ordinem. In utroque medio constituta totum complet, ut universum secum ipso tali vinculo connectatur. [203] Per hanc vaticinium omne procedit, sacerdotumque diligentia circa sacrificia expiationesque et incantationes et divinationem omnem atque magicam. Deus quidem homini non miscetur, sed per id medium commercium omne atque colloquium inter Deos homines que conficitur, et vigilantibus nobis et dormientibus. Quicunque harum rerum peritus est, dæmonius, id est felix vir et sapiens nuncupatur: qui vero alias artes et facultates, quæ manibus expleutur, calleut, mercenarii nominantur. Enimvero hi dæmones multi atque varii sunt, ex his unus est Amor. So. Quinam parentes Amoris? Dio. Quamvis dictu prolixum sit, exponam tamen. Quando nata est Venus, parato convivio discubuerunt Dii ceteri, et Metidis, id est consilii, filius Porus, id est affluentiæ Deus. Cum cænati essent, Penia, id est Paupertas, mendicatura cibum, utpote epulis illic abundantibus, venit et circa fores obversabatur. Porus quidem nectare ebrius (vinum namque nondum erat) Jovis hortum ingressus est, et somno gravatus dormiebat. Penia vero, inopia compulsa, quo pacto filium quasi quibusdam insidiis ex Poro conciperet, excogitavit. quare juxta illum accubuit, Amoremque concepit. unde natus est Amor, sectator cultorque Veneris, propterea quod in Veneris natalibus est progenitus. quin etiam natura pulchri desiderio capitur, cum Venus ipsa sit pulchra. Quoniam vero Pori ac Peniæ Amor est filius, sortem hujusmodi nactus est. principio aridus est et squalidus, nudis pedibus, semper humi volans, sine domicilio, sine strumentis et tegmine ullo, ad fores in via sub divo dormiens, naturamque matris servans, semper egenus. Secundum vero patris stirpem pulchris ac bonis insidiatur, virilis, audax et vehemens sagaxque venator, nova semper machinamenta contexens, prudentiæ studiosus, facundus, per omnem vitam philosophans, incantator fascinatorque potens, veneficus atque sophista: neque immortalis omnino secundum naturam neque mortalis: sed interdum eodem die pullulat atque vivit, quotiens exuberat; interdum deficit, atque iterum reviviscit ob patris naturam. quod vero acquiritur, continue subterfluit. quocirca neque mendicus est Amor unquam, neque etiam opulentus: quin etiam inter sapientiam et insciti am constituitur. Sic enim se res habet. Nullus Deorum philosophatur aut [204] sapiens fieri cupit. est enim. nec alius quivis sapiens philosophatur. Neque omnino ignorantes philosophantur neque sapientes fieri cupiunt. hoc enim habet ignorantia pessimum, quando qui nec pulcher et bonus est neque sapiens, sufficienter hanc habere se censet. Nunquam igitur expetit illa, quorum se indigum non advertit. So. Qui ergo potissimum, Diotima, philosophantur, si neque sapientes neque ignorantes id agunt? Dio. Hoc profecto vel puer intelliget, quod hi videlicet, qui inter istos sunt medii: e quibus est Amor. Sapientia nempe pulcherrimum quiddam est: Amor autem circa pulchrum versatur. ex quo necessario sequitur, Amorem esse philosophum: cumque philosophus sit, medium ignorantiæ sapientiæque tenere. Horum causa in ejus genitura consistit. nam ex patre sapiente et opulento est genitus, matre vero minime sapiente et certe paupere. Natura itaque dæmonis, o amice Socrates, ista. Nec mirum est, talem te Amorem finxisse ex ea opinione, quam de natura ejus habebas. nam, ut ex tuis dictis conjicio, non amantem, sed amatum, Amorem esse putabas: et iccirco pulcherrimum tibi Amorem esse visum existimo. Amabile quidem ipsum revera pulchrum est, delicatum, perfectum et beatissimum. amans autem aliam talem ideam habet, qualem in superioribus figuravi. So. Esto, ut ais, hospes. præclare enim loqueris. Cum vero talis sit Amor, ad quid conducit hominibus? Dio. Hoc deinceps, o Socrates, docere conabor. Talis quidem est et ita

Digitized by Google

genitus Amor. est autem pulchrorum, ut ipse inquis. Verum si quis ita quærat, Cujus gratia Amor pulchrorum est, o Socrates atque Diotima? Immo sic clarius, Qui pulchra amat, quid ab his potissimum expetit? quid respondebimus? So. Adesse videlicet sibi. Dio. At hæc responsio quæstionem hujusmodi ultra requirit: Quid erit illi, cui pulchra aderunt? So. Nihil in promptu, quod respondeam, habeo. Dio. Si quis vero, mutatis vocabulis, et bono pro pulchro utens, percontetur, Qui amat bona, quid expetit? So. Adesse sibi. Dio. Quid huic erit, cui bona aderunt? So. Facilior ad ista responsio: felix erit. Dio. Possessione [205] sane bonorum beati sunt, quicunque beati: neque requirere ulterius opus est, ad quid felix esse velit, qui felicitatem optat; sed finem jam responsio habere videtur. So. Vera loqueris. Dio. Nunquid hanc voluntatem amoremque cunctis censes hominibus esse communem? omnesque velle, bona sibi semper adesse? So. Communem plane. Dio. Cur ergo non omnes, o Socrates, amare dicimus, si quidem omnes et eadem et semper amant? sed quosdam amare, alios minime? So. Admiror et ipse. Dio. Sed ne mireris, nam speciem quandam amantium seligentes Amorem denominamus, totius nomen attribuentes: in aliis autem nominibus aliis utimur. So. Exemplo quodam declara. Dio. Ut ecce. Scis utique, factionem amplum quiddam esse. factio siquidem generatim dicitur causa, qua unumquodque ex non esse ad esse procedit. quapropter omnes cujusque artis actiones factiones sunt, et artifices omnes poëtæ, id est factores. So. Vera narras. Dio. Vides tamen, quod non vocantur poëtæ, sed alia nomina sortiuntur. ex omni vero factione una selecta particula, quæ scilicet circa musicam carminaque versatur, totius nomine nuncupatur. poësis enim, id est factio, hæc sola vocata est: quive hanc factionis particulam habent, poëtæ. So. Vera hæc sunt. Dio. Idem quoque circa amorem accidit. nam summatim quidem omnis bonorum felicitatisque appetitio, maximus et insidiator amor est cuique. verum qui ad bonum studio pecuniarum vel gymnasticæ vel sapientiæ proficiscuntur, nec amare nec amatores cognominantur: qui vero secundum certam speciem ad id contendunt, totius nomen subeunt, amorem videlicet et amare et amatores. So. Recte loqui videris. Dio. Nonnulli ferunt eos, qui dimidium sui perquirunt, amare. ego autem neque dimidii neque totius amorem assero, nisi aliquo pacto sit bonum: quandoquidem et manus et pedes, si videantur mala, vel a se ipsis homines abscindere volunt. non enim suum quisque diligit: nisi forte quispiam quod bonum est, suum ac proprium cujusque vocet; quod vero malum, potius alienum: quippe cum nihil aliud præter [206] bonum homines ament, nonne sic et tibi videntur? So. Sic utique. Dio. Simpliciter ergo dicendum est, homines bonum amare. So. Procul dubio. Dio. An non addendum, quod adesse sibi bonum cupiunt? So. Addendum. Dio. Nec adesse solum, sed et semper adesse? So. Et semper. Dio. Est igitur summatim amor appetitio, qua bonum sibi semper esse quis cupit. So. Vera nimium loqueris. Dio. Postquam hujusmodi quiddam semper est universalis amor, potesne dicere, quæ potissimum appetendi conditio, quive prosequendi modus, et in quali vel actione vel studio, amor proprie nominetur? So. Si id ostendere potuissem, nunquam sapientiam tuam admiratus essem, Diotima, neque discendi gratia ad te venissem. Dio. At ego dicam. est, inquam, hoc partus in pulchro, tam secundum animam quam secundum corpus. So. Vaticinio opus est ad id, quod ais, intelligendum. hoc enim nullo modo percipio. Dio. Dicam equidem planius. Omnium, o Socrates, hominum præguans et gravidum corpus est, prægnans et anima. et cum primum ad certam ætatem pervenerimus, parere nostra natura cupit: parere vero in turpi nequit, in pulchro potest. Viri sane mulierisque congressu fœtus partusque

Digitized by Google

provenit. est autem opus hoc divinum, et in animali ipso mortali immortale hoc est, conceptio scilicet et generatio. Hæc in eo, quod sine proportione et dissonum est, expleri nequeunt. dissonum autem est, quod turpe, ab omni quod est divinum: pulchrum vero divino consonum. Parca igitur et Lucina generationi pulchritudo ipsa est. Quocirca quotiens pulchro, quod gravidum est, adhæret, lætitiaque gestit, hilaritate et voluptate diffunditur, pariteque et generat. contra vero, cum turpi propinquat, tristitia quadam et dolore contrahitur, absterreturque et cohibetur, nec gignit, sed fœtum retinens angitur. Quapropter quod concepit, et jam luxuriat, adultumque ad generationem anhelat, circa pulchrum et plurimum obversatur, quoniam inde acri anxietate levatur. est enim amor non pulchri, o Socrates, ut tu putas. So. At cujus? Dio. Generationis partusque in pulchro. So. Revera? Dio. Revera, inquam. So. Cur generationis? Dio. Quia amor sempiternum quiddam est et immortale, quemadmodum in ipso mortali generatio. immortalitatem [207] autem una cum bono appetere necesse est ex illis, quæ supra concessimus, quandoquidem amor est appetitio, qua bonum sibi quisque semper adesse desiderat. Ex his concluditur, amorem immortalitatis quoque desiderium esse. Hæc omnia mihi Diotima tradidit, cum de amatoriis sermonem habuit. nec non sic interrogavit: Quam hujus amoris cupiditatisque causam, o Socrates, arbitraris? an non vides, quam graviter afficiuntur animantes omnes, et quæ gradiuntur et quæ volant, cum ad generationem toto impetu proferuntur et amoris ardore insaniunt? Primo quidem generationis causa quam vehementer congredi concupiscunt! deinde quantum circa natorum alimenta laborant! horumque causa imbecilla etiam animalia adversus robustissima prœlia poscunt, et pro illis occumbere parata sunt, ac fame deficere, modo filios nutriant, et aliud quodlibet audacter aggrediuntur. Homines quidem forte putaret quispiam rationis discursu hæc agere: brutis autem quænam amoris tam ardentis causa est? assignare hanc potes? So. Minime. Dio. Credisne unquam in amatoriis peritus fore, dum hæc ignoras? So. Ob hanc causam ad te, o Diotima, ut supra dixi, confugio, quia præceptore me indigere cognosco. horum itaque, precor, et aliorum, quæcunque ad amorem attinent, causam afferas. Dio. Si credis, illius natura amorem esse, cujus sæpe jam diximus, ne mireris. ex hoc enim similiter, ut ex superioribus, natura mortalis semper et immortalis esse pro viribus nititur: hoc autem generatione duntaxat assequitur, quoniam semper alterum juvenem veteris loco substituit. enimvero eo ipso in tempore, quo animalium unumquodque vivere dicitur, idemque esse, (ut a pueritia ad senectutem) quamvis idem dicatur, nunquam tamen in se ipso eadem continet, sed novum semper efficitur et vetera exuit, secundum pilos, carnem, ossa ac sanguinem et universum corpus. Neque in corpore solum, verum enim in anima id contingit. mores, consuetudines, opiniones, cupidines, voluptates, dolores atque timores continue permutantur: neque quicquam ex istis idem et simile perseverat, sed priora quidem abolentur, nova vero succedunt. Quin etiam, quod mirabilius est, scientiæ quoque non solum aliæ evanescunt, [208] aliæ surgunt: neque semper secundum scientias idem sumus: verum etiam unaquævis scientiarum idem patitur. Quod enim dicitur Meditari, quasi exierit scientia dicitur. Oblivio namque scientiæ exitus est: meditatio vero, novam memoriam semper abeuntis loco restituens, scientiam servat, ut esse eadem videatur. Hoc utique pacto omne mortale servatur, non quia semper omnino idem sit, ut divinum, sed quia quod tabescit et abit, novum et simile sibi relinquit. Hoc a remedio, Socrates, quod mortale est, sive corpus seu quodlibet aliud, particeps immortalitatis evadit: quod vero divinum et immortale, alia ratione. Quamobrem mirari non debes, si omnia germen suum natura carissimum habeant. nam immortalitatis gratia

Digitized by Google

nixus hujusmodi atque amor cuilibet inest. Cum hæc audissem, admiratione commotus inquam, Siccine, Diotima sapiens, revera de iis judicandum? Tum, illa, ut perfecti sophistæ solent, Certo scito, inquit, o Socrates. etenim si gloriæ studium, quod hominibus inest, considerare volueris, admiraberis ruditatem tuam, quod ea, quæ dixi, non satis comprehenderis. cernes quidem, quam vehementer exoptent, notos sese omnibus exhibere et in futurum immortalem gloriam consequi. nam hujus gratia, magis quam filiorum, pericula subeunt, pecunias erogant, laboresque nullos respuunt, ac denique sese morti exponunt. An censes Alcesten pro Admeto mori voluisse, aut Achillem in ultione Patrocli occumbere, aut vestrum Codrum pro filiorum regno perire, nisi immortalem virtutis memoriam, qualis apud nos exstat, consecuturos se præsagissent? So. Longe abest. immo pro immortali virtute et honesta opinione cuncta hæc, ut arbitror, agunt: et quo meliores homines sunt, eo magis ad ista contendunt. nam immortalitatem amant. Dio. Quicunque igitur corpore fœcundi sunt, ad feminas se magis convertunt, atque ita amant, et filiorum generatione immortalitatem, memoriam, felicitatem, per omne tempus assequi sperant. sunt et qui animam gravidam [209] atque fœcundam magis, quam corpus, habeant. hi sane concipiunt ea, quæ animæ et concepisse et concipere convenit. Sed quidnam convenit? Prudentiam videlicet aliasque virtutes: quarum rerum poëtæ omnes genitores sunt, nec non artifices illi, qui inventores dicuntur. Maxima vero et omnium præstantissima prudentia est, qua civilia et domestica gubernantur, cujus nomen est temperantia atque justitia. Quisquis ergo virtutum hujusmodi natura plenus et gravidus est, ideoque divinus, ætate debita imminente parere jam generareque affectat: et iccirco passim vagatur, quæritque pulchrum, in quo generet, in turpi namque minime generaret. Quapropter corporibus speciosis magis quam deformibus gratulatur, utpote prægnans. quod si animam præterea pulchram, generosam docilemque reperiat, utraque pulchritudine concurrente mirifice delectatur, et coram homine illo confestim de virtute loquendo facundia pollet, qualis esse debeat vir bonus edisserens, quodve sit ejus officium: atque hac doctrina imbuere illum studet. Adhærens quippe pulchro, eoque familiariter utens, quæ quondam conceperat, parit et gignit, illius tam in absentia quam præsentia memor: quodve inde nascitur, cum illo communiter nutrit atque educat. unde augustiorem communionem firmioremque amicitiam vicissim contrahunt quam mortalium filiorum parentes, utpote qui in filiis immortalibus magis pulchrioribusque una communicant. etenim hujusmodi filios quilibet potius quam humanos eligeret, præsertim qui Homerum Hesiodumque consideret et poëtas alios æmuletur, dum cernit, quales filios reliquerunt: qui cum immortales sint, immortalem quoque gloriam memoriamque parentibus præbuerunt: qualesque Lycurgus Lacedæmoniis reliquit filios, Lacedæmoniæ ac totius pene Græciæ servatores. Honoratur et apud vos propter generationem legum ipse Solon, aliique permulti alibi apud Græcos et barbaros, qui multa atque præclara opera demonstrarunt, virtutem omnem progenerantes. Quibus templa ac sacra multa ob hujusmodi sæpe natos dicata sunt: ob humanos vero adhuc alicui nunquam. In his utique amatoriis, o Socrates, ipse forsitan industria tua initiareris: utrum vero ulterius procedas, ac perfecta demum amatoria, quæve sublime spectant, [210] quorum gratia hæc sunt, animadvertas: utrum, inquam, pergere valeas necne, ignoro. dicam tamen, omnique studio tibi opitulabor: tu vero pro viribus sequi me nitere. Oportet eum, qui ad hoc recto sit tramite progressurus, statim ab adolescentia pulchra corpora contemplari: et primum quidem, si modo recte ducatur, unum corpus amare, ibique rationes pulchras producere; cogitare deinde pulchritudinem, quæ corpori cuilibet inest, alterius corporis esse

Digitized by Google

germanam. Et si sequi decet, quod in specie pulchrum, absurdum est credere eam, quæ omnibus corporibus inest, non unam eandemque pulchritudinem esse. Et qui hoc advertit, omnium simpliciter pulchrorum corporum amator evadere debet, amoris autem erga unum vehementiam hac ratione remittere atque unius speciem parvi facere. Post hæc pulchritudinem, quæ animis inest, illa, quæ in corpore, præstantiorem existimet, adeo ut si quis animi ingenui sit, quamvis forma corporis aliis quibusdam cedat, sufficere tamen arbitretur et amet curetque et rationes hujusmodi pariat quæratque sermones omnes, qui reddere meliores adolescentes possint: ut hinc ad pulchritudinem, quæ in officiis ac legibus reperitur, inspiciendam ducatur, intelligatque illam omnem sibi ipsi uniformem cognatamque existere, ut eam, quæ circa corpus est, pulchritudinem parvi faciat. Post officia legesque ad scientias transeat, ut scientiarum pulchritudinem contempletur: dumque id, quod ampla exuberat pulchritudine, contuetur, haud amplius tanquam mancipium unius puelli speciem admiretur, neque unius hominis vel officii pulchritudine sit contentus: nam quisquis in hoc delinquit, exilis et abjectus est servus: verum in profundum pulchritudinis se pelagus mergat, ubi ipso intuitu multas præclaras atque magnificas rationes intelligentiasque in philosophia abunde pariat, donec ibi confirmatus et roboratus scientiam jam unam talem intueatur, quæ pulchri talis exsistit. Aciem vero nunc mentis pro viribus adhibe. Quicunque hucusque per amatoria gradatim deducitur, recto ordine pulchra intuitus, ad finem jam amatorii affectus perveniens, subito quandam natura mirabilem inspiciet pulchritudinem. Hoc illud, cujus gratia labores omnes præcedentes subivimus. principio quidem semper est, [211] nec fit nec interit; neque crescit unquam neque decrescit: præterea non hac ex parte pulchrum, ex illa turpe; vel tum pulchrum, tum minime: neque ad hoc quidem pulchrum, turpe vero ad illud: vel hic pulchrum, ibi turpe, ut quibusdam pulchrum sit, quibusdam vero nequaquam. Neque rursus imaginatione quadam ipsum pulchrum ita fingetur, quasi vultus pulcher vel pulchræ manus aut aliud quiddam, cujus corpus est particeps: neque ut oratio quædam vel ratio aut scientia quædam. Neque in alio jacere putabitur, velut in animali vel terra vel cœlo aut alio quopiam; sed id ipsum per se ipsum cum semetipso uniforme semper exsistens: cetera vero omnia, quæ pulchra sunt, illius participatione pulchra, ea scilicet conditione, ut nascentibus et intereuntibus aliis nihil subtrahatur illi aut addatur, neque passionem ullam incurrat. Quando vero ab his aliquis legitime amando ascendens, illud ipsum pulchrum suspicere incipit, ferme jam finem attingit. hoc est profecto ad amatoria recte pergere vel ab alio duci, quando videlicet qui ab his pulchris gratia pulchri illius ascendere incipit, quasi quibusdam gradibus utens, atque ab uno primum in duo transiens, et a duobus in omnia, quæ pulchra sunt, corpora; ab his in omnia officia pulchra, a pulchris officiis ad doctrinas pulchras conversus, a doctrinis denique multis in illam doctrinam perveniens, quæ non alterius est quam illius ipsius pulchri doctrina: atque ita demum, quid ipsum pulchrum sit, contemplatur. In hoc utique vitæ statu, o Socrates, si usquam alibi, homini videlicet ipsum pulchrum spectanti vivendum. quod si quando videris, supra quam dici possit pretiosius auro ornatisque vestibus et pulchris pueris adolescentibusque censebis. Quos nunc et tu et alii multi dum spectatis, nimium obstupescitis, et si fieri posset, eligeretis inter illos semper cibo potuque neglecto versari. Quam felix illud spectaculum fore putamus, si cui contigerit, ut ipsum pulchrum intueatur, sincerum, integrum, purum, simplex, non humanis carnibus, coloribus, non aliis mortalibus nugis contaminatum: sed ipsum secundum se pulchrum divinum inspiciat. Num vitam hujusmodi parvi facis? hominis videlicet ipsius, [212] qui illuc suspicit, qui tam

Digitized by Google

præclarum spectaculum contuetur, qui illi cohæret. nonne cogitas, quod sibi solum cernens ille eo oculo pulchrum, quo percipi potest, non imagines virtutis ulterius, sed virtutes ipsas pariet? quippe cum non simulacrum, sed rem ipsam attingat. cumque virtutem veram pariat atque alat, Deo amicus efficietur, et si quis alius hominum, is maxime immortalis existet. Hæc, o Phædre aliique convivæ, inquit Diotima. cui fidem adhibeo, atque aliis persuadere studeo, hominum naturam haud facile posse ad beatæ immortalitatis possessionem quicquam legitimo amore conducibilius invenire. Quamobrem honorandum Amorem ab omnibus hominibus censeo. equidem amatoria colo, meque summopere in his exerceo, aliosque exhortor: et nunc quidem ac semper pro ingenii facultate Amoris vim et fortitudinem laudo. Hunc, o Phædre, sermonem, si vis, quasi laudationem quandam Amoris existima: sin autem aliter appellare placet, appella. Cum hæc dixisset, retulit Aristodemus, reliqui omnes probarunt: Aristophanes solus repugnare tentavit, quia mentionem sermonis illius supra fecerat. Sed repente aulæ ostium percussum sonitum reddidit, et clamor debacchantium juvenum tibicinisque auditus. Tum Agathon, Advertite, inquit, ministri, quinam homines adventarint, et si quis familiaris noster intersit, ad nos accersite: si nullus, nos haud amplius bibere, sed jam quiescere nuntiate. At paulo post vocem Alcibiadis audierunt, ebrietate insultantis altissque in vestibulo clamantis. qui ubi esset Agathon flagitabat, ad eumque se duci jubebat. Eum igitur tibicen aliique contubernales duxerunt, et ad fores aulæ collocarunt, corona quadam ex hedera violisque conserta redimitum vittisque multis caput circumdatum. ubi statim clamavit, Salvere vos jubeo, viri: ebrium hominem valde compotatorem suscipite: vel abeamus, Agathonem solum coronantes, cujus gratia venimus. heri equidem interesse nequivi: hodie veni vittas ferens, ut a meo capite sapientissimi pulcherrimique caput, si ita prædixero, circumligarem. an me quasi ebrium deridebitis? ego autem, quamvis irrideatis, [213] vera tamen loqui me scio. respondete obsecro, nunquid ad hæc ingredi permittatis: bibitis adhuc, an non. quare acclamaverunt omnes, jusserunt ingredi atque accumbere. accersivit Agathon. Alcibiadem tulerunt contubernales. Ille vittas tollebat Agathonis caput circumdaturus, Socratem, licet e conspectu adstantem, non vidit. prope Agathonem assedit, inter eum et Socratem medius. ei namque Socrates cesserat. Cum sedisset, Agathoni congratulatus est, eumque coronavit. Agathon, Solvite, inquit, Alcibiadem, pueri, ut in numero trium accumbat. Assensus Alcibiades, quis tertius conviva esset, interrogat: conversusque Socratem videt, et assurgens, Proh Hercules, inquit, quid hoc est? hic etiam insidiatus mihi, o Socrates, consedisti? sic semper soles, ubi minime omnium exspectarem, protinus mihi occurrere. et nunc cur huc venisti? cur hic potius quam apud Aristophanem sedes, aut si quis alius ridiculus adest permittitque? immo excogitasti, scio, juxta convivarum pulcherrimum hic sedere. Socrates autem ad Agathonem conversus, Vide, inquit, Agathon, si quo pacto mihi succurrere potes. amor quippe hujus hominis haud leve quiddam mihi exstitit. ex eo namque tempore, quo hunc amare cœpi, nunquam mihi licet aut aspicere pulchrum aliquem aut alloqui, quin iste zelotypus, id est amatoria suspicione captus et invidens, mira quædam tentet convicieturque: immo vix se continet, quin manus inferat. Vide igitur, ne in præsentia tale quid agat, sed nos concilia: vel si vim inferre conetur, opitulare. nam hujus furor et amatorius impetus me maxime terret. Ad hæc Alcibiades, Inter me ac te conciliatio nulla cadit: sed horum causa alias te ulciscar. nunc autem, Agathon, mihi aliquas ex his vittis impertias, ut et hujus mirabile hoc caput exornem, ne mihi succenseat, quod te coronaverim: non ipsum, qui omnes homines sermonibus superavit, non

Digitized by Google

heri tantum, ut tu, sed semper. Acceptis itaque vittis coronavit Socratem, ac sedit. sedens autem inquit, Nimium mihi sobrii, convivæ, videmini, neque permittendum vobis id censeo. bibendum est enim. nam inter nos id convenit. Ergo bibendi principem, donec satis biberitis, me vobis propono. Ferri jube, Agathon, si quod adest amplum [214] poculum. sed nil opus est: immo feras huc, puer, vas illud, quod plures quam octo pateras capere videtur. Cum vas implevisset, prior ipse bibit: Socrati deinde infundi jussit, et inquit, Adversus Socratem, o convivæ, dolus iste mihi nihil confert. quantumcunque quis jusserit, ebibet, nec ebrium unquam videbitis. Socrates infundente puero bibit. Tum Eryximachus, Quid agimus, Alcibiades? ita nec loquimur quicquam super calicem neque canimus, sed quasi sitientes ingurgitamus? Ad quem Alcibiades: Salve, optime Eryximache, optimo et frugi admodum patre nate. Et tu salve, Eryximachus ipse subjunxit. verum quid nobis agendum? Alc. Quod tu præceperis. tibi quidem parendum est. *Vir medicus multis aliis æquabitur unus.* Impera ergo, quodcunque lubet. Ery. Audi jam. Antequam ingredereris, visum fuit ab unoquoque præsentium, ad dexteram deinceps Amorem pro ingenii facultate laudandum. Nos quidem singuli diximus: tu quoque, cum non dixeris, biberis autem, jure dicere debes: et, cum dixeris, tum demum Socrati, quicquid volueris, imperabis: Socrates quoque illi, qui ad dexteram succedit, similiter, ceterique deinceps. Alc. Præclare loqueris, Eryximache, sed non æqua ratio videri debet, ut ebrius cum sobriorum oratione verba sua conferat. sed, o beate vir, persuasitne tibi Socrates quicquam ex his, quæ paulo ante narravit? vel scis contra esse omnino? Hic enim, si eo præsente quenquam laudavero, vel Deum vel hominem alium quam hunc ipsum, manus non continebit. So. Bona verba quæso. Alc. Nihil ad hæc dicas: per Neptunum neminem alium, te præsente, laudarim. Ery. Sic agendum videtur, et si vis, Socratem lauda. Alc. Quid ais? oportere videtur, Eryximache, hunc virum aggrediar, et coram vobis ulciscar? So. Quid cogitas? de ridiculis quibusdam me laudabis? an quid ages? Alc. Vera loquar. permittisne? So. Vera quidem loqui permitto, ac etiam jubeo. Alc. Parebo quam libentissime, modo id assequi possim. verum tu observa, et, si quid minus verum refero, interpella, ut lubet, mendaciumque redargue, [215] nunquam enim sponte mentiar. Neque mireris, si aliud aliunde, utcunque redit in memoriam, colligo. nam haud facile est homini sic affecto, miros tuos mores facunde certoque ordine numerare. Socratem, o viri convivæ, per imagines laudare conabor. Iste igitur forte suspicabitur, ne ad ridicula sermonem convertam. sumetur autem imago, veri, non ridiculi gratia. Socratem assero persimilem Silenis istis, qui sedentes inter alias imagines a sculptoribus figurantur, ita ut fistulas tibiasve teneant: qui si bifariam dividantur, reperiuntur intus imaginem habere Deorum. Satyro quoque Marsyæ similem esse dico. Et quod aspectu quidem his es persimilis, ne tu quidem, o Socrates, negabis. quod vero in aliis quoque similitudinem eorum habes, deinceps jam audi. Procax et contumeliosus es. an non? si non fateris, equidem testes adducam. An non tibicen? et tibicen quidem Marsya longe præstantior? ille enim instrumentis quibusdam homines demulcebat oris potentia: et nunc etiam, si quis modulatione illius utitur. nam illa, quæ Olympus modulatus est, Marsyam, qui docuit, modulatum dico. Ejus igitur harmonia seu vir quidam bene seu femina male utatur, sola animos attrahit, et, quia divina est, ostendit, quinam Diis mysteriisque indigeant. Tu autem in hoc duntaxat differs ab illo, quod sine ullo instrumento nudis quidem verbis hoc idem efficias. Nos certe, quotiens alium audimus alterius verba referentem, etsi nimium boni oratoris, tamen nullius, ut ita dixerim, illa facimus. at cum te quis audit, aut

Digitized by Google

tua verba quovis alio referente, quamvis ineptus ille sit, qui refert, et sive vir sive femina sive adolescentulus audiat, obstupescimus quidem ac mente corripimur. Equidem, nisi suspicarer, ne forte nimis ebrius videar, jurejurando interposito affirmarem, qualia mihi alias ab hujus verbis contigerint contingantque etiam nunc, quotiens hunc audio. multo magis, quam hi, qui Corybantum more deferuntur, cor in me concitatur ob hujus verba, lacrimasque effundo: videoque multis aliis hoc idem contingere. Et cum Periclem audiebam ceterosque oratores bonos, videbantur illi quidem mihi præclare dicere: sed nihil tale mihi contingebat, neque concitabatur animus, neque se ipsum quasi serviliter viventem condemnabat. Sed ab hoc Marsya nostro sæpe ita [216] inflector, ut existimem, nullo modo in hoc statu vitæ mihi esse vivendum. Hæc, o Socrates, ne negaveris. quin etiam certo scio, si in præsentia aures illi præstare velim, minime tolerarem, sed eadem illa mihi evenirent. cogit enim me fateri, quod, cum ipse ego in multis deficiam, tamen me ipsum negligo remque populi Atheniensium curo. Vi ergo, quasi adversus Sirenas, obturans aures hunc fugio ac vito, ne apud eum sedens consenescam. Patior autem erga hunc solum, quod nemo existimaret, ut cujusquam pudore ac verecundia detinerer. Atqui hunc solum vereor. conscius enim mihi sum, defendere me non posse, quin sint agenda, quæ jubet: sed cum ab eo discedo, populari ambitione me superari. Fugio igitur hunc atque vito: et quotiens ipsum intueor, verecundia me, quia promissa non servaverim, capit, ut sæpe cupiam hunc e vita decedere: rursus vero, si hoc acciderit, scio me longe id iniquius toleraturum. itaque, quo me vertam aut quemadmodum hoc utar, nescio. Et a modulationibus quidem Satyri hujus talia mihique et multis aliis contigerunt. cetera vero audite, ut similis sit his, quibus ego similem esse dicebam, et vim quam mirabilem habeat, intueamini. Scitote neminem vestrum Socratem cognoscere. sed ego vobis ostendam, quandoquidem dicere jam incepi. Cernitis, quam vehementer Socrates erga pulchros afficitur, semperque inter eos versatur et obstupescit? ignorat omnia, nihil novit. figura profecto hæc Silenis est persimilis. Scitote igitur, eum hac habitus forma exterius amiciri, tanquam sculptum quendam Silenum. intus vero si aperiatur, mira, o viri convivæ, castimonia et integritas ineat. Neque enim pulchritudinem corporis cujusquam quicquam æstimat, neque divitias neque honores neque cetera, quæ vulgus admiratur, sed ea cuncta supra quam existimari queat, longe spernit ac pro nihilo ducit. quocirca nullius nos esse apud eum vobis assero: fingit tamen ironicus aliter, ac jocari palam de his rebus nunquam cessat. serio autem agentis atque intus aperti nescio utrum quisquam vestrum divinas, quæ intus latent, imagines unquam inspexerit. ego certe quandoque eas conspexi, atque mihi visæ sunt usque adeo divinæ et aureæ et formosæ [217] et mirabiles, ut nullo modo fas existimem aliter, quam Socrates præcipit, agere. Ego jam aliquando, o viri convivæ, Socratem arbitratus mea specie revera admodum delectari, occasionem hanc mirificam felicemque ad id, quod affectabam, me nactum esse putavi. gratificari quippe Socrati constitui, ut, quæcunque ille noverat, mecum communicaret. nam magnum aliquid et mirificum formositatem meam existimabam, eaque plurimum fidebam. Cumque antea nunquam sine comite cum eo loqui consuevissem, quandoque dimisso comite, solus cum eo restiti. Vera vobis omnia aperienda sunt, attendite, obsecro. si mentior, Socrates, ipse redargue. Restiti equidem, o viri convivæ, solus cum solo, sperans eadem hunc mihi dicturum, quæ amatores amatis, cum soli sunt, loqui solent: qua spe valde lætabar, horum vero nihil actum est, sed, ut solitus erat, cum ad vesperam usque disseruisset, abiit. Post hæc ad palæstram hunc citavi exercuique, quasi in hac aliquid perfecturus. soli itaque sæpe nos simul gymnastica exer-

Digitized by Google

cuimus. Quid multis opus est verbis? nihil mihi successit. Postquam vero hac nequaquam successerat, durioribus machinamentis virum hunc aggredi statui, nec ab inceptis desistere. Audite, quam vehementer huic insidiatus sum. Cœnatum accersivi, tanquam amator amatis insidiatus. Is non facile nec primo paruit: tandem vero obsecutus est. venit ergo: sed sumpto cibo confestim abiturus surrexit. Tunc ego pudore detentus abire permisi. sed alias vehementiores insidias tendens post cœnam ad multam noctem sermonem protraxi: cumque vellet discedere, objiciens intempestam noctem manere coëgi, quievit igitur in proximo lecto, super quem sedens cœnaverat, nec alius præter nos ullus ibi ea nocte dormivit. Quæ hactenus dicta sunt, sine rubore ubique proferri possunt: quæ vero sequuntur, non prius audietis, quam proverbium illud recensuerim, Vinum et cum pueritia et sine pueritia est veridicum. Quin etiam injustum videtur, ut is, qui Socratem laudat, superbum et invictum facinus illius silentio prætereat. Præterea non aliter affectus sum quam ille, quem vipera mordet. illum quippe ferunt, qualis sit ejus passio, aperire nolle nisi his, qui similiter ægrotant: quasi hi soli, utpote mali non [218] ignari, ignoscant, si quis cruciatu compulsus et loqui et agere cuncta non dubitet. Ego igitur præ ceteris astrictus vehementiori philosophiæ morsu, qui omnium est acerrimus, et sive cor sive animum sive quomodocunque id appellandum sit saucius cupiditate in philosophia sermonum, qui acrius, quam vipera, mordent et occupant, si quando attigerint juvenilem animum, qui non penitus ignavus sit, compelluntque ad quicquid tandem sit, faciendum atque dicendum, nihil intentatum relinquere statui, quo Socratem ad explendam hanc sitim mihique conjunctissimum facerem. Non dicerem ea quæ dicturus sum, nisi apud eos convivas loquerer, quos semper quasi vesano quodam philosophiæ furore correptos bacchantesque perspexi, Phædros, Agathones, Eryximachos, Pausanias, Aristodemos, Aristophanes, Socratem denique ipsum, et ceteros: hæc enim mihi nisi sauciis eodemque modo affectis narranda non essent: quare vos audientes mihi veniam dabitis pro his, quæ tunc a me facta et nunc dicta fuerint. famuli autem, et si quis alius adsit profanus et agrestis, aures obstruant. Exstincto lychno famulisque absentibus visum mihi, o viri convivæ, haud amplius dissimulandum differendumque, sed ingenue, quod sentirem, aperiendum. Tetigi itaque illum, dicens, Socrates, dormis? So. Nondum. Alc. Sciane, quid hactenus mihi visum fuerit? So. Qua de re, et quid rogas? Alc. Tu mihi solus amator me dignus exstitisse videris, verecundior tamen in amore fuisse. Equidem, cum ita se res habeat egoque talis sim, stultum esse ducerem, nisi in hoc quoque tibi gratificarer et in ceteris omnibus, sive meis rebus, sive amicis indigeas. Mihi quidem nihil est antiquius, quam ut optimus vir evadam. Ad hoc nemo me magis quam tu juvare potest. ego autem tanto viro non obsecutus vehementius sapientum increpationes vererer, quam obsecutus insipientum verba. Quæ cum audisset, solita ironia dissimulans ita respondit: O amice Alcibiades, videris revera non ignavus vilisque esse, si vera sunt, quæ de me refers, et inest mihi vis quædam, per quam ipse melior effici possis, et miram in me pulchritudinem conspicis, tua forma longe præstantiorem. Si ista cognoscens, communicare mecum exoptas et pulchritudinem pulchritudine commutare, tanquam fœnerator multo plus quam ego reportare contendis. nam pro opinione veritatem pulchrorum [219] lucrari conaris et aurum pro aurichalco recipere. Sed, o beate, diligentius animadverte, ne te mea conditio lateat, cum nullius sim pretii. Tunc sane mentis oculus acute incipit cernere, cum primum corporis oculus deflorescit: tu vero ab hac ætate es procul. Alc. Mea quidem talia sunt, qualia dixi. neque enim in ore unum, in corde aliud habeo. tu autem ita delibera, ut et tibi et mihi melius fore censes. So. Probe

Digitized by Google

loqueris. ergo posthac invicem consultantes agemus, quod utrisque tam in his quam in ceteris omnibus maxime conducturum putabimus. Cum hæc audissem et objecissem, quasi jaculo quodam auctum existimavi, surgensque ne verbum quidem ulterius loqui permisi: et hunc amictum, quem videtis, circumdans, (erat enim hiems) substrato hujus pallio veteri recubui: et hisce brachiis felicem hunc sapientemque virum penitusque mirandum amplexus, noctem sic totam quievi. Hæc, scio, non negabis, o Socrates. Iste tamen formam, qua ego maxime fidebam, sprevit omnino ridiculam superbeque contempsit. Deos omnes Deasque testor, o judices, (estis enim Socraticæ superbiæ judices) me non aliter surrexisse, ac si cum patre vel fratre natu majore jacuissem. Quam mihi mentem post hæc fuisse putatis, cum me quidem contemptum existimarem, ejus autem ingenium, temperantiam et fortitudinem admirarer, virum talem nactus, qualem me prudentia et tolerantia reperturum esse nullum credideram? Quapropter qua ratione illi succenserem ab eoque discederem, haud inveniebam; neque rursus, quibus illecebris ipsum mihi conciliarem. noveram equidem difficilius hunc pecuniis quam Ajacem ferro domari posse: et id, quo facilius irretiri illum speraveram, me fefellit. ambiguus itaque, et huic viro magis quam alius quisquam alteri mancipatus, circumvagabar. Hæc omnia tunc a me facta sunt. Procedente post hæc tempore militia illi simul mihique obvenit adversus Potidæam, fuimusque Socrates et ego in eo exercitu contubernales. Primum quidem laborum patientia non me solum, sed alios omnes longe superabat: et si quo in loco, ut accidere solet in bello, commeatus deficeret, [220] nulli pares huic reperiebantur ad famem sitimque perferendam. Rursus vero in abundantia rerum et comessatione mensaque militari solus iste frui posse videbatur: et quamvis bibere nollet, tamen, si cogebatur, omnes protinus bibendo longe vincebat: et, quod mirabile est, ebrium quisquam eum nunquam conspexit. Sed hoc mihi adhuc in posterum redargui posse videtur. Adversus autem hiemes et frigora, quæ illis in locis asperrima sunt, mirabilia faciebat. quandoque enim gelu maximo intolerabilique facto, ita ut nulli exire de tabernaculis auderent, et, si qui exibant, non nisi suffarcinati admodum, pedesque et crura pellibus pannisque laneis diligenter circumvoluti, Socrates per hoc ipsum tempus ita exibat cum ceteris militibus, ut nihil ad eam vestem adjungeret, quam primo ferre solitus erat: nudis vero pedibus per glaciem facilius incedebat quam cum calceis alii. milites vero hæc intuentes se contemni ab eo suspicabantur. Et in his quidem talis erat Socrates. Quid autem fecerit tolerantissimus vir in eodem exercitu, operæ pretium est audire. nam cum aliquando cogitatio quædam incidisset, stetit cogitans eodem vestigio a matutino tempore: cumque explicare id, quod cogitabat, non daretur, perstabat cogitans nec dimittebat: et jam meridies erat, militesque id senserant ac mirabantur, alterque narrabat alteri Socratem ab aurora stetisse cogitantem. Demum vero ab Ionia quidam milites, cum nox jam immineret, cœnati prius, (erat enim tunc æstas) circa eum strata posuerunt jacueruntque sub divo, illum observantes, an per noctem quoque perseveraret. Socrates vero stetit usque ad auroram sequentem ac solis exortum: postea vero abiit, cum jam solem nascentem salutavisset. In præliis quoque qualis fuerit, non est silentio prætereundum. nam cum ea pugna fuit, ex qua me quasi optimum pugnatorem duces exercitus donaverunt, nemo alius me servavit quam Socrates. videns enim me graviter vulneratum, nequaquam deseruit, sed ante me prosiliens me ipsum atque arma mea protexit ab hostibusque servavit. Atque ego tunc ista prædicans conatus sum, ut non mihi, sed Socrati huic, a quo servatus eram, dona illa traderentur. neque ista confutaveris, neque veluti falsa negaveris, Socrates. Tunc sane duces, ad meam respicientes dignitatem, donare me maluerunt,

Digitized by Google

te in primis, o Socrates, obsecrante, ut mihi, non tibi, honor exhiberetur. Illud quoque dignum est memoratu, quemadmodum fuga nostrorum apud [221] Delium facta se Socrates gessit. nam interfui quoque huic prœlio, et quidem ex equo pugnans, cum Socrates ipse pedes esset. Profligatis igitur nostris ac fuga jam omnium facta, Socrates una et Laches pedem referebant. atque ego, cum in hos casu incidissem, bono animo esse jussi, meque nunquam deserturum eos dixi. Hic igitur eo melius aspicere potui Socratem quam apud Potidæam, quo ipse confisus equo minus formidabam. Primum igitur intueri licebat, quanta cautione ac præsenti animo Lachem superaret: deinde mihi visus est, o Aristophanes, quod et ipse ais, ibi non aliter quam hic incedere superbus, et oculis quiete omnia circumlustrans, cauteque examinans singula. hostes siquidem civesque vicissim respiciebat, oculis et aspectu præferens ostendensque vel remotioribus, si quis eum invadat, non esse id impune facturum. Itaque tute abibat et ipse et alter. ferme enim qui ita incedunt, nemo eos invadit, sed eos, qui effusa fuga deferuntur. In multis quidem aliis mirifice laudari Socrates potest, sed talia sunt, ut ceteri quoque forsan nonnulli eandem laudem mereantur: verum illa præcipua in isto, per quæ nemini aliorum hominum, neque antiquorum neque novorum, esse similis reperitur. nam qualis Achilles fuit, talem conjectet forsan aliquis fuisse Brasidam et alios quosdam: et qualis Pericles, tales Antenorem atque Nestorem. sunt alii quoque, qui hoc modo conferri invicem possunt. sed qualis Socrates est qualisque ejus mira dicendi ratio, nemo prope ad ejus similitudinem accedit, neque veterum neque eorum, qui nunc sunt: nisi ut ego nunc dixi atque assimilavi. quippe nulli hominum, sed Silenis et Satyris similis ipse est ejusque sermones. Nam et hoc a me prætermissum erat prius, sermones ejus persimiles esse imaginibus Silenorum ab artificibus factis, deinde apertis. Si quis enim hujus sermones audiat, videntur prima, ut fertur, facie nimium esse absurdi. nomina quippe et verba exteriori aspectu Satyri cujusdam contumeliosi habitum præ se ferunt. asinos enim fabrosque ærarios et sutores calceorum coriariosque semper habet in ore, eademque semper dicere de eisdem videtur, ut omnes fere, qui minus experti peritive sint, verba illius irrideant. [222] Verum si intus aspiciat quis ejus sermones, primo quidem reperiet sensuum profunditatem habere solos aliorum omnium, et insuper divinissimos esse, ac plurimas virtutum speciosissimas imagines continere, atque ad plurima sese extendere, immo omnia præcepta comprehendere, quibus instrui debet is, qui sit honeste beneque victurus. Hæc sunt, o viri convivæ, in quibus Socratem laudo: ac etiam, de quibus conqueror. audistis enim interim, quas mihi injurias intulit. Nec adversus me solum ita se gessit: verum etiam adversus Charmidem, filium Glauconis, et adversus Euthydemum Diocle natum, aliosque permultos eadem fecit, quos ipse sub specie amatoris fefellit. nam pro amatore amatus evasit. Quamobrem te quoque, Agathon, admoneo, ut hujus simulationes dissimulationesque caveas, et ex his, quæ ego sum passus, hunc cognoscens rem tuam cures; neque secundum proverbium post pœnam, infantium instar, delicta tandem agnoscas. Hactenus Alcibiades, cujus audacia et loquendi libertas risum omnibus concitavit, quoniam visus est amore Socratis esse captus. So. Sobrius mihi videris, o Alcibiades: alioquin nunquam ita artificiose, longo verborum circuitu facto, occulere id studuisses, cujus gratia cetera omnia dixeras: quod in orationis calce, ut præter propositum proferre videreris, tandem apposuisti, quasi non omnia iccirco dixeris, ut me ab Agathone disjungeres. arbitraris, me neminem præter te unum amare debere; Agathonem vero a nullo alio quam abs te amari. verum non latuit nos, quid sibi vellet tuum illud Satyricum Silenicumque figmentum. Sed, o amice Agathon, danda opera

Digitized by Google

est, ut nec isti sua machinamenta proficiant, nec ullius calumniæ inter me ac te jactæ dissidium faciant. Aga. Vera, o Socrates, loqui videris. nam ut nos sejungeret, inter te ac me se medium interposuit. sed nihil hoc illi proderit: hinc enim surgens, prope te sedebo. So. Sic agendum profecto: hic infra me sede. Alc. Proh Juppiter, qualia perpeti me vir iste cogit! in omnibus superare me vult. medium saltem hic Agathonem sedere permitte. So. Nequaquam decet. tu enim me laudasti: oportet autem me nunc ad dexteram hunc sedentem laudare. si ergo post te maneat Agathon, haud me rursus laudabit, priusquam a me laudetur. sed dimitte, vir felix, [223] neque huic meas laudes invideas. equidem laudare illum vehementer desidero. Aga. Hui hui, Alcibiades. quid hic moror? hinc jam discedo, ut me Socrates laudet. Alc. Mos iste Socratis est, ut eo præsente nemini liceat alteri formosos sibi conciliare. vide nunc, obsecro, quam facile et quam probabili ratione hunc ad se traxerit. Surrexit ergo Agathon, ut apud Socratem requiesceret. Tunc subito debacchantes multi, patentes fores nacti, (nam paulo ante quis contra exierat) ingressi sunt et circa illos consederunt: quorum strepitu turbata sunt omnia, nec ullus post hæc modus in bibendo servatus. Eryximachum ac Phædrum aliosque nonnullos abiisse Aristodemus recensuit, seque diu dormisse (nam longa tunc noctes erant) et circa auroram, gallis jam cantantibus, surrexisse. Somno excitum invenisse, quod alii quidem partim dormiebant, partim discesserant. Agathon vero et Aristophanes atque Socrates soli adhuc vigilabant, bibebantque ampla quadam phiala, ad dexteram sibi invicem succedentes. Socrates autem assidue disserebat. Neque aliorum se recordari Aristodemus inquit: neque enim ab initio affuisse et somno fuisse gravatum. summam vero disputationis illius exstitisse, quod Socrates illos fateri cogebat, ejusdem viri officium esse, tragœdiam comœdiamque componere, eumque, qui arte tragicus est, esse quoque comicum. Cum hæc illi, coacti potius quam persuasi, concessissent, se somno dedisse Aristophanem primo, Agathonem deinde, exorta jam luce: Socratem vero dormientibus illis in Lyceum, ipso ut consueverat comitante, fuisse profectum, et totum solito se more diem totum exercuisse, ac demum ad vesperam domi requievisse.

Digitized by Google

PHÆDO.

ECHECRATES, PHÆDO, APOLLODORUS, SOCRATES, CEBES, SIMMIAS, CRITO, MINISTER UNDECIM VIRORUM.

[57] Ipsene, o Phædon, affuisti, qua die Socrates venenum bibit in carcere? an ab alio audivisti? Ph. Equidem, o Echecrates, affui. Ech. Quænam sunt ea, quæ vir ille, antequam moreretur, locutus est? et quomodo e vita decessit? libenter enim audirem. Nam neque quisquam Phliasiorum civium frequenter proficiscitur nunc Athenas, neque jamdiu hospes aliquis inde ad nos accessit, qui certum aliquid ea de re nuntiare nobis posset, nisi illum potato veneno e vita migrasse. de cetcris vero nihil, quid referrent, habebant. Ph. Nec ergo, quæ ad judicium [58] pertinebant, quo pacto tractata fuerint, audivistis? Ech. Audivimus. hæc enim nobis quidam retulit. et admirati profecto sumus, quod, jam peracto judicio, diu postea obiisse videatur. quidnam in causa fuit, Phædon? Ph. Sorte quadam id Socrati, o Echecrates, accidit. nam pridie quam judicaretur, ornari contigit puppim navis ejus, quam mittunt Athenienses in Delum. Ech. Id vero quidnam sibi vult? Ph. Hæc est illa navis, ut aiunt Athenienses, in qua Theseus olim bis septem illos secum tulit in Cretam, servavitque illos et ipse servatus est. Voverat autem, ut fertur, Apollini, si servarentur, quotannis in Delum spectaculum quoddam mittere. quod quidem nunc etiam, ac semper ex illo tempore singulis ad Deum mittunt annis. Cum igitur spectaculi principium agitur, ex lege interim lustrant urbem, neminemque eo tempore publice necant, donec Delum perveniat navis rursusque Athenas revertatur ex Delo. id vero nonnunquam longo peragitur tempore, quando eos occupant venti. Initium vero spectaculi est, postquam Apollinis sacerdos navis illius coronaverit puppim. id vero, ut modo dicebam, pridie quam judicaretur, factum erat. Quamobrem longum tempus Socrates fuit in carcere judicium inter atque mortem. Ech. Circa vero mortem ipsam, o Phædon, quænam sunt ab eo dicta, quæ facta, quive familiarium aderant? an forte magistratus adesse non permittebant? atque ita orbatus decessit amicis? Ph. Permittebant quidem: ideoque aderant aliqui, et quidem multi. Ech. Hæc igitur omnia para te quam planissime nobis referre, nisi quid negotii te impediat. Ph. Otiosus equidem sum, atque enarrare vobis conabor: quippe cum meminisse Socratis, sive ipse loquar sive loquentes alios audiam, mihi semper omnium sit dulcissimum. Ech. Similiter, o Phædon, hos qui te audituri sunt, affectos habebis. Sed jam pro viribus diligentissime refer omnia.

Digitized by Google

Ph. Atque mira quadam ratione, o Echecrates, illic præsens affectus eram. Neque enim misericordia me habebat, ut familiarissimi viri morti præsentem. Sane beatus vir ille mihi, o Echecrates, videbatur, tum animi illius habitum, tum orationem consideranti: adeo intrepide generoseque migrabat e vita, ut videretur mihi illum in vitam alteram non absque divina sorte migrare, sed illic quoque beatus fore, si quis [59] unquam alter. Quamobrem neque admodum commovebar, (ut consentaneum videretur hominem rei præsentem lugubri commoveri) neque rursus afficiebar lætitia, quemadmodum solebamus alias, cum in philosophia versabamur. Nam sermones quidem ejusmodi erant: sed revera affectus quidam mirus atque insolita voluptatis dolorisque permixtio me invaserat considerantem, illi paulo post moriendum esse. et quicunque aderamus, ferme similiter eramus affecti, alias quidem ridentes, alias vero lacrymantes. unus autem præ ceteris Apollodorus: nosti enim virum ejusque mores. Ech. Quidni? Ph. Ille igitur ita prorsus erat affectus: atque ego ipse aliique omnes distractum similiter perturbatione animum habebamus. Ech. Sed quinam forte aderant, o Phædon? Ph. Cives quidem et indigenæ aderant ipse Apollodorus et Critobulus paterque ejus: rursus Hermogenes, Epigenes, Æschines, Antisthenes. aderat et Ctesippus Pæaneus et Menexenus atque alii quidam indigenæ. Plato autem, ut arbitror, ægrotabat. Ech. Sed num aliqui aderant peregrini? Ph. Aderant et peregrini, Simmias Thebanus et Cebes et Phædondes: Megarenses vero Euclides et Terpsion. Ech. Aristippus autem et Cleombrotus nunquid aderant? Ph. Non. In Ægina enim dicebantur esse. Ech. Aderantne insuper alii? Ph. Hos ferme, quos narravi, interfuisse existimo. Ech. Dic vero, quales fuerunt sermones? Ph. Conabor equidem a principio tibi omnia enarrare. Solebamus quotidie diebus superioribus ad Socratem proficisci ego atque alii, conveni-entes mane in illa curia, in qua et judicium factum fuerat: carceri enim erat proxima. Colloquentes igitur inter nos operiebamur semper illic, quoad carcer aperiretur. aperiebatur enim haud admodum mane. eo autem aperto ingrediebamur ad Socratem, et ad plurimum diem cum ipso confabulabamur. Tunc ergo prius solito convenimus. pridie namque ejus diei, cum e carcere egressi essemus vespere, navem ex Delo audivimus rediisse. Itaque ediximus invicem, summo mane nobis fore ad locum solitum redeundum. Cum vero reversi essemus, exiens nobis obvius janitor, qui nos solebat admittere, exspectare jussit nec prius ingredi quam ab ipso accersiremur. Solvunt enim, inquit, undecim viri Socratem, illique denuntiant hodie mortem esse obeundam. Neque deinde admodum commoratus rediit ad nos, jussitque intrare. Itaque introeuntes [60] Socratem quidem invenimus compedibus paulo ante solutum; Xanthippen vero (nosti mulierem) juxta sedentem puerumque ejus manibus tenentem. Quæ nos cum vidisset, ejulare cœpit, et qualia mulieres solent, exclamare: O Socrates, inquit, nunquam amplius affabuntur te tui familiares, neque tu illos. At Socrates Critonem intuitus, o Crito, inquit, deducat quis hanc domum. Et illam quidem reduxerunt quidam Critonis domestici, vociferantem atque plangentem. Socrates autem sedens in lectica contraxit ad se crus, manuque perfricuit, atque inter fricandum sic inquit: Quam mira videtur, o viri, hæc res esse, quam nominant homines voluptatem, quamque miro naturaliter se habet modo ad dolorem ipsum, qui ejus contrarius esse videtur: quippe cum simul homini adesse nolint. attamen si quis prosequitur capitque alterum, semper ferme alterum quoque accipere cogitur; quasi ex eodem vertice sint ambo connexa. Arbitror equidem Æsopum, si hæc animadvertisset, fabulam fuisse facturum: videlicet Deum ipsum, cum ipsa inter se pugnantia vellet conciliare neque id facere posset, in unum saltem eorum apices conjunxisse; propterea quicunque adest

Digitized by Google

alterum, eidem mox alterum quoque adesse. Quod quidem mihi accidit in præsentia. siquidem modo crus propter vincula afficiebatur dolore; sed huic succedere voluptas jam videtur. Ad hæc Cebes, Per Jovem, inquit, o Socrates, opportune mihi id in memoriam revocasti. cum enim poemata composueris, intendens sermones Æsopi procemiumque in Apollinem; tum alii multi me interrogaverunt, tum Evanus præcipue atque prius, quonam consilio, postquam huc devenisti, hæc feceris, quæ prius feceras nunquam. Si igitur tibi curæ est, ut habeam, quod respondeam Evano, quando iterum ex me quæsierit, quod certo scio ipsum esse facturum; dic quæso, quid illi sit respondendum. Vera, inquit, o Cebes, responde, me id effecisse, non ut vel sibi gratificarer vel cum suis carminibus decertarem: sciebam enim facile id non esse: verum ut insomnia quædam experirer, me simul expians, num forte hæc sit ea musica, quam sæpius jam exercere me jubent. Nam frequenter in superiori tempore insomnium idem, licet alia atque alia forma sese mihi offerens, eadem semper ita præcepit, Fac, o Socrates, musicam, atque exerce. Ego igitur, quod in superiori tempore faciebam, [61] hoc mihi præceptum arbitrabar: et quemadmodum currentes adhortari solemus, sic, quod ipse antea faciebam, ad idem me insomnium cohortari putabam; quasi philosophia maxima musica foret. Postquam vero facto jam de me judicio mori me interim Dei festivitas inhiberet: censui oportere, si forte insomnium totiens jubeat popularem hanc musicam exercere, non negligere ejus præceptum. Tutius enim fore arbitratus sum, antequam e vita migrarem, expiare animum atque, ut monet insomnium, poemata facere. Quamobrem primo equidem cecini eum ipsum, cujus tunc sacra celebrabantur: atque post Deum, judicans oportere eum, qui poeta futurus sit, non sermones sed fabulas facere, me vero non esse fabulatorem, nonnullas ex fabulis Æsopi, quas sciebam, promptioresque habebam, ut in quamque prius incidi, modulatus sum. Hæc igitur, o Cebes, refer Evano: et valere jube, atque consule, ut si probe sapit, me sequatur. migro enim hinc hodie. sic enim Athenienses jubent. Tunc Simmias, Quale id est, inquit, o Socrates, quod Evano mandas? sæpe quidem cum illo fui: et quantum de illo sentio, nullo pæne modo libens ille tibi parebit. So. Quid vero? nonne philosophus est Evanus? Sim. Mihi quidem videtur. So. Volet igitur et Evanus et omnis, quicunque hujus rei digne est particeps. Non tamen forte sibi vim inferet. non enim fas esse aiunt. Et simul hæc dicens, crura e lectica demisit in terram; atque ita sedens deinceps reliqua disputavit. Quæsivit igitur ab eo Cebes, Quonam id modo ais, o Socrates? fas quidem non esse seipsum violare; philosophum tamen optare morientem sequi? So. Sed dic, o Cebes, nonne tu Simmiasque talia quædam audivistis a Philolao, quo familiariter utebamini? Ce. Manifesti quidem nihil, o Socrates. So. Atqui ego quoque de his rebus ex auditu loquor. Quæ igitur forte ipse audivi, referre vobis nulla invidia prohibebit. etenim forte maxime decet, illo migraturum considerare, atque effingere, qualis fore putanda sit hæc ipsa migratio. quid enim aliud usque ad solis occasum quis faciat? Ce. Quam ob causam, o Socrates, nefas esse aiunt, sibimet manus inferre? jam enim, quod modo quærebas, ego a Philolao audivi, cum apud nos observaretur, et ab aliis insuper nonnullis, non decere id facere: apertum tamen hac de re quicquam nihil ab aliquo unquam audivi. [62] So. Sed attentione jam opus est. nam et si audiveris, mirum tamen forte videri possit, si hoc solum ex aliis omnibus simplex sit; nec accidat unquam homini, quemadmodum cetera, quando et quibusdam melius mori quam vivere. itaque mirum tibi forte videbitur, si his, quibus præstat mori, non liceat sibimet prodesse, sed alium oporteat exspectare, qui prosit. Tunc Cebes subridens Thebanorum more, Proh Juppiter, inquit. So. Atqui videri quidem potest id sic

Digitized by Google

absurdum. fortasse tamen quandam habet rationem. Profecto sermo ille, qui de his in arcanis habetur, in quadam custodia esse homines, neque decere quenquam ex hac seipsum solvere neque aufugere, magnus quidem mihi videtur neque cognitu facilis. Verumtamen id mihi, o Cebes, recte apparet dictum, Deos quidem curam habere nostrum; nos vero homines unam quandam ex possessionibus esse Deorum. an non ita tibi videtur? Ce. Mihi quidem. So. Nonne igitur et tu, si quid ex mancipiis tuis seipsum perimeret, cum tu nullo modo id permisisses, irascereris utique illi, et, si potestatem haberes, pœna quadam afficeres? Ce. Omnino. So. Forte igitur hac ratione haud præter rationem est, non prius decere seipsum interficere, quam Deus necessitatem aliquam imposuerit, qualem nobis imposuit in præsentia. Ce. Consentaneum id quidem apparet. Quod vero dicebas modo, philosophos perfacile velle mori, absurdum, o Socrates, videtur esse; siquidem, quod nunc diximus, rationem habet, Deum videlicet nostrum esse curatorem, nos vero in rebus ejus positos esse. Nullam enim id rationem habet, prudentissimos videlicet homines non ægre ferre, ab ea cura se amoveri, quam sibi præstant Dii, optimi omnium rerum gubernatores. Nunquam enim putaret vir prudens, ipsum se melius esse curaturum, si liber evaserit: sed demens aliquis forsitan id putaret, fugiendum scilicet esse a domino; neque cogitaret non esse id, quod bonum est, fugiendum, sed in eo maxime permanendum. ideoque absque ratione fugeret. Qui vero mentem habet, semper apud eum, qui sit melior, esse cupit. Atque ita, o Socrates, contra omnino conveniens esse videtur quam quod paulo ante dicebatur. Sapientes quidem decere graviter mortem ferre; insipientes vero libenter. Socrates igitur, cum hæc audisset, delectari visus est argutia [63] Cebetis. conversusque ad nos, Semper, inquit, hic Cebes rationes quasdam perscrutatur; neque admodum facile, quod quivis dixerit, vult admittere. Tunc Simmias, Mihi quoque, inquit, nonnihil videtur Cebes dicere. Quo enim consilio sapientes viri meliores revera quam ipsi sint, fugiant illisque carere facile patiantur? Atqui mihi videtur Cebes sermonem in te intendere, quod tam facile et nos relinquas et Deos, ut tu ipse fateris, principes bonos. Justa dicitis, inquit Socrates. arbitror enim vos dicere, meipsum tanquam in judicio oportere purgare. Sim. Et maxime quidem. So. Age ergo, conabor nunc apud vos accuratius, quam nuper apud Atheniensium judices fecerim, me defendere. Equidem, o Simmia atque Cebes, nisi me migraturum putarem primum quidem ad Deos alios sapientes et bonos, deinde ad homines defunctos his, qui hic sunt, meliores, injuste agerem non moleste ferens mortem. Nunc certe habetote, sperare me ad viros bonos iturum. sed hoc quidem haud omnino asseverarem. Quod vero ad Deos dominos valde bonos iturus sim, certum habetote, si quid aliud ejusmodi, et hoc utique me affirmaturum. Propterea haud similiter mortem moleste fero: sed bono animo sum; speroque superesse aliquid his, qui defuncti sunt; atque, ut jam diu dicitur, multo melius bonis fore quam malis. Sim. Quidnam, o Socrates, cogitas? nunquid ipse cum isthac sententia hinc abire? an nos quoque participes ejus relinquere? nempe commune nobis quoque id bonum arbitror esse debere. præterea ita demum te apud nos purgaveris, si, quæ dicis, nobis etiam persuaseris. So. Dabo equidem operam. sed Critonem prius auscultemus. videtur enim mihi jamdudum nonnihil significare velle. Cri. Quidnam putas aliud, o Socrates, quam quod jamdudum mihi dicit is, qui tibi venenum est daturus? jubet enim te moneri, ut quam parcissime loquaris: dicens eos qui disputant, nimium incalescere: nihil vero tale bibituris venenum convenire. alioquin eos, qui id fecerint, cogi interdum bis, quandoque ter venenum bibere. So. Mitte ipsum. tantum id, quod est officii ejus, paret, tanquam bis et, si oportuerit, ter

Digitized by Google

præbiturus. Cri. Et antea quidem ferme id responsurum sciebam. sed me ille jamdudum stimulat. So. Mitte ipsum. Ego vero, o judices, rationem vobis jam reddere volo, ob quam mihi videatur vir, qui per omnem vitam incubuerit philosophiæ, merito magna cum fiducia [64] imminentem exspectare mortem, atque bona spe esse, se ibi, postquam hinc migraverit, maxima bona reportaturum. quemadmodum igitur id ita se habeat, o Simmia atque Cebes, conabor equidem aperire. Quicunque philosophiam recte aliquando attigerunt, nimirum videntur latuisse ceteros homines, quod nihil aliud ipsi commentarentur quam mori atque esse se mortuos. Quod si id verum est, perabsurdum foret, si, cum nihil præter hoc aliud per omnem vitam studuerint, hoc ipso adveniente, quod jam diu agitabant exercebantque, graviter ferrent. Hinc Simmias arridens, per Jovem, inquit, o Socrates, mihi quidem haud multum ridere cupienti risum expressisti. Nam multos arbitror fore, qui, si id audiverint, aptissime in philosophos dictum putent: nostrosque homines consensuros et valde quidem, philosophos eos revera se ipsos morti præbere; nec tamen se latuisse, quam digni sint morte. So. Forte id recte, o Simmia, dicerent, præter id quod se non latuisse addunt. latuit sane eos, qua ratione veri philosophi et mori studeant et morte sint digni. Sed jam relinquamus illos, nobisque ipsis loquamur. Putamusne aliquid esse mortem? Sim. Aliquid certe. So. Nunquid aliud quam animæ a corpore solutionem? esseque id mortuum esse, scilicet solutum ab anima corpus per se seorsum esse? seorsum quoque a corpore animam solutam, ipsam per seipsam existere? nunquid mors præter hoc aliud est? Sim. Nihil aliud. So. Considera, bone vir, num tibi idem quoque et mihi videatur. ex his enim nos arbitror planius, quæ perquirimus, inventuros. Videturne tibi philosophi officium esse sectari eas, quæ appellantur voluptates, quales sunt epularum atque poculorum? Sim. Minime quidem, o Socrates. So. Sed nunquid venereorum? Sim. Nullo modo. So. Quid? reliquum corporis cultum an multi facere philosophus tibi videtur? ut habere vestes egregias calceosque et alia, quæ circa corpus sunt ornamenta; utrum multi facere tibi videtur, an nihili pendere, nisi quatenus magna cogat necessitas illis uti? Sim. Mihi quidem videtur verus philosophus hæc omnia floccipendere. So. An non tibi videtur ejusmodi studium haud ad corpus quidem declinare, sed, quantum fieri potest, ab illo discedere atque ad animum se convertere? Sim. Mihi quidem. So. Nonne igitur in ejusmodi rebus primum manifeste apparet philosophus præter ceteros homines [65] animum, quam maxime potest, a commercio corporis segregare? Sim. Apparet. So. Putant vero plerique, o Simmia, eum hominem, cui nihil talium dulce sit neque illis fruatur, revera vivere existimandum non esse, sed pene mortuum, cum voluptates corporis non percipiat. Sim. Verissima narras. So. Quid autem circa sapientiæ ipsius acquisitionem? utrum impedimento est corpus, si quis ipsum socium ad investigandum assumpserit: necne? quale utique, tale aliquid dico. Habentne visus et auditus veritatem in hominibus aliquam? an talia quædam ipsi quoque poetæ semper canunt, nihil nos audire, nihil videre sincerum? Atqui si ii corporis sensus sinceri certique non sunt, neque etiam alii: quippe cum ceteri omnes his quodammodo deteriores sint. an non tibi videntur? Sim. Prorsus. So. Quando igitur animo veritatem attingit? quando enim aliquid cum corpore tentat investigare, procul dubio decipitur a corpore. Sim. Vere loqueris. So. An non sicubi proprie in ipsa ratiocinatione fit sibi aliquid eorum, quæ vere sunt, manifestum? Sim. Ita est. So. Ratiocinatur autem tunc optime, quando horum nihil eum perturbat, neque auditus neque visus, neque dolor neque voluptas: sed quam maxime seipsum in se recipiens, deserit corpus, neque quicquam, quoad fieri potest, cum illo

Digitized by Google

communicans neque attingens, ipsum, quod vere est, affectat. Sim. Est ita. So. Nonne et in hoc philosophi animus maxime contemnit corpus, ab eoque aufugit, quæritque secundum seipsum vivere? Sim. Apparet. So. Quid vero hæc, o Simmia? Dicimusne justum ipsum esse aliquid an nihil? Sim. Aliquid per Jovem. So. Rursus ipsum pulchrum ipsumque bonum aliquid esse? Sim. Quidni? So. Num aliquando horum aliquid oculis percepisti? Sim. Nunquam. So. An allo quodam sensu corporis attigisti? loquor autem de omnibus, veluti de ipsa magnitudine, de sanitate, de robore ipso, ac summatim de ceterorum omnium essentia, id est, quod unumquodque sit: nunquid per corpus quod in his verissimum est perspicitur? an ita se res habet. quicunque nostrum maxime et sincerissime cogitare mente se comparat ipsum, quod aggreditur cogitandum, hic proxime ad cognitionem ipsius accedit? Sim. Prorsus. So. Nonne igitur ille purissime faceret, quicunque ipsa mentis excogitatione quam maxime se ad unumquodque conferret, neque visum in excogitando adhibens neque sensum prorsus ullum ratiocinationi conjungens: [66] sed ipsa secundum se ipsam mentis excogitatione sincera utens, ipsum per se quodlibet sincerum existens studeret venari, ab oculis, ab auribus et, ut summatim dicam, a toto corpore liber, utpote perturbante animum, neque permittente veritatem sapientiamque assequi, si quando in communionem recipiatur? An non hic erit, o Simmia, si quis unquam alius, ipsius, quod vere est, compos. Sim. Mirifice vera loqueris, Socrates. So. Nonne igitur ex his omnibus necessario sequitur, opinionem ejusmodi legitimis philosophis usque adeo constare debere, ut ad se invicem ita loquantur? Necessaria jam ratione concluditur, nos quadam rationis ipsius via ad id considerandum perduci, videlicet donec corpus habemus, animusque noster tanto malo erit admixtus, nunquam nos id, quod desideramus, verum ad votum consecuturos. Impedimenta enim pæne innumerabilia corpus præbet propter necessariam ejus alimoniam. præterea morbi nobis hinc incidentes investigationem veritatis impediunt: amoribus, cupiditatibus, timoribus, multiplicibusque imaginibus, multis denique nugis nos implet, ut verissime dicatur nihil pensi unquam ac veri nobis afferre. Nam ad bella, ad seditiones, ad pugnas nihil aliud quam corpus multiplex, ejusque cupiditates impelli. Omnia enim pecuniarum gratia fiunt. Pecunias autem quærere cogimur corporis gratia, usui ejus inservientes, atque ita fit, ut propter hæc omnia a philosophiæ studiis abstrahamur. Extremum vero omnium est, quod si quid ab ipso otii nobis contingat, nosque ad considerandum aliquid conferamus, investigantibus nobis rursus ubique sese opponens, tumultu quodam perturbat animum, et quasi percutiens reddit attonitum, adeo ut hoc obstaculo impediti verum perspicere nequeamus. Ceterum nobis revera demonstratum est, si quando optamus pure aliquid intelligere, recedere a corpore oportere atque ipso animo res ipsas considerare. atque tunc, ut apparet, compotes evademus ejus, quod affectamus, cujusve amatores profitemur nos esse, scilicet sapientiæ, cum videlicet mortui fuerimus, quemadmodum significat ratio: dum autem vivemus, nequaquam. nempe si nihil cum corpore pure discerni potest, e duobus alterum: aut nullo modo possumus scientiam consequi aut post mortem. Tunc enim animus ipse per seipsum erit seorsum a [67] corpore; prius vero nequaquam. Atque dum vivimus, ita; ut videtur, proxime ad scientiam accedemus si quam minimum cum corpore commercium habuerimus, neque quicquam cum illo communicaverimus, nisi quantum summa cogat necessitas; neque hujus natura replebimur, sed ab ejus contagione cavebimus, quoad deus ipse nos solvat. Atque ita puri et a corporis insania liberati, ut consentaneum est, cum talibus erimus, cognoscemusque per nos ipsos sincerum quodlibet, id est, forsitan ipsum verum. nam impuro

Digitized by Google

quidem purum attingere nefas est. Talia equidem, o Simmia, judico necessarium esse omnes discendi cupidos loqui invicem atque opinari. an non ita tibi videtur? Sim. Et maxime quidem omnium, o Socrates. So. Si hæc igitur vera sunt, o amice, magna spes est eunti illuc, quo nunc ego proficiscor, sicubi, et ibi sufficienter ejus rei se compotem fieri, cujus gratia tantum nos negotium in superiori vita suscepimus. Hanc ergo migrationem, in præsentia mihi injunctam, bona cum spe suscipio: similiterque quivis alius, qui modo putavit præparatam sibi mentem tanquam purificatam. Sim. Ita prorsus. So. Purificatio vero nonne in hoc consistit, quod jamdudum dicebamus, videlicet ut, quam maxime possumus, sejungamus a corpore animum, eumque assuefaciamus per se undique a corporis contagione sevocari et colligi, itaque (quoad ejus fieri potest) habitare; idque, et in præsenti tempore et in futuro, a corpore tanquam a vinculis resolutum? Sim. Maxime quidem. So. Nonne igitur hæc mors appellatur, solutio animæ et separatio a corpore? Sim. Prorsus. So. Solvere vero ipsum, quemadmodum confitemur, omni tempore maxime ac soli student, qui recte et philosophantur, atque hæc ipsa philosophorum meditatio est, animum a corpore solvere atque separare. nonne ita? Sim. Ita videtur. So. Quamobrem, ut in principio dicebam, ridiculum foret, si vir, qui se in vita sic comparavit, ut quam proxime ad mortem accederet, ea deinde adveniente perturbaretur. nonne ridiculum? Sim. Quidni? So. Revera igitur, o Simmia, recte philosophantes mortem commentantur, atque ab ea minime omnium perterrentur. Ita vero considera. Cum enim corpus quidem ubique aspernentur, animum vero ipsum cupiant secundum seipsum habere; nonne summa esset absurditas, si tunc, quando id evenit, expavescant molesteque ferant; neque libenter illuc proficiscantur, quo cum pervenerint, spes est eo quidem, quod [68] amabant in vita, potiri (amabant autem sapientiam); eo autem, cujus commercium moleste ferebant, liberari? An vero amatis et mulieribus et filiis defunctis, multi jam sponte voluerunt ad inferos proficisci, sperantes eos ibi visere cum eisque versari, quos amaverant: sapientiæ autem verus amator, vehementer in hanc ipsam spem adductus, non aliter eam pro dignitate ulla se comparaturum, quam si moriatur, imminentem mortem ægre feret, ac non libenter hinc illuc emigrabit? Arbitrari quidem, o amice, oportet, si vere philosophus sit, magnopere apud ipsum hanc opinionem valere, ut non alibi puram sapientiam posse assequi speret quam in futura post mortem vita. Si autem hoc ita se habet, nonne, quemadmodum modo dicebam, præter rationem foret omnino, si mortem vir ejusmodi formidaret? Sim. Per Jovem, contra rationem. So. Sufficiens ergo conjectura erit, inquit, si quem videris moleste mortem ferre, eum non esse philosophum, sed philosomatum quendam, id est corporis amatorem, atque eundem ferme philocrimatum et philotimum, id est pecuniarum honorumque cupidum: ac talem, ut alterum horum affectet aut utrumque. Sim. Omnino ita est, ut ais. So. Proinde quæ, o Simmia, fortitudo nominatur, an non viris ejusmodi maxime convenit? Sim. Maxime. So. Nonne et temperantia (cujus plerique aiunt officium esse nequaquam prosternere se libidinibus, sed parvi pendere illas, modestiamque servare) his duntaxat convenit, qui corpus despiciunt maxime atque in philosophia vivunt? Sim. Necesse est. So. Si enim considerare velis fortitudinem temperantiamque aliorum, tibi perabsurda videbitur. Sim. Quanam, o Socrates, ratione? So. Scis utique, ceteros omnes mortem unum ex maximis malis existimare. Sim. Et maxime quidem. So. Nonne igitur majorum metu malorum, quicunque inter eos fortes sunt, sustinent mortem, quando sustinent? Sim. Hoc pacto. So. Metuendo igitur atque metu fortes sunt omnes præter philosophos: etsi absurdum est, metu vel timiditate aliquem esse fortem. Sim. Nimium certe.

Digitized by Google

So. Quid autem? qui inter eos moderati dicuntur, nonne simili quodam pacto affecti sunt, intemperantia videlicet quadam temperati? quamquam impossibile id esse dicimus. Verumtamen illis evenit affectio quædam huic similis, in istac eorum fatua temperantia. timentes enim, ne aliis careant voluptatibus, easque appetentes, a ceteris abstinent, ab aliis superati; etsi vocant intemperantiam a [69] voluptatibus superari. verumtamen accidit eis, ut superati a voluptatibus alias superent voluptates. Jam vero id illi simile est, quod modo dicebatur, scilicet quodam modo per intemperantiam fieri temperatos. Sim. Simile quidem. So. Animadvertendum est, o beate Simmia, ne hæc haudquaquam recta sit ad virtutem via, voluptates videlicet voluptatibus, dolores doloribus, et metum meta, et majus minori, tanquam nummos, commutare: sed ille duntaxat rectus sit nummus, cujus gratia hæc omnia oporteat commutari atque venundari, scilicet sapientia sive prudentia: pro qua et cum qua omnia empta ac vendita revera sit et fortitudo et temperantia et justitia, ac summatim vera virtus cum sapientia sive prudentia: et accedentibus et recedentibus voluptatibus et timoribus ceterisque generis ejusdem. Sin autem a sapientia segregata invicem commutantur, adumbratio quædam sit ejusmodi virtus, ac revera servilis, nihil sani verique possidens: virtutis autem veritas in horum omnium purificatione revera consistat: et temperantia et justitia et fortitudo, et sapientia ipsa sit purificatio quædam. Quamobrem hi, qui mysteria nobis constituerunt, minime contemnendi videntur; sed revera jamdiu occulte nos admonere, quicunque non expiatus neque initiatus migrabit ad inferos, eum jacere in luto: quicunque vero purgatus atque initiatus illuc accesserit, cum diis habitare. aiunt enim, qui mysteria tractant, ministri Bacchi ferentes ferulas narthecophori quidem feruligeri multi sunt, Bacchi vero pauci. Hi vero, ut equidem opinor, non alii sunt, quam qui recte philosophati sunt. quorum quidem in numero esse me, neque inferiorem quidem omni studio pro viribus conatus sum; an vero recte contenderim aliquidve profecerim, cum illuc pervenerimus, certo sciemus, si deus voluerit, paulo post, ut mihi videtur. Hæc igitur mea excusatio est, o Simmia et o Cebes, quam videlicet ob causam, cum vos eosque, qui hic sunt, dominos relinquam, merito non segre feram neque perturber, spero enim, me et illic non minus, quam hic, bonos dominos amicosque inventurum. Multi vero id minime credunt. Si igitur defensio mea vobis magis quam Athenaiensibus judicibus persuasit, bene se res habet. Cum hæc Socrates dixisset, suscipiens sermonem Cebes sic inquit, Cetera quidem, o Socrates, recte dicta videntur: quantum vero ad ipsam animam [70] spectat, valde ambigunt homines, ne anima a corpore separata nusquam sit ulterius, sed ea ipsa die, qua homo mortem obierit, intereat statimque sejuncta a corpore dissolvatur, atque exhalans, quasi ventus aut fumus, dissipetur atque evanescat, neque usquam ulterius omnino sit aliquid. Profecto si esset alicubi collecta in semetipsam, et ab his malis, quæ tu modo narrabas, liberata, multa nimirum bonaque spes esset, o Socrates, vera, quæ dicebas, fore. Ceterum ad id fortasse persuasione fideque non parva opus est, ut credatur, superesse animam post interitum hominis, atque aliquam vim intelligentiamque habere. So. Vera, o Cebes, loqueris. Verum quid agendum censes? an forte de his ipsis confabulandum, utrum ita fore an aliter probabile sit? Ce. Libenter equidem audirem de his rebus, quid sentias. So. Neminem arbitror hæc audientem, nec si comœdus quidem sit, esse dicturum nugari nunc me, ac de quibus minime oporteat verba facere. Si ergo placet oportetque considerare, id hoc pacto consideremus, utrum videlicet apud inferos sint mortuorum animæ, necne. Vetus quidem hic exstat sermo, cujus memores sumus, abire quidem illuc animas defunctorum, rursusque huc reverti fierique ex mortuis. Atqui si hoc verum

Digitized by Google

est, ut ex mortuis iterum viventes fiant, essent animæ illic nostræ. neque enim rursus fierent, si alicubi non essent. Atque hæc sufficiens conjectura est, ita esse, si revera constet, haud aliunde viventes fieri quam ex mortuis. at vero nisi id sit, alia opus erit ratione. Cæ. Omnino. So. Neque vero id in hominibus solum, si planius intelligere vis, considcres, sed in animalibus omnibus et plantis atque, ut summatim dicam, in omnibus quæ gignuntur, in his, inquam, omnibus consideremus, nunquid omnia sic fiant, neque aliunde quam ex contrariis contraria, quibuscunque tale aliquid contingit: quemadmodum pulchrum turpi quodammodo contrarium est et justum injusto, aliaque ejusmodi quamplurima videmus. Ergo utrum necessarium sit, cuicunque aliquid est contrarium, nullo modo aliunde id quam ex suo contrario fieri? Veluti quando quid majus efficitur, necesse est ex eo, quod ante fuerat minus, postea majus evadere. Cæ. Ita est. So. Nonne et si minus aliquid fiat, ex eo, quod ante majus erat, [71] postea fiet minus? Cæ. Sic omnino. So. Quin etiam ex robustiori debilius, ex tardiori velocius? Cæ. Prorsus. So. Quid vero? si quid evadat deterius, nonne ex meliori? et si justius, ex injustiori? Cæ. Quidni? So. In omnibus igitur satis id exploratum habemus, omnia ita fieri, contraria videlicet ex contrariis. Cæ. Prorsus. So. Quid rursus? Estne medium aliquid inter contraria duo? duæ videlicet inter illa generationes, sive progressiones ab altero quidem in alterum, atque in alterum vicissim ab altero? Sane inter majus atque minus medium obtinent incrementum et decrementum: dicimusque id quidem crescere, illud vero decrescere. Cæ. Ita. So. Nonne similiter discerni vicissim atque confundi, frigiscere et incalescere, omniaque eodem pacto? et si nomina nobis desunt alicubi, ubique tamen ita necesse est, fieri videlicet omnia ex contrariis invicem, generationemque esse utriusque vicissim in alterum? Cæ. Omnino quidem. So. Quid vero? ei quod est vivere, estne aliquid contrarium? quemadmodum ei, quod vigilare est, dormire contrarium? Cæ. Sic est omnino. So. Quidnam? Cæ. Mori. So. An non ex se invicem hæc fiunt? siquidem contraria sunt: cumque duo sint, duæ quoque inter hæc generationes mutuæ sive progressiones? Cæ. Nihil prohibet. So. Alteram quidem conjugationem eorum, quæ modo dicebam, ego tibi dicam, tam ipsam quam generationes eorum: tu vero mihi aperies alteram. Dico autem illud quidem dormire, illud autem evigilare; atque ex somno vigiliam fieri et ex vigilia somnum: horumque generationes hanc quidem connivere, illam vero expergisci. satisfeci tibi, necne? Cæ. Satisfecisti certe. So. Dic tu mihi quoque similiter de vita atque morte. an non contrarium vivere dicis esse atque mori? Cæ. Equidem. So. Et ex se invicem fieri? Cæ. Ita. So. Ergo ex vivente quidnam fiet? Cæ. Mortuum. So. Quid autem ex mortuo? Cæ. Necesse est confiteri vivens. So. Igitur ex mortuis, o Cebes, viventia fiunt atque viventes. Cæ. Apparet. So. Sunt igitur apud inferos animæ nostræ? Cæ. Videtur. So. Nonne ergo et generationum, quæ circa hæc sunt, altera quidem manifesta est? Mori enim manifestum est: nonne? Cæ. Ita prorsus. So. Quidnam igitur faciemus? non reddemus vicissim generationem huic contrariam, sed hac in re duntaxat mancam dicemus naturam esse? an vero necesse est reddere ei, quod mori est, contrariam quandam generationem? Cæ. Omnino. So. Quam vero istam? Cæ. Reviviscere. So. Nonne igitur, si reviviscentia est, progressio quædam hæc est [72] ex mortuis ad viventes? Cæ. Est utique. So. Convenit ergo nobis hac insuper ratione, viventes ex mortuis fieri nihilo minus quam mortuos ex viventibus. quod cum ita sit, sufficientem conjecturam hinc haberi, animas mortuorum necessario alicubi esse, unde iterum revertantur. Cæ. Videtur mihi, o Socrates, hoc ex his, quæ concessa sunt, necessario sequi. So. Animadverte ergo, o Cebes, haud ab re

Digitized by Google

nos hæc, ut arbitror, concessisse. Nisi enim continue altera vicissim alteris redderentur, quasi quodam circulo remeantia, sed directa quædam progressio foret, duntaxat ex altero in ejus oppositum, neque rursus reflecterentur in alterum facerentque regressum ; omnia tandem, mihi crede, eandem subirent figuram atque affectionem, fierique cessarent. Ce. Quonam id pacto dicis? So. Haudquaquam intellectu difficile est, quod loquor. Perinde enim ac si in somnum caderetur quidem, ab eo vero in vigiliam nunquam resurgeretur, minime te latet, omnia tandem eo deventura, ut Endymion ridicula quædam fabula videatur, neque appareat usquam ; cum cetera quoque universa somno similiter opprimantur. Proinde si confunderentur quidem omnia, nunquam vero discernerentur, Anaxagoræ illud repente contingeret, Universa videlicet esse simul. Eadem ratione, o amice Cebes, si, quæcunque vitam accéperint, moriantur, mortua vero cum fuerint, mortua relinquantur neque iterum reviviscant ; an non necessarium est omnino, cuncta demum interiisse nihilque vivere? Nam si ex aliis quidem viventia fierent, postea vero perirent, quid obstaret, quo minus in interitum cuncta consumerentur? Ce. Nihil prorsus, o Socrates ; sed mihi omnino vera loqui videris. So. Est certe, o Cebes, maxime omnium ita, ut mihi videtur ; neque nos hæc ipsa quasi decepti confessi sumus : sed revera reviviscentia est, atque ex mortuis viventes fiunt, mortuorumque supersunt animæ, atque bonis quidem melius est ; malis vero pejus. Ce. Atqui et secundum illud, o Socrates, quod frequenter usurpare soles, si modo verum est, Disciplinam videlicet nostram nihil esse aliud quam reminiscentiam : et secundum hoc, inquam, necesse est, nos in superiori quodam tempore ea, quorum nunc reminiscimur, didicisse. Id vero fieri non posset, nisi prius anima nostra [73] fuisset alicubi, quam in hanc humanam speciem deveniret. quamobrem et hac ratione immortale quiddam anima videtur esse. Sim. Quales hujus rei demonstrationes habes, o Cebes? Commemora eas nobis. Non enim satis in præsentia memini. Ce. Una quidem ratio est pulcherrima, quod interrogati homines, si quis eos recte interroget, ipsi omnia quemadmodum sunt, respondent. Atqui nunquam id facere possent, nisi inesset ipsis scientia rectaque ratio. Deinde, si quis eos ad geometricas figuras descriptionesque vel simile aliquid converterit, ibi manifeste comperiet, ita id se habere. So. Si hæc, o Simmia, ratio tibi non satisfacit, attende, an sic tibi consideranti idem quod nobis videatur. Diffidis enim, eam, quam disciplinam vocant, reminiscentiam esse posse. Sim. Haud equidem diffido. Veruntamen id expedit mihi discere, de quo sermo est, scilicet reminisci. Ac ferme ex his, quæ Cebes cœpit dicere, jam recordor, et credo. Nihilo minus tamen et a te, o Socrates, qua ratione id modo probare ipse aggrediebaris, perlibenter audirem. So. Hac equidem ratione. confitemur sane quodammodo. si quis alicujus reminiscatur, oportere ipsum prius aliquando id scivisse. Sim. Prorsus. So. Nunquid ergo et hoc confitemur, quotiens scientia hoc modo provenit, reminiscentiam eam esse? dico autem hoc pacto. si quis aliud quiddam viderit vel audiverit vel alio perceperit sensu, neque solum idipsum cognoscat, verum etiam agnoscat aliud quiddam, cujus non una eademque, sed alia scientia sit ; nonne merito dicemus, hunc ejus rei reminisci, in cujus pervenerit notionem? Sim. Quonam pacto id dicis? So. Hoc. alia quodammodo hominis scientia est, alia lyræ. Sim. Quidni? So. An ignoras hoc amantibus evenire, cum lyram aut vestem aut quid aliud ex his aspiciant, quibus uti eorum puellæ amatæ consueverunt. nam et agnoscunt lyram, et simul mente formam recolunt puellæ, cujus erat lyra. Hoc vero est reminisci. ceu si quis, cum Simmiam viderit, sæpe Cebetis recordetur ; et cetera ejusdem generis infinita. Sim. Infinita, per Jovem. So. An non igitur tale quiddam recordatio quædam est? maxime vero, si id nobis in illis contingat rebus, quas longitudine temporis et negligentia oblivioni

Digitized by Google

jam tradiderimus? Sim. Ita certe. So. Quid vero? contingitne, ut, qui equum pictum viderit pictamque lyram, reminiscatur hominis? atque cum pictum aspexerit Simmiam, veniat illi in mentem et Cebes? Sim. Sic utique. So. Nonne evenit etiam, ut, qui Simmiam inspexerit pictum, ipsius quoque Simmiæ recordetur? Sim. [74] Evenit certe. So. An non secundum hæc omnia contingit, tum a similibus, tum a dissimilibus reminiscentiam provenire? Sim. Contingit. So. Verum quotiens a similibus quispiam reminiscitur, an non necesse est id insuper intelligere, utrum deficiat hoc secundum similitudinem, necne, ab illo cujus repetita memoria est? Sim. Necesse est. So. Attende sane, nunquid hæc ita se habeant. dicimus aliquid esse æquale? non dico lignum ligno, neque lapidem lapidi, neque aliud ejusmodi quicquam, sed præter hæc omnia aliud quiddam æquale ipsum dicimusne aliquid esse, an nihil? Sim. Dicimus, per Jovem; et quidem mirifice. So. An scimus et ipsum, quod est æquale? Sim. Omnino quidem. So. Undenam scientiam ejus accepimus? an non ex his, quæ modo diximus, videlicet conspicati vel ligna vel saxa vel alia quædam æqualia, ex his illud excogitavimus, quod aliud est quam hæc? an non aliud quiddam apparet? Considera vero et hoc pacto. nonne saxa vel ligna æqualia, dum eadem sunt, alias æqualia, alias inæqualia nobis apparent? Sim. Penitus. So. Quid autem? ipsa æqualia possunt inæqualia tibi videri? vel æqualitas, inæqualitas? Sim. Nunquam, o Socrates. So. Quamobrem non idem sunt hæc æqualia atque ipsum æquale. Sim. Nullo modo idem mihi apparent, o Socrates. So. Veruntamen ab his æqualibus, quæ alia sunt quam ipsum illud æquale, ipsius simul excogitasti scientiam atque percepisti. Sim. Verissima loqueris. So. An non, sive simile ipsum sit sive dissimile? Sim. Omnino. So. Nihil sane refert. quatenus enim aliud conspicatus, ex hac ipsa perspectione aliud intellexeris, sive simile sive dissimile, necesse est hinc reminiscentiam provenire. Sim. Et maxime quidem. So. Quid vero ad id? an sic nos habemus circa ea, quæ sunt in his, quæ modo dicebamus, æqualia, lignis, saxisque et aliis? videnturne ita æqualia hæc esse, ut ipsum, quod est æquale? an deesse potius aliquid, quo minus talia sint, quale est æquale ipsum, an nihil? Sim. Permultum certe deest. So. Nonne confitemur: quando quis aliquid intuens animadvertat, appetere quidem hoc, quod in præsentia videt, esse tale, quale quiddam aliud ex his quæ sunt; verum deficere, neque posse tale esse æquale, quale sit illud, sed deterius esse; nonne necesse est eum, qui animadvertit, ante cognovisse illud, cui dicit hoc quodammodo simile fieri, sed ad plenam similitudinem non accedere? Sim. Necesse est. So. Quid ergo? talene aliquid contingit et nobis, nec ne, circa æqualia ipsumque æquale? Sim. Quam plurimum. So. Necesse est ergo, nos æqualis ipsius scientiam ante illud tempus habuisse, [75] in quo primum videntes æqualia, agnovimus conari quidem hæc omnia talia evadere, quale est ipsum, attamen a perfectione ipsius abesse. Sim. Ita est. So. Atqui et hoc confitemur, nos neque aliunde id agnovisse neque agnoscere posse, quam ex visu vel tactu vel alio quodam sensu. similiter enim de his omnibus judico. Sim. Similiter, o Socrates, ad id se habent, de quo agitur, ostendendum. So. Atqui a sensibus quidem intellexisse oportet, omnia, quæ subjecta sunt sensibus, illud, quod est æquale, appetere, quamvis ipsum non assequantur. an aliter dicimus? Sim. Haud aliter. So. Ante enim, quam inciperemus videre aut audire aliisque uti sensibus, oportuit nos æqualis ipsius scientiam possedisse, videlicet quid ipsum sit: si modo æqualia hæc, quæ sensibus subjacent, ad ipsum adeo relaturi simus, ut judicemus anniti quidem hæc omnia talia, quale ipsum est, evadere, veruntamen deteriora relinqui. Sim. Necessario ex superioribus, o Socrates, sequitur. So.

Digitized by Google

An non statim nati vidimus et audivimus aliosque sensus exercuimus? Sim. Omnino. So. Oportuit autem, ut diximus, ante hæc ipsius æqualis scientiam habuisse. Sim. Oportuit. So. Quamobrem, ut videtur, necesse est, antequam nasceremur, eam comprehendisse. Sim. Sic apparet. So. Nonne, si eam sortiti ante nativitatem ipsam jam habentes nati sumus, scivimus et ante ortum atque statim nati, non solum ipsum æquale majusque et minus, verum etiam ejusdem generis omnia? non enim de æquali magis nunc nobis est sermo quam de ipso pulchro, de ipso bono, de ipso justo atque sancto, et, ut dico, de omnibus, quibus proprie hoc ipsum, quod est, assignamus, et interrogationibus interrogantes et responsionibus respondentes, ut necessarium sit nos, antequam nasceremur, horum omnium scientiam habuisse. Sim. Est ita. So. Ac si, acceptis scientiis, non semper oblivisceremur, oporteret et cum ipsis nasci, semper etiam per omnem vitam scire. Nam scire id est, acceptam alicujus rei scientiam retinere nec amisisse. an non oblivionem scientiæ jacturam esse dicimus? Sim. Ita prorsus, o Socrates. So. Sin autem acceptam ante ortum scientiam nati amisimus; deinde vero freti sensibus circa ipsas scientias illas, quas ante habueramus, recipimus: nonne id, quod discere appellamus, esset scientiam propriam recuperare, atque id Reminisci nominantes recte nominaremus? Sim. Recte. So. Fieri enim id posse apparuit: videlicet ut cum quis aliquid sensorit vel [76] videndo vel audiendo vel aliter sentiendo, aliud quiddam ex hoc agnoscat, cujus erat oblitus, cui quidem hoc quodammodo propinquabat, sive simile id sit sive dissimile. Ita, quod jam pridem dico, e duobus alterum. aut enim scientes nati sumus, scimusque per omnem vitam omnes; aut, quos deinde dicimus discere, duntaxat reminiscuntur; atque disciplina reminiscentia est. Sim. Sic omnino se res habet, o Socrates. So. Utrum igitur eligis, o Simmia? vel cum scientia nos esse natos, vel reminisci postea, quorum prius scientiam acceperimus? Sim. Ambigo, utrum in præsentia, Socrates, eligam. So. Quid vero? potesne eligere, quid de hoc videatur tibi? Vir sciens potestne eorum, quæ scit, reddere rationem, an contra? Sim. Necesse est, o Socrates, posse. So. An vero tibi videntur omnes rationem de his, quæ modo tractabamus, afferre posse? Sim. Optarem equidem: sed multo magis vereor, ne eras nullus hic homo sit, qui pro dignitate id sciat efficere. So. Non igitur, o Simmia, putas omnes hoc intelligere? Sim. Nullo modo. So. Reminiscuntur ergo, quæ aliquando didicerant. Sim. Necesse est. So. Quando vero acceperunt animæ nostræ scientiam? non enim postquam homines nati sumus. Sim. Non certe. So. Ergo prius. Sim. Ita. So. Erant igitur, Simmia, animæ etiam prius, quam in humanam speciem devenirent, seorsum a corpore, intelligentiamque habebant. Sim. Nisi forte, o Socrates, dum nascerentur, ipsas scientias acceperimus. nam id etiam tempus reliquum est. So. Esto sic, o amice. sed quonam alio tempore eas amisimus? non enim habentes jam eas nascimur, ut modo confitebamur. An in eodem perdimus, quo et accepimus? an aliud tempus afferre potes? Sim. Nullo, Socrates, modo. sed nihil me dicere minime advertebam. So. An ergo sic nobis se res habet, o Simmia? Si quidem sunt ea, quæ quotidie prædicamus, pulchrum scilicet quiddam atque bonum et omnis ejusmodi essentia, ad quam omnia sensibus percepta referimus, quæ et prius erat nostra et tanquam nostram quærentes invenimus atque ad ipsius exemplar referimus; necesse est, ita, ut et ipsa sunt, nostram quoque animam prius etiam, quam nasceremur, exstitisse. At si hæc non sunt, frustra utique ratio hæc tractata esset. An non ita se habet, atque par necessitas est, et ipsa esse et animas nostras, antequam nasceremur: et nisi ipsa sunt, neque hæc utique sunt? Sim. Mirifice, o Socrates, eadem mihi videtur esse necessitas: atque pulcherrime huc ratio nos

Digitized by Google

perducit, ut similiter tam animam nostram quam essentiam [77] ipsam, quam modo dicebas, ante quam nasceremur, exstitisse confiteamur. Nihil enim tam certum habeo quam esse ejusmodi omnia, et quidem maxime, scilicet pulchrum ipsum et bonum aliaque omnia, quæ tu modo dicebas. Et quantum ad me attinet, satis est demonstratum. So. Quid vero videtur Cebeti? oportet enim illi quoque persuadere. Sim. Satis et illi arbitror persuasum, quamvis omnium repugnantissimus sit et ad credendum tardissimus. opinor tamen sufficienter illi probatum, ante ortum nostrum animam exstitisse. An vero post interitum nostrum etiam futura sit, nec mihi quidem ipsi, o Socrates, satis adhuc videtur ostensum. sed nunc etiam restat multorum dubitatio illa, quam in medium Cebes adduxerat, ne videlicet homine moriente simul anima dissipetur atque ita esse desinat. quid enim prohibet fieri quidem illam et aliunde constitui, atque esse prius etiam, quam in corpus hominis laberetur: postquam vero ab eo discesserit, tunc illam insuper interire? Cr. Recte loqueris, Simmia. Videtur enim quasi dimidium ejus, quod oportet, probatum, ante videlicet, quam nasceremur, nostram animam exstitisse: oportere autem id quoque ostendere, postquam mortui fuerimus, non minus fore quam esset, antequam nasceremur, si modo finem suum demonstratio sit habitura. So. Demonstratum quidem est istud, o Simmia et o Cebes, etiam nunc, si modo velitis, et id, quod modo probatum est, et illud, quod ante concesseramus, videlicet omne vivens ex mortuo fieri, in unum connectere. Si enim est anima prius, et cum in hanc venit vitam fitque homo, necesse est non aliunde eam quam ex mortuis proficisci: cur non necessarium sit, ut etiam post mortem corporis maneat, cum oporteat ipsam ad hanc vitam reverti? Demonstratum igitur et nunc est, quod dicitur. Verantamen videmini tu atque Simmias cupere idem rursus diligentius pertractari: ac forsitan puerorum more formidatis, ne revera corpore egredientem ventus dissolvat atque dispergat, præsertim si ventis vehementius flantibus exeat. Ad hæc Cebes subridens, tanquam nobis id formidantibus, inquit, o Socrates, contra persuadere conare: immo vero non tanquam formidantibus nobis: sed fortasse est inter nos puer aliquis talia metuens: huic ergo annitamur persuadere, ne mortem ceu larvas pertimescat. So. Oportet certe huic mederi carminibus quotidie, quoad sanus efficiatur. Cr. Sed ubinam [78] medicum ejusmodi nanciscemur, o Socrates, cum tu discesseris? So. Ampla est, o Cebes, Græcia, in qua sunt viri præstantes: quam plurimæ sunt barbaræ nationes; per has omnes ejusmodi medicum debetis perquirere, neque pecuniis parcentes neque laboribus. nihil est enim, pro quo commodius omnia quis expendat. Perscrutandum quoque est etiam inter vos ipsos. forte enim non facile invenietis, qui melius quam vos id queat efficere. Cr. Fiet id quidem. sed redeamus jam, si tibi placet, unde digressi sumus. So. Mihi quidem placet. quid enim prohibet? Cr. Recte respondes. So. An non tale aliquid a nobis ipsis sciscitari debemus, cuinam et quali conveniat ea passio, per quam dissolvi possit: et cui qualique sit metuendum, ne id patiatur, et secundum quam qualemque ejus partem: deinde considerare, cujusmodi anima sit: demum ex his animæ nostræ gratia vel confidere vel timere. Cr. Vera loqueris. So. Nonne igitur ei, quod componitur jamque compositum est, natura id pati convenit, ut, quatenus est compositum, dissolvatur? si quid vero non sit compositum, huic soli potissimum nulla accidit dissolutio. Cr. Mihi quidem sic apparet. So. An non, quæ semper secundum eadem eodemque modo se habent, hæc maxime esse convenit simplicia? quæ vero alias aliter, nec unquam secundum eadem, hæc esse composita? Cr. Ita equidem opinor. So. Redeamus jam ad illa, ad quæ in superiori disputatione processimus. Ipsa essentia, cujus interrogando respondendoque rationem hoc ipsum,

Digitized by Google

quod est, assignamus, utrum eodem modo et secundum eadem se semper habet? an alias aliter? videlicet et ipsum æquale, ipsum pulchrum, ipsum unumquodque, quod est ens, utrum mutationem aliquando aliquam ipsa recipiunt? an ipsorum unumquodque semper id, quod est uniforme, existens ipsum per seipsum, eodem modo et secundum eadem se habet, neque unquam neque usquam nec ullo pacto mutationem aliquam suscipit? Ce. Necesse est, o Socrates, hæc eodem modo et secundum eadem se semper habere. So. Quid autem dicemus de multis, quæ similites pulchra dicuntur, scilicet hominibus, equis, vestibus vel aliis quibuscunque talibus, quæ vel pulchra dicuntur vel æqualia, vel etiam de omnibus, quæ illis synonyma sunt? num hæc secundum eadem se semper habent? an potius omnino contra quam illa, videlicet neque ipsa sibimet neque invicem unquam, ut simpliciter loquar, ullo pacto secundum eadem eodemque modo se habent? Ce. Hæc, o Socrates, nunquam eodem modo sunt. So. Et hæc [79] quidem tangi, videri aliisque sensibus attingi possunt. quæ vero semper secundum eadem permanent, sola intelligentiæ ratione percipiuntur; suntque invisibilia, quæ talia sunt, neque cernuntur. Ce. Vera omnino loqueris. So. Vis ergo duas rerum species ponamus, alteram visibilium, invisibilium alteram? Ce. Ponamus. So. Et invisibile quidem modo semper eodem esse, visibile vero nunquam eodem? Ce. Hoc quoque ponamus. So. Age jam, aliudne in nobis est, quam hinc quidem corpus, inde vero anima? Ce. Nihil aliud. So. Utrinam speciei corpus esse similius cognatiusque dicimus? Ce. Nemini dubium, quin visibili. So. Quid vero anima? visibilene aliquid est, an contra? Ce. Non hominibus quidem, o Socrates. So. Atqui nos de his duntaxat, quæ ab hominum natura videri vel non videri possunt, loquebamur. an de his, quæ ad aliam naturam spectant, tractabamus? Ce. De his duntaxat, quæ ad humanam. So. Quid ergo de anima dicebamus? nunquid visibilem esse? Ce. Non visibilem. So. Invisibilem ergo? Ce. Ita. So. Anima igitur invisibili speciei similior est quam corpus: corpus vero visibili. Ce. Necessarium id est omnino. So. An non et hoc evenire in superioribus dicebamus, ut cum anima ad aliquid considerandum socium sibi corpus assumit, vel per visum vel per auditum vel per alium sensum (hoc enim est per corpus considerare, quia per sensus id agitur) tunc quidem a corpore trahatur ad ea, quæ nunquam eodem modo sunt, atque ipsa aberret perturbeturque, quasi ebria vacillet, utpote quæ talia quædam attigerit. Ce. Prorsus. So. At vero quotiens ipse animus per seipsum excogitat, illuc se confert ad purum, sempiternum, immortale, semper eodem modo se habens: et tanquam ipsius cognatus semper inhæret illi, quotiens ipse redierit in seipsum, eique liceat, cesseteque ab errore: et circa illa semper secundum eadem eodem modo se habet, utpote qui talia jam attigerit. atque hæc ejus affectio sapientia sive prudentia nominatur. Ce. Præclare ac vere omnino loqueris, Socrates. So. Utri igitur speciei rursus tibi videtur, ex his quæ et in superioribus et modo dicta sunt, anima esse similior atque cognatior? Ce. Arbitror equidem, o Socrates, quemlibet vel indocilem prorsus et pertinacem ex hac disputatione concessurum, animam et per totum et per omne similiorem esse ei, quod semper eodem modo est, quam opposito. So. Quid autem corpus? Ce. Alteri speciei. So. Considera rursus hoc pacto. Quamdiu in eodem sunt anima atque corpus, [80] hoc quidem servire atque subesse natura jubet, hanc vero præesse atque dominari. Secundum hæc rursus utrum tibi videtur simile esse divino, utrum mortali? an non putas divinum quidem tale esse natura, ut præsit et ducat; mortale vero, ut subjiciatur ac serviat? Ce. Puto equidem. So. Utri igitur horum est anima similis? Ce. Constat, o Socrates, animam quidem similem esse divino; corpus vero mortali. So. Animadverte jam, o Cebes, num hæc ex

Digitized by Google

omnibus, quæ dicta sunt, consequantur: videlicet ipsi divino, immortali, intelligibili, uniformi, indissolubili, semper eodem modo et secundum eadem scipsum habenti, animam esse similimam: humano vero, mortali, nec intelligibili, multiformi, dissolubili, nunquam eodem modo sibimet se habenti, similimum esse corpus. Possumusne, o amice Cebes, hæc præter aliud quicquam afferre, quo minus ita sit? Cr. Non possumus. So. Quid ergo? cum hæc ita se habeant, nonne corpori convenit, ut brevi solvatur: animæ vero, ut omnino indissolubilis sit, vel aliquid rei omnino indissolubili propinquum? Cr. Quidni? So. Cernis igitur, postquam mortuus homo fuerit, quod in eo visibile est corpus, et in loco visibili positum, (quod cadaver appellamus, cui convenit, ut dissolvatur, concidat, diffluat,) nihil horum subito pati, sed multum aliquando tempus supersesse, si quis corpore perbelle affecto decesserit. Corpus enim servatum et rebus quibusdam ad durationem curatum, quemadmodum in Ægypto faciunt, incredibile quoddam tempus ferme integrum manet. Quin etiam si putrescat, tamen nonnullæ corporis partes, ossa videlicet nervique atque similia, ut ita dicam, immortalia permanent. an non? Cr. Ita. So. Anima vero, quæ invisibile quiddam est, in similem quendam aliamque locum migrans, excellentem, purum, invisibilem, nobis occultum, revera ad bonum sapientemque Deum: quo, si Deus voluerit, paulo post meo quoque animo est migrandum: anima, inquam, talis, talique natura prædita nunquid, cum primum a corpore liberata fuerit, dissipabitur atque interibit, ut multi putant? Permultum abest, o dilecte Cebes atque Simmia, immo multo magis ita se res habet: si quidem pura discesserit, corporeum nil secum trahens; utpote quæ sua cum illo in vita communicaverit, sed fugerit illud semper seque in se collegerit, tanquam semper id meditata. quod quidem nihil est aliud quam recte philosophari mortemque revera facile [81] commentari. an non hæc est meditatio mortis? Cr. Est omnino. So. Anima, inquam, si sic affecta discesserit, nonne ad aliquid sibi simile divinum abit? divinum et immortale et sapiens? quo cum pervenerit, evadit felix, ab errore, dementia, timoribus durisque amoribus ceterisque humanis liberata malis: et quemadmodum de initiatis dici solet, revera reliquum tempus vitam cum diis agit? Itane dicendum est, o Cebes, an aliter? Cr. Ita per Jovem. So. Sin autem polluta impuraque a corpore decedat, utpote quæ corpus semper amplexa ipsum duntaxat coluerit et amaverit, ejusque voluptatibus et libidinibus quasi veneficiis quibusdam delinita fuerit, et usque adeo capta, ut nihil aliud putet esse verum, nisi quod corporeum sit, quod tangi, quod videri possit, quodve bibat et quod edat, et quo in venereis utatur: quod vero oculis quidem occultum et invisibile sit, verumtamen intelligibile et philosophia comprehendendum, habere odio consueverit formidaseque et fugere: sic, inquam, institutam animam putasne ipsam per se sinceram evadere? Cr. Nullo modo. So. Sed infectam involutamque, ut arbitror, contagione corporea, quam consuetudo congressusque cum corpore, propter continuam familiaritatem plurimumque ejus cultum, inserait quasi jam naturalem? Cr. Ita putamus. So. Ponderosum vero, o amice, id putandum est et grave terrenumque et visibile, quod anima ejusmodi secum trahit: ideoque ab eo gravatur et ad visibilem retrahitur locum, metu invisibilis atque occulti: et, quemadmodum fertur, circa monumenta sepulchraque revolvitur, circa quæ jam nonnulla apparuerunt animarum umbrosa phantasmata, qualia præferunt simulacra tales animæ, quæ videlicet non puræ decesserunt a corpore, sed visibile aliquid trahentes: quo fit, ut videri possint. Cr. Consentaneum est, o Socrates. So. Consentaneum tamen, o Cebes, non esse has bonorum animas, sed malorum, quæ circa hæc oberrare coguntur, pœnas dantes vitæ improbe actæ. itaque tam diu circumvagantur, quoad, cupiditate

Digitized by Google

naturæ corporeæ comitante, rursus induant corpus. induunt autem, ut decens est, ejusmodi mores, quales in vita exercuerunt. Cr. Quales dicis mores, o Socrates? So. Ejusmodi eos quidem, qui ventri dediti per inertiam atque lasciviam vitam egerunt, neque quicquam pensi pudorisque habuerunt, decens est, asinos similiaque subire. an non putas? Cr. Consentanea loqueris. So. Qui vero injurias, tyrannides, rapinas præ ceteris secuti sunt, in luporum, accipitrum, milvorum genera par est pertransire. num [82] alio has migrare dicendum est? Cr. Ita potissimum. So. Similiter et in ceteris: abeunt enim in ea genera quælibet, quibus in vita mores similes contraxerunt. Cr. Manifestum id quidem. So. Nonne horum felicissimi sunt et in optimum proficiscuntur locum, quicunque popularem civilemque virtutem, quam temperantiam et justitiam nominant, exercuere, absque philosophia quidem atque mente, sed ex consuetudine exercitationeque acquisitam? Cr. Quonam pacto hi felicissimi sunt? So. Quoniam decens est, hos in tale quoddam genus iterum civile miteque demigrare, quodam modo apum aut vesparum vel formicarum; atque deinde in idem rursus genus humanum, modestosque ex illis homines fieri. Cr. Ita decet. So. In deorum vero genus nulli fas est pervenire præter eos, qui discendi cupiditate flagrantes et philosophati sunt et puri penitus decesserunt. Horum quidem gratia, o amice Simmia atque Cebes, qui recte philosophantur, ab omnibus corporis cupiditatibus abstinent; atque ita perseverant, nec se illis unquam tradunt: neque familiæ jacturam pauperiemque formidant, quemadmodum multi pecuniarum cupidi: neque rursus contemptum atque ignominiam, quemadmodum qui magistratus ambiunt et honores, deinde ab his abstinent. Cr. Neque enim deceret, o Socrates. So. Non, per Jovem. Quamobrem hi, qui animum suum colunt neque corpori fingendo vivunt, spretis his omnibus, haudquaquam ea gradiuntur via, qua superiores illi, quos narravimus; quia videlicet, quo proficiscantur, ignorent. Ipsi vero, existimantes philosophiæ ejusque solutioni repugnandum non esse, hanc ea sequuntur via, qua eos ipsa ducit. Cr. Quonam pacto, o Socrates? So. Dicam equidem. Cognoscunt profecto viri scientiæ cupidi, quemadmodum eorum animam suscipit revera ligatam in corpore atque implicitam, ac per ipsum quasi per carcerem quendam res considerare coactam; cumque per seipsam id non faciat, omni prorsus inscitia involutam: (cognoscunt præterea,) quemadmodum philosophia perspiciens, quam callide corporeum vinculum adstringat animam; quippe cum per ipsam fiat concupiscentiam, per quam [83] devinctus animus adjutor sit ad seipsum devinciendum: cognoscunt, inquam, viri scientiæ cupidi, quemadmodum philosophia eorum animam ita constitutam suscipiens, paulatim instruit solvereque aggreditur, ostendens quam fallax oculorum, quam fallax aurium ceterorumque sensuum sit judicium, suadens ab his discedere, quatenus hærere illis summa non cogat necessitas, seque in se ipsam revocare atque colligere, nec ulli credere, præterquam sibi, quatenus videlicet ipsa per seipsam intelligat quodlibet eorum, quæ sunt, existens per seipsum: quod vero ipsa per alia consideret, existens in aliis aliud, nihil existimare verum: (esse vero ejusmodi quidem sensibile atque visibile:) quod autem ipsa per se consideret, intelligibile atque invisibile. Huic ergo solutioni veri philosophi animus repugnandum non esse judicans, sic a voluptatibus, cupiditatibus, doloribus, timoribus, pro viribus abstinet: judicans, quando quis vehementer delectetur vel metuat vel doleat aut cupiat, haud tantum ab his duntaxat pati malum, quantum quis forsan existimarit, videlicet si propter concupiscentias vel ægrotet quispiam vel pecunias consumpserit: sed quod malorum omnium maximum, extremum, turpissimum est, perpeti, neque tamen illud animadvertere. Cr. Quidnam hoc est? So. Quod videlicet omnis anima hominis cogitur delectari vel dolere circa aliquid ve-

Digitized by Google

hementer, simulque putare illud, circa quod hoc maxime patitur, manifestissimum esse atque verissimum, cum longe sit secus. hæc autem maxime sunt, quæ visibilia sunt. nonne? Ce. Omnino. So. An non in hac passione anima quam maxime ligatur a corpore? Ce. Quonam pacto? So. Quoniam omnis voluptas atque dolor, quasi clavum tenens, animam corpori affigit atque connectit, efficitque corpoream adeo, ut jam opinetur ea esse vere, quæ suadeat corpus. nempe ex eo, quod eadem opinetur cum corpore eisdemque oblectetur, cogitur, ut puto, ejusdem moris ejusdemque alimoniæ fieri: ut nunquam possit pura in vitam alteram proficisci, sed semper plena corporis labe egrediatur; ideoque cito cadat rursus in aliud corpus, et quasi sata iterum innascatur, atque propterea a commercio divinæ, puræ, uniformis essentiæ aliena prorsus evadat. Ce. Verissima narras, o Socrates. So. Horum igitur gratia, o Cebes, justi scientiæ studiosi temperantiam fortitudinemque sequuntur; non autem illorum, quorum gratia censet vulgus. an tu putas? [84] Ce. Minime quidem. So. Non certe. sed ita veri philosophi animus cogitaret: nec ullo modo arbitraretur, cum ipsum philosophia solvisset, oportere iterum voluptatibus doloribusque se dedere iterumque vinciri, atque irritum opus facere, quasi telam Penelopes retexentem. immo vero horum tranquillitati studens, sequensque rationem, ac semper in ea permanens, verum et divinum opinionemque supereminens contemplatur: a quo nutritus ita vivendum censet, quam diu vivat; atque sperat se, ubi decesserit, in cognatum atque tale migrantem ab humanis eximi malis. Ex hujusmodi quidem educatione non est, cur metuat, o Simmia et Cebes, ne cum recedat a corpore, distrahatur et dissipetur, omnisque in ventos vita recedat. Cum hæc Socrates dixisset, longum factum est silentium. et ipse quidem Socrates, quæ dicta fuerant, secum, ut videbatur, repetebat, idemque plerique nostrum faciebant. Cebes autem et Simmias parumper insuper invicem collocuti sunt. Hos ergo intuitus Socrates, Quidnam vobis, inquit, de his, quæ dicta sunt, videtur? an forte aliquid insuper in his desideratis? multæ enim adhuc dubitationes objectionesque supersunt, si quis sufficienter ea sit tractaturus. Si igitur aliud quiddam inter vos agitatis, nihil dico. sin autem in his, quæ dicta sunt, hæsitatis, ne vereamini loqui atque percurrere, si qua in parte putatis melius dici posse. quin etiam socium me assumite, si mecum id commodius fieri posse existimatis. Sim. Verum equidem, Socrates, tibi fatebor. Jamdudum ambigens uterque nostrum impellit alterum jubetque interrogare propter audiendi cupiditatem. veremur autem, ne id tibi ob præsentem calamitatem rogitando simus molestiores. Hæc Socrates audiens leniter arrisit, dicens, Papæ, o Simmia, quam difficile aliis persuaderem, hanc me fortunam haudquaquam adversam existimare, quando ne vobis quidem id persuadere possum: quippe cum metuatis, ne difficilior mœstiorque sim in præsentia, quam in superiori fuerim vita. Atque, ut apparet, deterior cygnis ad divinandum vobis esse videor. illi quidem, quando se brevi præsentiunt morituros, tunc magis admodum dulciusque canunt, quam [85] antea consueverint, congratulantes, quod ad Deum sint, cujus erant famuli, jam migraturi. Homines vero, cum ipsi mortem expavescant, cygnos quoque falso criminantur, quod lugentes mortem ob dolorem cantum emittant: profecto haud animadvertunt nullam esse avem, quæ cantet, quando esuriat aut rigeat aut quovis alio afficiatur incommodo: non ipsa philomela, nec hirundo, nec epops, quas ferunt per querimoniam cantare lugentes. At mihi neque hæ aves præ dolore videntur canere, neque cygni. sed quia Phœbo sacri sunt, ut arbitror, divinatione præditi præsagiunt alterius vitæ bona: ideoque cantant alacrius gestiuntque ea die quam superiori tempore. Atque et ego arbitror me cygnorum esse conservum eidemque Deo sacrum; neque deterius vaticinium ab eodem

Digitized by Google

domino habere quam illos; neque ignavius e vita decedere. Quapropter licet vobis hujus gratia dicere et interrogare quicquid libet, quoad Atheniensium undecimviri sinant. Sim. Praeclare loqueris. Itaque et ego tibi aperiam, qua in re dubitem: et rursus hic Cebes, quidnam ex superiori disputatione minus admittat. Mihi quidem, o Socrates, quemadmodum fortasse tibi quoque, videtur de his quidem rebus manifestam veritatem in vita praesenti aut nullo modo aut summa cum difficultate intelligi posse. Quae tamen de his dicantur, ea nullo modo redarguere, adeo ut non prius desistas, quam examinando alteruter acquiescat, mollis nimium judico esse virum, oportere enim circa haec alterutrum efficere: aut discere vel invenire, quemadmodum se habeant: aut, si haec fieri nequeant, optimam atque tutissimam humanarum rationum eligere, qua quis tanquam rate vehatur, atque ita procellas hujus vitae pertranseat, si nequeat firmiori quodam vehiculo vel divino aliquo verbo tutius ac minori cum periculo transire. Atqui ego nunc non verebor interrogare, praesertim cum ad hoc ipse nos adhorteris: ne forte meipsum quandoque sim culpaturus, quod nunc, quae mihi videantur, minime dixerim. Profecto mihi, o Socrates, una cum hoc Cebete tua reputanti haud satis confirmata videntur. So. Forsan vero, o amice, opinaris, sed dic, qua in parte minus sufficienter dicta fuisse censeas. Sim. In hac utique. Nempe de harmonia et lyra et fidibus idem posset quispiam dicere, harmoniam videlicet esse invisibile quiddam et incorporeum et perpulchrum atque divinum in lyra rite temperata: [86] ipsam vero lyram fidesque corpora esse atque corporea et composita terrestriaque et mortali cognata. Cum igitur aliquis vel lyram fregerit vel fides inciderit sive diruperit, poterit quis eadem, qua tu, ratione affirmare, necessarium esse illam superesse harmoniam neque disperdi. nulla enim machinatio foret, lyram quidem esse adhuc, fidibus jam diruptis, atque ipsas fides mortalis generis: harmoniam vero, quae divini et immortalis cognata erat, prius quam mortale illud interisse. Ille vero diceret adhuc esse alicubi harmoniam, atque prius ligna et fides putrefieri, quam illa aliquid patiatur. Arbitror equidem, o Socrates, te animadvertisse, nos tale aliquid potissimum esse animam cogitare. Esse videlicet in corpore nostro intensionem et complexionem quandam ex calido, frigido, sicco, humido ceterisque talibus; horumque temperantiam consonantiamque animam esse, resultantem videlicet in corpore, postquam haec ipsa bene moderateque invicem temperata fuerint. Si ergo anima harmonia quaedam est, quotiens horum natura in corpore propter morbos aliaque mala immodeste vel remittitur vel intenditur: necesse est, animam quidem, quamvis divinissimam, subito interire, sicut solent ceterae consonantiae, sive quae in vocibus, sive quae in aliis artificum operibus fiunt; reliquias autem corporis cujusque diutius permanere, quousque vel ardeant vel putrefiant. Considera igitur, quid huic rationi sit respondendum, si quis censeat animam temperantiam quandam esse eorum, quae sunt in corpore, prioremque in morte perire. Tunc Socrates, quemadmodum saepe solebat, intuens acrius atque ridens, Juste, inquit, tu quidem loqueris, Simmia. Si quis ergo vestrum me facundior est, cur his non respondebat? non enim ignave rationem attigisse videtur. Judico tamen, antequam Simmias respondeatur, quid Cebes quoque dixerit, esse audiendum, ut tempore interjecto deliberandi habeamus facultatem: deinde, his auditis, vel his concedendum, si consentanea vero videantur afferre: sin vero minus, rationem superiorem defendendam esse atque retinendam. Quamobrem dic age, o Cebes, quidnam potissimum te turbet, quo minus assentiaris. Ce. Mihi quidem videtur eodem revolvi eidemque quod in superioribus diximus, crimini obnoxia esse. [87] Quod enim fuerit anima nostra, prius quam in humanam descenderet speciem, haud equidem retracto, quia bellissime dictum fuerit; ac nisi

Digitized by Google

dicta esset invidiosum, sufficienter demonstratum asseverarem. Attamen nobis mortuis superesse, non sic assentior. Neque tamen Simmiæ concedo objicienti, non esse animam validiorem corpore atque diuturniorem. videtur profecto mihi his omnibus anima præstare quam plurimum. Hic ergo ratio superior (ad me conversa) sic inquiet: Quidnam ulterius ambigis? cum videas homine defuncto, quod in eo imbecillius fuerat superesse; cur non concedis oportere etiam, quod validius diuturniusque erat, hoc ipso in tempore superesse? Sed adverte jam, quanti momenti sit, quod ad id respondeo. similitudine mihi quoque opus est, quemadmodum Simmias. Profecto mihi perinde hæc dici videntur, ac si quis de homine textore sene defuncto diceret, nondum interisse illum, sed forte alicubi supersse, conjecturamque afferret vestis, qua ipse, cum texuisset, usus fuerit; assentiretque eum adhuc esse incolumem neque interiisse: ac si quis id non credat, interrogaret ab eo, utrum diuturnius sit hominis genus an vestis, qua quotidie quis utatur. quod si respondeat genus humanum diuturnius esse, tunc demonstratum id esse putaret, videlicet multo propterea magis sospitem esse hominem, quandoquidem, quod in eo erat fragilius, nondum perierit. Hoc autem, o Simmia, ita se habere non arbitror. sed considera tu quoque, quid dicam. profecto quivis intelligeret, inepte illud adduci. Nam hic textor, qui multas contriverit vestes multasque texuerit, multis quidem posterior obiit, ultima vero prior: neque propterea magis sequitur, hominem esse veste viliorem atque debiliorem. Eandem fieri similitudinem animæ ad corpus posse arbitror: ac si quis de his duobus eadem illa adducat, congrue dicere videretur: videlicet animam quidem esse diuturniorem, corpus vero debilius minusque diuturnum: verum diceret, quemlibet animorum plura consumere corpora, præsertim si multos vivant annos. Si enim fluat corpus hominemque etiam vivente dissolvatur, anima vero, quod consumitur, reparat continue; necessarium tamen erit, quando perierit anima, tunc ultimam habere vestem, eaque sola priorem perire. Cum vero perierit anima, tunc demum imbecillitatem naturæ suæ corpus ostendere, cito putrescens atque evanescens: ut hac ratione nondum confidere valeamus, tunc etiam cum decesserimus, animam nostram superfore. [88] Nam si quis dicenti etiam plura, quam quæ tu dicis, concesserit, nec solum ante ortum nostrum animam exstitisse, verum etiam nihil prohibere, etiam post obitum quorundam remanere; supinaque accedere ac decedere fateatur: (adeo enim naturam animæ validam esse, ut sæpius corpori indita se corpusque servet:) his tamen concessis, nondum illud tibi daret, non defatigasi in multis generationibus animam; sed tandem aliqua ex pluribus morte diceret omnino deleri. quin etiam adderet, neminem mortem illam dissolutionemque corporis, quæ animam quoque interitum infert, posse discernere: esse enim impossibile, ut quisquam nostrum id sentiat. Quod quidem si ita se habeat, nemo non stulte in morte confidit, nisi demonstrare possit animam omnino immortalem atque indissolubilem esse. alioquin consentaneum est necessariam esse, ut, qui moriturus est, animæ metuat suæ, semperque sit sollicitus, ne in ea, quæ proxime imminet, corporis disjunctione prorsus intereat. Omnes igitur, cum hæc audivissemus, contubati sumus, ut postea invicem aperuimus, quod cum superiori disputatione nobis fuisset magnopere persuasum, viderentur nos ab eo statu in præsentia deturbasse, atque eo jam dejecisse, ut nedum rationibus jam adductis, sed et dicendis insuper fidem ullam adhiberemus; verentes, ne vel nos nequaquam boni essemus judices, vel res ipsa fide essent indignæ. Ech. Veniam equidem per Deos do vobis, o Phædon. nam mihi quidem, modo te audienti, tale quiddam veniebat in mentem: Cuinam ulterius rationi crederemus? quippe cum ratio illa Socratis, usque adeo paulo ante probabilis, jam fidem amiserit. mirum est enim, quantum apud me

Digitized by Google

contra possit ratio illa semperque potuerit, quæ animam nostram harmoniam quandam esse probat: et nunc quidem audita me subito in memoriam revocavit, quantum mihi quoque alias persuaserit. Quo efficitur, ut alia quadam ratione iterum, tanquam ab initio, prorsus indigeam, quæ mihi persuadeat animam cum corpore non interire. Dic ergo, per Jovem precor, quo pacto disputationem peregerit Socrates, et utrum ipse quoque, quemadmodum de vobis ipse fateris, graviter id ferre visus fuerit; an contra benigne suam defenderit rationem: præterea utrum satis, necne, eam tutatus fuerit. hæc nobis, quam potes diligentissime, refer omnia. Phæ. Equidem, o Echecrates, sæpe admiratus Socratem, nunquam majori cum voluptate, quam tunc præsens, sum admiratus, meque affuisse ibi mirifice gaudeo. [89] Habuisse quidem illum, quod objectionibus responderet, forte non est mirandum. sed hæc in eo potissimum sum admiratus, primo quidem quam jucunde, benigne, amice adolescentium verba recepit: deinde quam sagaciter sensit nos illorum rationibus fuisse commotos: demum quam opportune nobis adhibuit medicinam, et quasi fugientes atque victos revocavit nos, convertitque ad prosequendum atque considerandum. Ech. Quonam pacto? Phæ. Dicam equidem. Sedebam forte ad dexteram ejus in subsellio quodam humili, juxta lectulum. ipse vero Socrates sedebat longe superior. Attrectans igitur caput meum comprimensque crines super cervicem: (consueverat enim nonnunquam, ubi contigisset, in meos crines ludere) Cras forsitan, inquit, o Phædon, istas pulchras incides comas. Phæ. Sic arbitror, o Socrates. So. Non certe, si mihi assensus fueris. Phæ. Quid ergo? So. Immo hodie et ego meas et tu tuas, si nobis ratio intereat, neque eam ipsi suscitare possimus. Atque si ego tu essem ac me fugeret ratio, more Argivorum jurarem non prius comam nutriturum, quam vicissim Simmiam Cebetemque expugnavissem. Phæ. At vero contra duos ne Hercules quidem dicitur suffecisse. So. At tu me Iolaum, dum lux est, advoca. Phæ. Advoco equidem, sed non tanquam Hercules Iolaum, immo tanquam Iolaus Herculem. So. Nihil refert. in primis vero cavendum, ne id nobis accidat. Phæ. Quidnam? So. Ne rationum evadamus osores, quemadmodum nonnulli hominum osores sunt. nullum enim majus quam hoc malum nobis posset accidere; videlicet si rationes odio habuerimus. Fit autem eodem pacto odium et adversus rationes et adversus homines. Odium quidem contra homines tunc maxime subit, quando alicui nimium credimus absque arte, putamusque ipsum omnino verum et sincerum fidumque virum esse, deinde vero mox pravum infidumque deprehendimus, rursusque alium eodem pacto. Itaque quando quis sæpius offensus ita decipitur, præsertim ab iis, quos præcipue familiarissimos amicissimosque existimabat; odit tandem plurimum universos, putatque nihil omnino apud quemquam esse sincerum. an te latuit, id ita accidere consuevisse? Phæ. Animadverti equidem. So. An non turpiter et absque humanarum rerum arte hic aggreditur hominibus uti? si enim ex arte uti staderet, cogitaret utique rem ipsam ita se, ut habet, habere, videlicet homines vehementer bonos aut malos [90] perpaucos esse, medios vero plurimos. Phæ. Quo id pacto dicis? So. Quemadmodum videlicet in rebus contingit valde aut parvis aut magnis. An tu arbitraris, quicquam esse rarius quam valde magnum aut valde parvum reperire hominem vel canem vel quodvis aliud? atque rursus celerrimum et tardissimum, pulcherrimum, turpissimum, albissimum, nigerrimum? an ignoras in his omnibus extremorum summa rara quidem et pauca esse; media vero frequentia atque multa? Phæ. Sic arbitror. So. Nonne igitur arbitraris, si improbitatis proponeretur certamen, admodum paucos in hoc genere summos inveniri? Phæ. Consentaneum est. So. Consentaneum quidem. verum non hoc pacto similes rationes sunt atque

Digitized by Google

homines: (sed te nunc ducentem prosecutus sum:) immo vero in hoc similitudo consistit, quando videlicet quis absque rationum arte crediderit rationem aliquam esse veram, sed paulo post appareat falsa: quæ quidem aliquando talis est, aliquando minime, et rursus altera similiter atque altera. Præcipue vero illis id evenit, qui plurimum rationes contradictorias agitant. hos enim scis putare, tandem se sapientissimos evasisse, solosque animadvertisse. neque in rebus neque in rationibus esse sanum aliquid aut firmum; sed omnia revera tanquam in Euripo sursum deorsumque jactari, nullumque tempus in aliquo permanere. Phæ. Vere nimium loqueris. So. Nonne ægritudo hæc, Phædon, miserabilis esset, si cum ratio aliqua vera firmaque sit comprehendique valeat, postea tamen, auditis hujuscemodi rationibus, quæ modo afferre vera, modo falsa videntur, aliquis hinc in ambiguitatem deductus, non seipsum, neque ejus inertiam ob id accuset, sed tandem velut æger libenter culpam omnem a seipso in ipsas transferat rationes, et in reliqua vita eas odio habeat atque vituperet, rerum jam ipsarum veritate scientiaque privatus. Phæ. Per Jovem miserabilis ægritudo. So. In primis igitur diligenter id caveamus, ne persuadeamus nobis nihil in rationibus esse sanum; sed multo magis, nondum esse nos sanos. Itaque totis viribus, ut sani efficiamur, est annitendum: tibi quidem et aliis totius reliquæ vitæ gratia, mihi vero gratia mortis: [91] qui in periculo sum, ne in hoc ipso tempore non ut philosophum me geram, sed ut contentiosum atque pertinacem; quod quidam homines a disciplina alienissimi facere solent. Illi enim, ubi aliqua de re ambigitur, non ut res ipsa, qua de agitur, se habeat curant; sed ut, quæ posuerunt ipsi, præsentibus videantur vera, obnixe contendunt. Atque ego mihi videor in hoc duntaxat in præsentia ab illis differre, quod non, ut præsentibus probem ea, quæ dico, annitar, (nisi quatenus forte contigerit,) sed ut mihi ipsi vera quam maxime videantur. Sic enim cogito, dulcis amice; et vide quanto cum lucro sit ratio mea. Si forte vera sunt, quæ dico, operæ pretium est ita credere: sin autem nihil superest post mortem, attamen hoc ipsum tempus ante obitum præsentibus minus ero molestus minusque deplorabo. Hæc autem ignorantia minime perseverabit mecum, (malum id quidem esset,) sed paulo post delebitur. Sic equidem, o Simmia, paratus, et Cebes, revertor ad disputandum. Vos tamen, si mihi assentiamini, non Socrati cedite, sed veritati; si enim verum vobis loqui videbor, concedite: sin minus, omnino contradicite, diligenter caventes, ne ego dum annitor, meipsum simul vosque decipiam, et velut apes, aculeo in vobis relicto, abeam. Sed jam accedendum est. Primum quidem redigite in memoriam mihi, quæ dicebatis, si minus meminisse vobis videbor. Simmias quidem, ut arbitror, diffidit ac metuit, ne anima, quamvis divinior pulchriorque corpore, prius tamen pro harmoniæ natura intereat. Cebes autem mihi visus est concedere diuturniorem esse animam corpore; sed his addidit scire posse neminem, ne cum multa sæpius consumpserit corpora, tandem quandoque postremum relinquens corpus ipsa quoque pereat, atque mors ejusmodi tantum sit interitus animæ; corpus vero dissolvi continue consueverit. An non hæc sunt, o Simmia et Cebes, quæ nos oportet considerare? Sim. et Ce. Confitemur profecto. So. Sed nunquid omnia, quæ dicta in superioribus fuerant, negatis? an quædam negatis, sed conceditis alia? Sim. et Ce. Quædam procul dubio. So. Quid igitur de eo, quod disciplinam diximus reminiscentiam esse; atque si ita se res habeat, necessario consequi, alicubi fuisse animam, priusquam corpore [92] clauderetur? Ce. Mihi quidem istud dum diceres, mirifice placuit: atque nunc, si qua unquam in alia, in hac maxime sententia permaneo. Sim. Similiter ego quoque affectus sum; vehementerque admirarer, si mihi unquam hac de re aliter

Digitized by Google

videretur. So. At vero necesse est, hospes Thebane, aliter tibi videri, si in hac opinione permanseris, harmoniam videlicet esse compositum quiddam; animam vero harmoniam quandam ex his, quæ per corpus intensa sunt, constitutam. Numquam enim admittes consonantiam compositam prius esse quam illa, ex quibus componi consonantiam oportebat. nunquid admittes? Sim. Nullo, Socrates, modo. So. Animadvertis igitur cogi te id confiteri, quando dicis, animam quidem esse prius quam in humanam speciem corpusque deveniret, atque esse corporis consonantiam, videlicet ex his, quæ nondum sunt, eam constitui. Neque enim talis tibi est consonantia, cui tu simile esse dicis. Immo vero prius est ipsa lyra et fides et soni adhuc inconcinni: tandem vero ex omnibus compenitur consonantia omnium postrema, primaque disperditur. Hic itaque sermo quonam pacto tuo illi conciniet? Sim. Nullo modo. So. At vero sicubi verba concinnitatem servare debent, præcipue decet esse concinna, ubi de concentu tractatur. Sim. Decet nimirum. So. Hic igitur sermo tibi dissonat. sed vide, utrum ex his duobus eligas, disciplinamne reminiscentiam esse, an potius animam esse concentum? Sim. Primum equidem potius eligo. id namque alterum absque demonstratione admisi ex verisimili quadam convenientia; quemadmodum videtur et multis. Ego autem ea verba, quæ per id quod convenit demonstrationes faciunt, semper inania judicavi: ac nisi quis caveat, valde decipiunt, et in geometria et in ceteris omnibus. Ratio vero de reminiscentia atque disciplina fundamento innititur fide digno. Dictum est enim, animam nostram ita esse alicubi, prius etiam quam labesetur in corpus, ut illa ipsius essentia habens ipsius, quod est, cognomentum. Ego vero hanc, ut mihimet persuadeo, sufficienter recteque admisi. propterea neque mihi neque aliis animam appellantibus harmoniam assentiri possum. So. Quid vero, Simmia? Videturne tibi vel consonantiæ vel alteri cuiquam compositioni congruere, ut aliter se habeat [93] quam illa ex quibus conflatur? Sim. Nullo modo. So. Neque etiam, ut aliud quicquam, ut arbitror, patiatur aut agat, quam illa vel agant vel patiantur. Sim. Assentior. So. Non igitur convenit, consonantiam ea ducere, ex quibus composita est, sed sequi. Sim. Opinor ita. So. Quare permultum abest, ut harmonia in contrarium moveatur aut sonet, aut quicquam aliud edat partibus suis adversum. Sim. Permultum procul dubio. So. Quid vero consonantia? nonne eatenus pro natura sua consonantia est, quatenus temperatur? Sim. Haud satis intelligo. So. Nonne si magis plusque contemperetur, si modo id admittit, magis plusque consonantia est? sin vero minus atque perpaucum, minus in paucumque similiter? Sim. Omnino. So. Nunquid de anima id dici potest, ut vel in minima quadam re alia anima hoc ipsum, quod est anima, vel magis vel plus aut contra sit quam alia? Sim. Minime. So. Dic, age, per Jovem precor, num animam dicimus aliam quidem habere mentem virtutemque, atque esse bonam; aliam vero dementiam et pravitatem, malamque esse: hæcne, inquam, vere dicuntur? Sim. Vere quidem. So. Eorum ergo, qui animam esse asserunt harmoniam, quis quidnam dicet esse animabus? hæc scilicet, vitium et virtutem? an aliam quandam consonantiam atque dissonantiam? et bonam quidem esse consonantem; et cum ipsa consonantia sit, alteram in se consonantiam possidere: malam vero dissonantem et ipsam esse nec aliam in se habere? Sim. Quid respondeam, non habeo. constat tamen eum, qui animam esse consonantiam posuisset, talia quædam responsurum. So. At vero jam concessum est, nihilo magis aut minus aliam alia animam esse. ejusmodi vero concessio est, neque magis neque plus neque minus, neque sub paucioribus gradibus aliam alia consonantiam esse. nonne? Sim. Prorsus. So. Eam vero, quæ neque magis neque minus consonantia est, nimirum

Digitized by Google

neque magis neque minus esse contemperatam. Est ita? Sim. Est. So. Quæ vero neque magis neque minus temperata est, potestne pluribus paucioribusve gradibus particeps consonantiæ esse? an potius æque? Sim. Æque potius. So. Quapropter anima, si quidem neque magis neque minus alia quam alia secundum animæ naturam anima est, consequenter neque magis neque minus est temperata. Sim. Est, ut dicis. So. Cum vero sic affecta sit, nihilo magis consonantiæ est vel dissonantiæ particeps. Sim. Nihilo magis. So. Præterea cum ita comparata sit, num plus aliquid pravitatis vel virtutis alia quam alia possidet? si quidem pravitas dissonantia est, virtus vero consonantia. Sim. Certe plus nihil. So. Quinimmo secundum rectam, Simmia, rationem nulla usquam [94] anima pravitate erit affecta, si fuerit consonantia: quando quidem consonantia vera secundum id, quod consonantia est, nunquam fit dissonantiæ particeps. Sim. Nunquam certe. So. Neque igitur anima, quæ omnino sit anima, pravitate inficietur. Sim. Quo enim modo per ea quæ dicta sunt, id fieri posset? So. Hac igitur ratione omnes animalium omnium animæ bonæ similiter erunt, si secundum animæ ipsius naturam similiter animæ sint. Sim. Mihi quidem, Socrates, ita videtur. So. Nunquid recte sic tibi dici videtur, atque hæc sequi, si vera esset illa positio, animam consonantiam esse? Sim. Nullo modo. So. Quid vero? ex omnibus, quæ in homine sunt, aliudne præter animum asseris dominari, præcipue prudentem? Sim. Nihil aliud. So. Utrum corporis perturbationibus indulgentem, an potius repugnantem? Dico autem tale quiddam: veluti si sub æstu sitis angat, interea tamen adversatur animus, retrahitque in contrarium, ne bibat: similiterque si premat fames, ne edat: in aliisque quam plurimis animum videmus corporis affectibus repugnantem. nonne? Sim. Et quidem maxime. So. Nonne in superioribus confessi sumus animam, si consonantia fuerit, nunquam dissonaturam his, quibus intenditur vel remittitur vel evibratur, vel quodcunque aliud patiantur illa, ex quibus ipsa conflatur; sed secuturam illam, nunquam vero ducturam? Sim. Confessi sumus. So. Quid vero nunc? nonne contra omnino videtur agere, quatenus ea ducit omnia, ex quibus dixerit aliquis ipsam constitui, atque ferme omnibus per omnem vitam repugnat multisque dominatur modis? interdum rigidius quodam cum supplicio puniens per gymnasticam atque medicinam, interdum vero mitius castigans comminando aut monendo adversus cupiditates et iras atque timores, tanquam altera quædam res contra alteram loquens, quemadmodum Homerus tradit in Odyssea:

Tum pectus pulsans, cor sic affatur Ulixes,
Hoc quoque cor perfer, namque et graviora tulisti.

An putas Homerum hæc dixisse, tanquam harmonia quædam sit, ac talis, ut corporis passionibus subjiciatur, non autem ducat atque dominetur? an potius, quasi quiddam longe divinius quam harmonia sit animus? Sim. Divinius per Jovem mihi videtur significasse. So. Non ergo, vir optime, recte harmoniam esse animam diceremus. sic enim, ut apparet, [95] neque Homero divino poëtæ neque nobis ipsis consentiremus. Sim. Sic est. So. Age, harmoniam Thebanam satis, ut videtur, jam placavimus. rationem vero Cadmeam, o Cebes, quonam pacto et qua ratione placabimus? Ce. Tu mihi, Socrates, viam inventurus videris. nempe rationem hanc adversus harmoniam mirifice, præter opinionem nostram, excogitasti. Cum enim audirem Simmiam dubitantem, valde admirabar, si quis rationibus ejus resistere posset. Itaque summæ mihi fuit admirationi, ipsum nec primum quidem potuisse orationis tuæ impetum sustinere. Quapropter non admirarer, si Cadmeus quoque sermo idem pateretur. So. Parcius ista, bone vir; ne qua invidia nobis

Digitized by Google

sequentia interturbet. Sed hæc quidem Deo curæ erunt: nos autem, ut ait Homerus, cominus congressi periculum faciamus, an forte quid dicas. Summa vero eorum, quæ perquiris, est ejusmodi: demonstrandum esse judicas, animam nostram indissolubilem immortalemque esse; ne vir philosophus in morte securus, magnaque cum fiducia sperans, in alia vita longe beatiorem ob philosophiæ studium se futurum, insipiens sit stulteque confidat. Ostendere autem, validum quiddam esse animam atque divinis persimile, priusque etiam quam nos exstitisse, nihil impedimento esse ais, quo minus hæc omnia non immortalitatem quidem significent, sed duntaxat animam corpore diuturniorem esse, multaque ante nos secula fuisse, novisseque et egisse permulta; nihilo tamen magis ob hoc immortalem esse existimandam. immo hunc ipsum in humanum corpus ingressum, quasi morbum quendam, interitus ejus initium esse: adeo, ut et in hac vita sit misera et in corporis morte depereat. Nihil autem differre censes, sive semel tantum sive sæpius labatur in corpus, ut quivis nostrum pertimescat. Merito namque timendum esse, nisi stultus sit, ei, qui neque sciat neque assignare queat immortalitatis animæ rationem. Talia quædam sunt, quæ dicis, o Cebes: egoque ea consulto sæpius repeto, ne quid nos fugiat, sive addere his quicquam velis sive demere. Cr. Nihil equidem in præsentia habeo, quod aut minuam aut adjungam: atque hæc sunt, quæ dico. Tunc Socrates, cum aliquantum se recepisset, ad se conversus, Haud leve quiddam requiris, inquit, o Cebes, sed cujus gratia oporteat generationis corruptionisque causam pertractare. [96] Ego igitur, si vis, ea tibi, quæ mihi evenerunt, enarrabo. deinde si quid eorum, quæ dixero, ad quæstionis tuæ veritatem aperiendam conducere putabis, utere. Cr. Volo equidem. So. Audi igitur jam narrantem. Equidem, o Cebes, cum essem juvenis, mira quadam ejus sapientiæ cupiditate flagrabam, quam naturalem vocant historiam. Præclarissimum enim esse censebam, causas intelligere, per quas singula fiant atque intereant, et qua sint ratione: sæpiusque me sursum deorsumque jactavi, talia quædam primo considerans, nunquid, postquam calidum et frigidum putrefactionem aliquam acceperunt, quemadmodum nonnulli dixerunt, tunc animalia coalescant. præterea, utrum sanguis sit, quo sapimus, vel aër vel ignis: aut nihil horum sit, sed cerebrum, quod præbeat sensus audiendi, videndi, olfaciendi: ex his autem memoria et opinio fiat: ex memoria vero et opinione quietem accipiente, per hæc scientia oriatur. proinde horum corruptiones considerans, atque eas, quæ circa cœlum terramque passiones contingunt, tandem adeo mihi ad hæc considerandа visus sum hebes, ut nihil magis. Conjecturam vero ad id afferam tibi sufficientem. nempe ob ejusmodi considerationem usque adeo sum occæcatus, ut ea etiam, quæ prius manifeste sciebam, ut mihi aliisque videbatur, dediscerem, et alia videlicet multa, quæ antea me scire putabam, et qua ratione homo crescat. id namque opinabar ante esse cuilibet manifestum, hominem videlicet per cibum potumque augeri. Quando enim per hæc carnes carnibus ossaque ossibus adduntur, eodemque modo in aliis, quando sua cuique adhibentur, tunc sane molem primo parvam, deinde magnam evadere, atque ita parvum hominem effici magnum. Sic ego tunc opinabar. nonne satis belle tibi videor? Cr. Mihi quidem. So. Animadverte hæc insuper. Arbitrabar enim, satis recte mihi videri, quotiens hominem vel equum, magnum parvo propinquum, alterum altero judicarem capite ipso esse majorem. atque multo etiam evidentius decem plura apparebant mihi quam octo propterea, quod denarius duo præter octonarium contineret. præterea bicubitum cubitali majus, quoniam dimidio superaret. Cr. Nunc vero quidnam de his judicas? So. Procul equidem, per Jovem, abesse mihi videor, ut alicujus horum causam intelligere putem, qui nondum mihi ipsi persuaderi

Digitized by Google

possem, ut, quando quis uni addat unum, tunc vel illud unum, cui unum adjunctum est, fiat duo: vel et adjunctum et illud, cui adjunctum est, propter [97] alterius ad alterum adjunctionem evadat duo. admiror equidem, si, cum utrumque horum separatum erat, utrumque unum erat, neque erant tunc duo: postquam invicem cohæserunt, hæc ipsa causa fuerit, ut duo fierent, congressio videlicet, per quam propius jam posita sunt. neque etiam, si quis unum dividat, adhuc possum persuaderi, hanc ipsam divisionem causam esse, ut duo evadant. contraria enim tunc atque superius causa fit, qua duo fiant. tunc enim, quia conjungebantur propius invicem, alterumque admovebatur alteri: nunc vero, quoniam removetur alterum ab altero atque separatur. Neque, propter quid unum fiat, adhuc scire me arbitror; neque, ut summatim dicam, aliud quicquam, quare fiat aut pereat aut sit, per hanc ipsam viam me nosse profiteor: sed alium quendam ipse modum frustra misceo; hunc vero nullo modo admitto. Verum, cum audissem aliquando ex libro, ut ille aiebat, Anaxagoræ, legentem quendam hanc Anaxagoræ ipsius sententiam, videlicet mentem omnia exornare omniumque causam esse: hoc utique causæ genere magnopere sum delectatus, existimans quodammodo consentaneum, mentem esse omnium causam: putabamque, si id ita esset, ut mens omnia exornaret, singula per hanc ita esse disposita, ut optime disponi potuerant. Propterea, si quis vellet causam invenire, qua singula fiant aut pereant aut sint, hoc ipsum esse inveniendum, qua videlicet ratione optimum sit unicuique, aut esse aut quodvis aliud pati vel agere. Atque hoc pacto nihil aliud considerandum homini vel de seipso vel de aliis, nisi quod potissimum sit et optimum. Necesse vero est eum, qui id norit, illud quoque, quod est deterius, cognovisse: quippe cum eadem horum scientia sit. Hæc utique mecum ipse reputans, gaudebam, invenisse ratus Anaxagoram magistrum, qui me, id quod tantopere cupiebam, causas rerum doceret; primumque mihi diceret, utrum plana sit terra vel rotunda: et cum hæc dixisset, subjungeret mihi causam atque necessitatem, afferens videlicet idipsum, quod melius est; meliusque fuisse eam esse talem. Proinde si terram diceret in mundo mediam esse, mox exponeret melius exstitisse, ut media esset. Quod si ille hæc ostenderet, ita me comparabam, quasi nullam amplius [98] causarum speciem positurus. Præterea de sole et luna ceterisque stellis, earumque inter se velocitate conversionibusque, et de hujusmodi omnibus me similiter quæsiturum auditurumque comparaveram, quod videlicet et qua ratione hæc melius sit singula vel facere vel pati, quodcunque agant vel patiantur. Neque enim putabam, eum ab initio dixisset mente omnia exornari, ipsum aliam postea causam rebus assignaturum, præterquam quod optimum sit eas ita se, ut habent, habere. Itaque arbitrabar eum in reddendis tum singulorum tum cunctorum communiter causis, singulis quidem assignare, quod unicuique optimum, cunctis vero commune bonum. Neque vero spes ipse meas parvi faciebam, sed summo quodam studio acceptos libros, quam velocissime poteram lectitavi, ut ocissime, quid optimum quidve ejus contrarium esset, cognoscerem. Hac igitur mirabili spe ductus, cum legere pergo, video hominem mente quidem nullo modo utentem, nec causam ullam ad ipsum rerum ornatum referentem, sed aëreas naturas et æthereas aqueasque et talia multa incredibilia pro rerum causis assignantem. Qua quidem in re ille mihi perinde visus est agere, ac si quis diceret, Socratem, quæcunque facit, mente facere: deinde volens singulorum, quæ facio, causas explicare, dicat primum quidem nunc me hic propterea sedere, quoniam corpus meum ex ossibus nervisque componitur: et ossa quidem solida sunt et junctrarum intervalla inter se habent: nervi autem sic instituti, ut et extendi et contrahi valeant, complectantur ossa cum carnibus atque

Digitized by Google

cute, quæ illa continet. Elatis igitur ossibus in suis conjunctionibus, nervi, qui et intendunt et remittunt commode, faciunt, ut flectendi cujusque membri habeam facultatem, atque hanc ob causam hic inflexus sedeam. Ac rursus disputationis meæ alias quasdam ejusmodi causas assignaret, voces et aërem et auditum aliaque generis ejusdem quam plurima, causas verissimas negligens: videlicet quoniam Atheniensibus melius visum fuerit me condemnare, ideoque mihi etiam melius sit visum hic sedere; justiusque judicarim exspectantem dare pœnas, quas illi jubeant. profecto per Canem, jamdiu, ut arbitror, [99] hi nervi atque hæc ossa apud Megarenses aut Bœotios essent, ipsius, quod optimum est, opinione delata; nisi justius honestiusque censuissem pœnas civitati pendere, quascunque a me exigat, quam subterfugere atque exsulem vivere. Verum talia quædam causas appellare a ratione est remotissimum. Si quis autem dixerit absque ossibus et nervis atque similibus non posse me, quæ mihi facienda videantur, implere, vere utique dicet. Attamen asserere propter hæc me facere, quæcunque facio, dum ipsa mente ago, non autem ejus quod optimum sit optione, multa magnaque sermonis negligentia esset. Nam qui sic est affectus, nequit discernere, aliam quidem esse veram rei alicujus causam; aliud vero illud, sine quo ipsa causa esse non potest causa. quod quidem multi mihi videntur, quasi in tenebris attrectantes, alieno appellare nomine, dum causam nuncupant. Quapropter nonnulli vertiginem circumponentes terræ, sub cœlo eam stabilem faciunt. alii vero tanquam latum pistoris alveum aëre velut base suffulciunt. Potentiam vero ipsam, qua nunc ita disposita sit, ut optime disponi poterat, neque perquirunt neque dæmonicam quandam habere vim putant: sed Atlantem quendam robustiorem et immortaliorem, magisque omnia continentem invenisse se opinantur, ipsum autem bonum atque decens connectere atque continere revera nihil existimant. Ego igitur libentissime cujusvis essem discipulus, ut quemadmodum se habeat hæc ipsa causa, discerem. Postquam vero hac privatus sum; neque ipse invenire neque ab alio discere potui: secundam navigationem ad causam investigandam molitus sum. Visne, o Cebes, hanc tibi a me demonstrari? Cr. Mirifice cupio. So. Censui tandem, cum in rebus considerandis jam defessus essem, cavendum fore, ne mihi idem accideret, quod accidere illis solet, qui in solem deficientem figunt intuitum. orbantur enim nonnunquam visu, nisi in aqua vel in ejusmodi aliquo imaginem ejus aspiciant. Tale quiddam ego reputavi, timuique ne animus mihi prorsus occæcaretur, si oculis res aspicerem sensuque quolibet attingere illas aggrederer. Quapropter operæ pretium esse censui, ut ad rationes confugerem atque in illis rerum veritatem considerarem. Forte vero nostra hæc similitudo non omni ex parte congruit. [100] non enim prorsus assentior, eum, qui res in rationibus contemplatur, in imaginibus aspicere potius quam qui in operibus intuetur. Verumtamen hac via iter direxi meum, supponensque rationem semper, quam esse judico validissimam, quæcunque huic consonare videantur, pono equidem tanquam vera; idque ago et circa rerum causas et circa reliqua omnia: quæ vero dissonant, vera esse nego. Volo equidem, quæ dico, tibi apertius explanare. puto enim te nondum intelligere. Cr. Per Jovem, haud multum. So. Verum novum nihil adduco; sed quæ et sæpe alias et in superiori disputatione dicere nunquam destiti. Pergo jam igitur demonstrare tibi causæ speciem, quam continue pertractavi; ac redeo ad illa jam sæpius decantata, ab eisque exordior, supponens aliquid esse ipsum per se pulchrum et bonum et magnum, et cetera omnia. quæ quidem si tu mihi dederis, eaque esse concesseris, spero tibi ex his ipsam causam demonstrare; itemque invenire, esse animam immortalem. Cr. Quasi vero jam tibi concesserim, nihil tibi opus est præludio, quo minus jam con-

Digitized by Google

cludas. So. Considera jam, quæ sequuntur deinceps, utrum in his mihi consentias. Arbitror enim, si quid est aliud pulchrum præter ipsum pulchrum, non ob aliud quippiam esse pulchrum, quam quia pulchri ipsius est particeps. atque omnia dico similiter. nunquid hanc causam recipis? Cr. Recipio equidem. So. Ergo nondum ultra percipio, neque possum ceteras istas præclaras causas cognoscere. Si quis autem mihi dixerit, quare pulchrum sit quodlibet, videlicet quia vel colorem habeat floridum vel figuram vel aliud quodvis talium, cetera equidem valere sino: (in ceteris enim omnibus soleo perturbari:) id vero unum simpliciter atque procul dubio, et forte jam inepte, penes me teneo, nihil aliud esse, quod aliquid faciat pulchrum, quam ipsius pulchri sive præsentiam sive communionem, sive qualicunque ratione et quocunque modo id proveniat. Neque enim id adhuc affirmarem: sed pulchro pulchra omnia esse pulchra, id mihi videtur tutissimum, tam mihi quam aliis respondere: atque huic fundamento innixus, puto nunquam cadere; sed et me et quemvis alium tuto respondere posse, quæcunque pulchra sunt, ipso pulchro fieri pulchra. nonne et ipse consentis? Cr. Consentio equidem. So. Ergo et quæ magna sunt, ipsa magnitudine esse magna: et quæ majora sunt, similiter esse majora: et quæ minora, parvitate esse minora. Cr. Ita est. So. Igitur neque tu quidem assentieris, si quis aliquem dixerit alio quodam capite esse majorem; atque eum, qui minor est, eodem capite esse minorem: [101] sed testificaberis, te quidem nihil aliud esse dicturum, quam omne majus alio non alia re ulla quam magnitudine esse majus; atque ob hoc majus, ob ipsam scilicet magnitudinem: minus autem, nullo similiter alio quam parvitate, et propter hoc esse minus, propter ipsam videlicet parvitatem: metuens, ut puto, ne, si quem dixeris capite majorem esse vel minorem, quispiam tibi sic objiciat: primum quidem eadem re et majus fore majus et minus fore minus: deinde, quod capite, quæ res parva est, majorem affirmes esse majorem. hoc autem dicet monstro esse persimile, ut parvo aliquo magnum quiddam esse dicas. nonne hæc metueres? Tunc Cebes subridens, Equidem, inquit. So. Nonne similiter quoque metueres dicere, decem plura quam octo esse duobus, atque ob hanc causam superare, potius quam multitudine atque propter multitudinem? ac similiter bicubitum cubitali majus esse dimidio, potius quam magnitudine? id enim similiter est metuendum. Cr. Omnino. So. Quid vero, si uni addatur unum, additamentum ipsum esse causam, ut duo fiant, vel si dividatur, divisionem ipsam duorum esse causam, dicere non formidares? altiusque exclamares, nescire te, quonam alio pacto quicquam fiat, nisi participatione quadam essentiæ unicuique propriæ, cujus sit particeps? atque in his nullam aliam habere te causam, cur duo fiant, præter duitatis ipsius participationem: sed oportere hujus participia fore, quæcunque futura sunt duo: et similiter unitatis, quodcunque futurum sit unum? Has vero divisiones adjunctionesque et ceteras ejusmodi argutias valere sineres; relinqueresque sapientioribus te, per eas pro arbitrio responsuris: tu vero tuam, quemadmodum dici solet, metuens umbram et imperitiam, atque innixus tutissimæ illi positioni, sic utique responderes? at vero, si quis eandem positionem complexus instaret, valere sineres; neque prius responderes quam, quæ inde manant, considerasses, utrum consonent invicem aut dissonent? Ubi vero illius ipsius rationem oporteret afferre, eodem modo afferres, atque aliam rursus positionem adduceres, quæ superiorum optima videretur, quoad ad aliquid sufficiens pervenires? Nunquam vero simul confunderes contentiosorum more, ubi et de principio et de his, quæ a principio deducuntur, disputas; si modo velles eorum aliquid, quæ vere sunt, invenire? nam illis fortasse nullus hac de re sermo est, nulla cura. Possunt enim præ sapientia et simul omnia commiscere et tamen sibi-

Digitized by Google

met placere. Tu vero, si ex [102] philosophorum numero es, quæ dico, ut arbitror, facies. Sim. et Cb. Verissima loqueris. Ech. Per Jovem, o Phædon, merito admodum consenserunt. mirifice enim ille mihi videtur rem ipsam vel bebotissimo cuique explanasse. Phæ. Sic prorsus, o Echecrates, præsentibus omnibus similiter visum fuit. Ech. Quid mirum? cum nobis quoque, qui non interfuimus, nunc similiter audientibus videatur. Verum quænam post hæc dicta fuerunt? Phæ. Ut equidem arbitror, postquam hæc illi Socrati concesserunt, concesserantque, speciem quamlibet aliquid esse, et quæ harum participia sunt, ipsarum denominationem habere; deinceps hunc in modum interrogavit. Si hæc ita se habent, nonne, quando Simmiam dicis Socrate quidem majorem esse, Phædone vero minorem, tunc affirmas in Simmia utrumque esse, et magnitudinem simul et parvitatem? Cb. Equidem. So. Attamen Simmiam confiteris excedere Socratem, non ita revera, ut verba sonant. non enim ita natura institutum esse existimas Simmiam, ut ea ratione superet, qua est Simmias; sed magnitudine, quam habet: neque rursus Socratem, eo quod Socrates est, excedi; sed quia parvitatem præ magnitudine illius habeat. Cb. Vera loqueris. So. Similiter nec a Phædone superari, eo quod Phædon sit Phædon; sed quia Phædon præ Simmiæ parvitate magnitudinem habet. Cb. Ita est. So. Sic itaque Simmias denominationem parvi habet et magni: siquidem in amborum medio positus, alterius quidem parvitatem magnitudine superat, alterius vero magnitudini parvitate cedit. Et simul subridens inquit: Videor equidem affectatius descripsisse. verumtamen est, ut dico. Cb. Sic appareret. So. Dico autem propterea, quia cupio videri tibi, quod et mihi videtur. Opinor enim, non solum magnitudinem ipsam nunquam velle magnam simul parvamque esse; verum etiam neque hanc, quæ in nobis est, magnitudinem unquam recipere parvitatem, neque superari velle: sed e duobus alterum accidere: vel fugere seque subtrahere, quando adventat contraria parvitas; vel cum advenerit, interire: nolle autem exspectare, atque in parvitate recipienda aliud esse quam erat. quemadmodum ego, cum susceperim sustinuerimque parvitatem, quamdiu in ipse sum, qui sum, sic ipsemet sum parvus. Illud autem, magnum quod ipsum est, nunquam sustinuit esse parvum. similiter parvum, quod est in nobis, nunquam vult magnum aut fieri aut esse: neque aliud quicquam contrariorum, quamdiu est id, quod erat, petitur simul contrarium fieri aut esse; sed aut [103] abit aut perit, cum adventat contrarium. Cb. Ita prorsus existimo. Phæ. Tunc quidam eorum, qui aderant, hæc audiens, (quis autem ille fuerit, non satis memini,) Dii boni, inquit, nonne in superioribus contrarium eorum, quæ dicuntur, nobis est concessum, videlicet ex minori majus fieri atque ex majori minus; esseque procul dubio generationem contrariorum ex contrariis? nunc autem videmini, fieri id non posse, dicere. Cum vero Socrates, admovens caput, auscultasset, Viriliter, inquit, id recordatus es: non tamen intelligis differentiam inter id, quod modo dictum est, atque illud superius. Tunc enim dicebatur, ex contraria re rem contrariam fieri: nunc vero contrarium ipsum sibimet contrarium fieri nunquam; neque quod in nobis, neque quod in natura contrarium est. tunc quidem, o amice, de his, quæ habent contraria, dicebamus, hæc illorum cognomine appellantes. at nunc de illis ipsis loquimur, quæ his insunt, quorumve præsentia cognomen habent ea, quæ nominantur. Illa vero ipsa dicimus nunquam velle mutuam inter se generationem suscipere. Et simul Cebetem intuitus, inquit: Num te quoque, Cebes, aliquid eorum, quæ nunc objecta sunt, perturbavit? Cb. Haud equidem ita sum affectus: ac tibi affirmo non multum me turbari. So. Id ergo simpliciter confessi sumus, contrarium nunquam sibimet fore contrarium. Cb. Omnino. So. Adverte præterea, nunquid et in hoc

Digitized by Google

mecum sentias. vocasne aliquid calorem atque frigus? Cr. Voco equidem. So. Num tanquam nivem atque ignem? Cr. Non, per Jovem. So. An aliud quiddam calorem esse quam ignem, et aliud frigus quam nivem? Cr. Ita. So. Sed hoc quoque tibi videri puto, nivem, quamdiu nix est, nunquam susceptaram esse calorem, quemadmodum in superioribus dicebamus: ac esse nivem, ut erat prius, simulque calidam: sed adventante calore aut subterfugere aut interire. Cr. Penitus. So. Similiter et ignem subintrante frigore aut subterfluere aut extingui; nec unquam posse et suscipere frigus et simul esse ignem, sicut prius erat, et frigidum. Cr. Vera narras. So. Sunt igitur quædam ejusmodi, ut non solum speciem ipsam nomine suo dignentur per omne tempus, sed et aliud quiddam: quod quidem non est primum illud, habet vero, quamdiu est, illius formam. In hoc rursus tibi, quod volo, forte manifestius erit. Impar enim semper oportet nomen id, quod nunc dicimus, possidere. nonne? Cr. Oportet sane. So. Num id solum ex omnibus? hoc enim quæro: an et aliud quiddam, quod quidem [104] est non idipsum impar, attamen hoc oportet una cum suo nomine hoc insuper nomine alio semper appellari; propterea quod ita natura sit institutum, ut nunquam ab impari deseratur? Dico autem, hoc affectum esse ceu ternarium aliaque permulta. Considera vero de ternario. an non tibi videtur, hunc et sui ipsius nomine semper nuncupandum esse et simul nomine imparis? quod quidem impar non idem est, quod est ternarius. Veruntamen ita natura comparatus est et ternarius et quinarius et omnis medietas numeri, ut quamvis non idem sit, quod impar, semper tamen eorum quivis est impar. Præterea duo et quatuor omnisque alter numeri ordo, quamvis idem quod par non sit, simul tamen quilibet illorum par semper existit. concedis, necne? Cr. Quidni? So. Contemplare ergo, quid velim. est autem ejusmodi. Videntur quidem non solum ipsa inter se contraria esse invicem non recipere; verum etiam, quæcunque talia sunt, ut licet contraria inter se non sint, semper tamen contraria possideant, nunquam recipere speciem illam, quæ ipsi speciei, quam in se habent, contraria sit: sed hac adveniente aut perire protinus aut abire. an non dicemus tria et deficere et aliud quodvis pati, prius quam sustinere, ut, quatenus tria sunt, paria fiant? Cr. Ita prorsus. So. Non tamen contraria est duitas trinitati. Cr. Non certe. So. Non solum ergo species ipsæ contrariæ nunquam invicem se recipiunt: sed etiam alia quædam contrariorum ingressum mutuum non suscipiunt. Cr. Verissima narras. So. Visne igitur hæc, si possumus, qualia sint, definiamus? Cr. Volo equidem. So. An non, Cebes, hæc erunt, quæ, quodcunque occupant, tale reddunt, ut non solum sui ipsius ideam retinere cogatur, sed etiam contrario illi sit opus? Cr. Quonam pacto dicis? So. Quemadmodum paulo ante dicebamus. scis enim, quæ trium continentur idea, oportere non solum tria, sed etiam imparia esse. Cr. Certe. So. Ad hoc tale utique dicebamus ideam contrariam formæ illi, quæ id perficit, nunquam accedere. Cr. Nunquam. So. Perfecit autem imparis idea. Cr. Hæc ipsa. So. Contraria vero huic paris idea. Cr. Ita est. So. Ergo ternario numero idea paris se nunquam insinuabit. Cr. Nunquam. So. Quapropter ternarius numerus paris est expers. Cr. Expers. So. Trinitas ergo est necessario impar. Cr. Est. So. Quod ergo definiendum assumpseram, qualia videlicet sint, quæ, etsi alicui non sunt contraria, ipsum tamen contrarium non admittunt, perinde se habet, ut trinitas: quæ cum pari non sit contraria, nihilo tamen magis ipsum accipit, propterea quod semper ejus contrarium affert. similiterque binarius ad impar, et ignis se habet ad frigidum, aliaque [105] quam plurima. At vide jam, num ita definiendum putes, ut non modo contrarium non admittat

Digitized by Google

contrarium, verum etiam illud, quod aliquid afferat contrarium illi, ad quod ipsum accedat, ipsum videlicet quod affert, nunquam contrariam ejus, quæ affertur, recipiat formam. Rursus autem recordare: neque enim inutile sæpius admonere. Neque quinque paris speciem admittent; neque decem imparis, quod est duplum. hoc quidem ipsum alii contrarium, speciem tamen imparis accipiet nunquam. neque etiam numerus sesquialter, neque alia hujusmodi, quæ dimidium habeat, formam totius suscipiunt; similiterque numerus, qui partem habet tertiam, atque ejusdem generis alia: si modo assequeris ita atque consentis. Cr. Omnino equidem consentio atque assequor. So. Rursus tanquam a principio mihi dicas. nec tamen per id, quod nunc interrogo, sed per aliud quiddam mihi respondeas, me imitatus. dico autem præter tutam responsionem illam a principio positam, juxta tutam quoque responsionem aliam per ea, quæ modo dicta sunt, adinventam. Nempe si me interroges, O Socrates, quidnam in corpore si sit, calescet corpus: non tutam responsionem illam rudemque tibi dabo, videlicet si caliditas; sed exquisitiorem ex præsentibus verbis, ut si insit ignis. Similiter si me interroges, quid si in corpore sit, ægrotabit: non respondebo, si ægrotatio; sed si febris. Rursus si perconteris, quid si insit numero, fuerit impar: non dicam, si imparitas, immo si unitas; atque in ceteris eodem pacto. Sed vide, an dum, quid velim, plane cognoveris. Cr. Planissime. So. Responde igitur: quidnam si in corpore sit, erit vivum? Cr. Si anima. So. Nonne id semper ita se habet? Cr. Semper. So. Anima igitur quicquid occupat, semper ad illud vitam affert? Cr. Affert procul dubio. So. An est aliquid vitæ contrarium, necne? Cr. Est utique. So. Quid istud? Cr. Mors. So. Anima vero contrarium ejus, quod ipsa semper adducit, subibit nunquam, quemadmodum ex superioribus est concessum. Cr. Sic est omnino. So. Quid vero? quod paris ideam non accipit, quonam modo paulo ante nominabamus? Cr. Impar. So. Quod vero non accipit justitiam, quodve non capit musicam? Cr. Injustum dicimus et immusicum. So. Age jam, quod non subit mortem, quomodo appellabimus? Cr. Immortale. So. Et anima quidem mortem non suscipit. Cr. Nequaquam. So. Est igitur anima immortalis. Cr. Immortalis quidem. So. Age utique, hocne jam demonstratum dicemus? an aliter tibi videtur? Cr. Et sufficientissime quidem, o Socrates. So. Quid ergo, Cebes? si necesse foret, quod omnino est impar, [106] et imperdibile fore, nonne tria imperdibilia forent? Cr. Quidni? So. Præterea, si, quod incalescibile sit, necesse foret imperdibile esse, quando quis ad nivem calidum admoveret, nix quidem incolumis illiquefactaque subterfugeret? neque enim vel periret vel permanens calorem admitteret. Cr. Vera narras. So. Simili, ut arbitror, ratione, si, quod infrigescibile, etiam imperdibile esset, quando in ignem adventat frigus, non exstingueretur et evanesceret ignis, sed abiret incolumis. Cr. Ita necesse foret. So. Eodem pacto de immortali quoque necesse est dicamus. Si enim, quod est immortale, est etiam imperdibile, impossibile est animam imminente morte perire. Nam mortem quidem, quemadmodum ex superioribus constat, non recipiet neque interierit: quemadmodum ternarius nunquam, ut diximus, par erit: neque rursus impar erit par: neque ignis frigidus, neque caliditas, quæ inest igni, frigiditas unquam erit. Ceterum dicet quispiam, quidnam prohibet, quo minus ipsum impar par quidem non fiat adveniente pari, quemadmodum inter nos convenit, attamen eo dissoluto par pro ipso succedat? Ita dicenti repugnare non valeremus, quin sit destructum. quippe cum non idem sit impar atque indissolubile. Alioquin si nobis id constitisset, facile obtineremus, invadente pari impar ternariumque salvum discedere. similiterque de igne et calido ceterisque assereremus. nonne

Digitized by Google

ita? Ce. Prorsus. So. Jam vero de immortali, si nobis id constat, quod est immortale, esse etiam imperdibile; consequens est, animam præter id, quod est immortalis, imperdibilem quoque esse. sin vero minus id concedatur, ratione alia opus erit. Ce. Sed nihil opus est, quantum ad id spectat, alia ratione. Siquidem quidnam aliud indissolubile posset esse, si immortale ipsum et sempiternum dissolveretur? So. Deum vero et ipsam vitæ speciem, et si quid aliud est immortale, indissolubile quoque esse omnes confiterentur. Ce. Universi, per Jovem, homines, et multo magis ipsi, ut arbitror, dii. So. Cum igitur, quod immortale est, etiam incorruptibile sit, quidnam prohibet animam, si fuerit immortalis, incorruptibilem quoque fore? Ce. Necessario sequitur. So. Imminente igitur homini morte, quod mortale quidem in eo est, interit: quod vero immortale, incorruptum sospesque morti se subtrahit. Ce. Manifestum est. So. Itaque maxime omnium, o Cebes, anima immortalis [107] incorruptibilisque est; eruntque apud manes animæ nostræ. Ce. Nihil equidem, o Socrates, adversus hæc habeo, quo minus rationibus tuis assentiar. Verum si quid aut hic Simmias aut alius quisquam habet, quod dicat, operæ pretium fuerit non siluisse. nescio enim, in quod aliud quis differat tempus, si quid de rebus ejusmodi vel dicere vel audire desideret. Sim. Atqui nec ego habeo quicquam, quo minus superioribus assentiar rationibus. Verumtamen rei ipsius, qua de agitur, magnitudinem et humanam imbecillitatem considerans, cogor intra me dictis nondum acquiescere. So. Quinimmo et hæc bene dicis, o Simmia, et positiones primæ, quamvis fide vobis dignæ videantur, diligentius tamen considerandæ: atque si illas sufficienter, ut arbitror, susceperitis, hanc sequemini rationem, quantum fieri ab homine potest. quod si hoc ipsum fuerit manifestum, nihil ulterius perquiretis. Sim. Vera loqueris. So. Hoc autem, o viri, justum est, cogitare, si anima sit immortalis, eam non solum temporis hujus, in quo vivere dicimur, verum etiam universi gratia curatione plurimum indigere. nam grave periculum fore putandum est, si quis neglexerit animam. Si enim mors totius dissolutio esset, nimirum improbi lucrarentur, cum et a corpore et ab eorum pravitate cum anima liberarentur. Nunc autem, cum anima immortalis appareat, nulla superest malorum declinatio, nulla salus, nisi ut optima et prudentissima fiat. Nihil enim aliud, cum migrat ad manes anima, secum transfert præter eruditionem atque educationem. quæ quidem statim in principio transmigrationis illius plurimum vel prodesse vel obesse dicuntur. Ferunt enim, quemlibet hinc illuc emigrantem ab eo dæmone, quod viventem sortitus fuerat, in locum quendam duci, ubi oporteat omnes una collectos judicari, ac deinde ad inferos proficisci eo duce, cui mandatum erat, ut hinc decedentes ad illa loca traducat. sortitos vero illic, quæ oportebat sortiri, tempusque debitum commoratos, ab alio quodam duce rursus huc reduci post multos temporis longosque circuitus. Est autem iter non tale, quale ait Telephus apud Æschylum. ille siquidem [108] simplicem inquit viam ad inferos ferre. Ego vero neque simplicem neque unam esse puto. Alioquin nullis ducibus opus esset: quippe cum unica via aberrare possit nemo. Quinimmo multos tramites multosque anfractus habere. quod quidem ex sacrificiis et ritibus conjectare licet. Animus ergo moderatus et prudens ducem aponte sequitur, neque ignorat præsentia. sed qui cupiditate corporis est infectus, quemadmodum supra dixi, per multum tempus ad ipsum ardenter afficitur; et circa locum visibilem multis reluctatus modis multaque perpessus vix tandem ab eo abducitur dæmone, cui ejus cura erat injuncta. Cum vero ad ea loca, ubi alii quoque animi sunt, pervenerit, quisquis admodum immundus est et hujusmodi obnoxius crimini, qui vel injustis se contaminaverit cædibus, vel alia his similia similiumque animorum opera perpetraverit;

Digitized by Google

hunc quidem animum omnes fugiunt atque declinant, nec reperitur ullus, qui vel socius vel dux ejus fieri velit. itaque omni auxilio destitutus eo usque pererrat, quoad certa temporum curricula impleantur: quibus tandem impletis in habitationem sibi convenientem ab ipsa necessitate transfertur. Qui vero puram moderatamque transegerit vitam, deos socios ducesque nactus ibi habitat, ubi unicuique convenit. Multa vero sunt mirabiliaque terrarum loca: ipsaque terra neque talis neque tanta est, qualem aut quantam hi, qui de terra loquuntur, existimant; quemadmodum mihi a quodam traditum est. Sim. Quanam ratione hæc ais, o Socrates? equidem de terrarum orbe multa audivi: non tamen hæc, quæ tanquam vera accepisse te ais. libenter igitur ex te audirem. So. Atqui, o Simmia, nequaquam mihi videtur ars Glauci, quæ ea sint, narrare: sed, quod vera sint, probare, artis Glauci facultatem mihi videtur excedere. Præterea ego forsan non sufficerem. quin etiam si id scirem, hæc tamen vita mea, o Simmia, longiori huic narrationi nequaquam sufficeret. Formam tamen orbis terræ ejusque loca cujusmodi esse rear, nihil prohibet dicere. Sim. Satis id erit. So. Persuasum quidem mihi est, primo, si est terra in cœli medio rotunda, nihil ei opus esse vel aëre vel alia [109] ulla necessitate ejusmodi, ad hoc, ut nunquam decidat: sed ad eam sustinendam satis id esse, quod et cœlum undique sibi ipsi simillimum est omnino et terra undique æquilibris. Res enim æquilibris in similis alicujus medio posita, nec magis nec minus potest in partem aliquam inclinari: cumque similiter se habeat, ab inclinatione permanet aliena. Primo igitur mihi esse ita est persuasum. Sim. Et recte quidem. So. Præterea ingentem esse terrarum orbem: nosque a Phaside ad Columnas Herculeas habitare in parva quadam ejus particula, ceu formicas atque ranas circa paludes atque mare: esse vero et alios in similibus multisque locis multos habitatores. esse enim passim per terram multas variasque concavitates secundum formas et moles, in quas aqua, nebulæ aërque confluant. Puram vero ipsam terram in puro jacere cœlo, in quo sunt astra, quem plerique eorum, qui hæc tractant, ætherem nominant. Ei quidem subjecta quasi residendo hæc esse, semperque in hiatus terræ confluere. Nos itaque in his concavitatibus habitantes adeo falli, ut in terræ superficie alta nos habitare credamus. perinde ac si quis in medio profundo pelagi habitans putet se altiora maris incolere; atque solem ceteraque astra per mare prospiciens, mare ipsum esse cœlum existimet: quippe cum propter tarditatem imbecillitatemque nunquam ad summum maris evaserit, neque caput undis extulerit, planeque aspexerit, quanto hic locus profundo illo purior pulchriorque sit: quin etiam nec ab alio, qui hunc intuitus sit, acceperit. Hoc igitur idem et nobis accidere, qui in quadam orbis terreni concavitate habitantes altam incolere superficiem arbitremur, atque aërem nominemus cœlum, utpote qui per ipsum, quasi cœlum, astrorum motus intueamur. Idque nobis accidere propterea, quod propter imbecillitatem tarditatemque ad supremum usque aërem transcendere nequeamus. Quod si quis ad summum evaderet, vel alis fretus eo volaret, hinc prodeuntem inde jam prospecturum; quemadmodum pisces emergentes e mari nostra hæc aspiciunt. Ac si natura ad inspiciendum sufficeret, cogniturum protinus, cœlum illud esse verum veramque lucem, veram quoque [110] terram. siquidem quæ a nobis incolitur terra, hique lapides totusque hic locus adesa sunt atque corrupta; ut ea, quæ in mari sunt, a salsedine. neque nascitur in mari quicquam existimatione dignum; atque ut ita dixerim, nihil est in eo perfectum; sed cavernæ, arena, limus incredibilis atque sordes, ubicunque sit et terra. quæ quidem ad has nostras pulchritudines nullo modo sunt conferenda. Illius vero loci pulchritudo hanc nostram multo magis apparebit excedere. Proinde si fabulam quoque narrare

Digitized by Google

oportet perpulchram, operæ pretium, Simmia, est, audire, quales sint hæ terrarum plagæ, quæ subjacent cœlo. Sim. Immo vero libentissime hanc fabulam audiemus. So. Ferunt igitur, o amice, primum quidem talem videri terræ illius faciem, si quis superne despiciat, quales sunt hæ pilæ, quæ ex coriis duodecim contextæ sunt, variis scilicet distinctam coloribus: quorum hi nostri colores, quibus pictores utuntur, similitudinem quandam retinent. Illic vero universam terram ex talibus multoque etiam nitidioribus ac purioribus esse: partim quidem purpuream, mira pulchritudine præditam; partim vero coloris aurei; partim gypso et nive candidiorem: præterea ex coloribus aliis similiter exornatam, ac etiam pluribus pulchrioribusque, quam in nostram notitiam pervenerint. Enimvero has ipsas ipsius concavitates, aqua aëreque repletas, speciem quandam coloris splendidam in primis afferre inter ceterorum colorum varietatem, ut una quædam species ejus varia semper appareat. In hujusmodi vero terra convenienti ratione similes nasci arbores et flores et fructus. præterea montes et lapides ibidem simili ratione habere perfectionem atque perspicuitatem coloresque admodum pulchriores: quorum quidem particulæ quædam sint lapilli, qui apud nos habentur in pretio, Sardia, Jaspides, Smaragdi ceterique ejusmodi. illic vero nihil esse, quod non tale sit aut etiam pulchrius. Cujus quidem rei causa sit, quoniam lapides illi puri sint neque, quemadmodum nostri, a putredine sulsugineque attriti atque corrupti; quibus in hunc locum confluentibus lapides et tellus animaliaque et plantæ inficiuntur atque ægrotare coguntur. Terram vero ipsam his omnibus exornari, atque auro etiam et argento ceterisque similibus. præfulgentia quidem [111] hæc ibi nasci et multa et magna, perque omnem terram; ut eam videre spectatorum felicium sit spectaculum. Proinde ibi esse animalia multa et homines, partim regionem mediterraneam incolentes, partim circa aërem, quemadmodum nos circa maris litora, partim etiam insulas quæ haud procul a continenti positæ aëre circumdantur. Sed, ut summatim dicam, quod nobis aqua est et mare ad usum nostrum, idem illic esse aërem: quod vero nobis aër, id illis ætherem esse. Tempora vero apud illos tantam habere temperiem, ut illi et sine morbo continue et longe diutius, quam nostri, vivant. item visu, auditu, prudentia ceterisque talibus nobis tantum præstare, quantum et aër aquæ et æther aëri puritate præstat. Præterea illic esse deorum templa et lucos, in quibus revera dii familiariter habitent, et responsa et divinationes deorumque sensus familiaritatesque ejusmodi hominibus ad deos esse. Solem quoque et lunam stellasque alias, quales revera sunt, apud eos videri: ceteris in rebus beatitudinem eos his rebus congruam possidere. Itaque universam terram sic natura institutam, et quæ circa eam sunt similiter tradunt. Esse præterea in ipsa per ejus concavitates loca in circulum multa, partim quidem profundiora atque ampliora, quam sit regio a nobis culta; partim vero profundiora quidem, sed hiatum angustiorem habentia nostra hac regione. esse et alicubi minus profunda, sed ampliora quam nostra. Hæc autem omnia sub terra sibi invicem obviare, atque irrumpere multis undique modis, tum per angustiora, tum per ampliora; discursusque habere et exitus, quibus magna aquarum copia ex aliis in alia, velut in crateres, confluat. item perpetuorum fluminum sub terra incredibiles magnitudines aquarum, tum calidarum, tum etiam frigidarum: plurimumque ignem et ignis ingentes amnes: multos quoque lutulenti humoris, partim quidem purioris, partim vero sordidioris; ceu torrens luti, qui in Sicilia est, et juxta ipsum amnes lutei inde fluentes. Quibus singula compleri loca, quacunque eos contingit perfluere. Hæc autem omnia sursum deorsumque ferri, veluti suspendiculo quodam sub terram posito, atque ita librato, ut utrinque vicissim inclinet atque attollat. Est autem id suspendiculum ob naturam quandam ejus-

Digitized by Google

modi: unus aliquis ex terræ hiatibus est profecto quam maximus, perque universam terram trajectus [112] et patens. de quo Homerus, *Longe ninis barathrum stat sub tellure profundum.* quod et ipse alibi, et multi poëtarum Tartarum appellarunt. In hoc utique receptaculum omnia confluunt flumina, atque inde rursus effluunt. Talia vero sunt singula, per quales labuntur terras. Quod autem hinc effluant omnia rursusque refluant, hæc est causa, quod hic humor nec fundum habet nec fundamentum. itaque elevatur, et sursum deorsumque redundat. Idemque facit aër et spiritus, qui circa ipsum versatur. Sequitur enim ipsum, et quando ad superiora terræ, et quando ad hæc nostra perlabitur. Et quemadmodum in respirantibus flatus continue exspirat atque respirat, sic et ibi spiritus una cum humore elatus vehementes quosdam ventos et incredibiles commovet, sive influat sive effluat. Quapropter cum aqua in locum inferiorem delabitur, per meatus terræ juxta ejusmodi rivos influit, passimque per eos exundat et implet, velut hi, qui hauriunt. Cum vero illinc huc erumpit, hæc quoque iterum loca complet. Plena vero cum sunt, per rivos terræque meatus exuberat. et cum humores singuli illuc profluxerint, quo quisque profluit opportunius, maria, lacus, flumina, fontes efficiunt. Proinde rursus hinc relabentes per terram, partim quidem per longiores pluresque anfractus, partim vero per pauciores atque breviores rursus in Tartarum confluunt: alii certe multo profundius quam hausti fuerint, alii vero paulo; omnes autem inferius influunt, quam effluxerint: et alii per contrariam partem elabuntur, quam illapsi fuerint; alii vero per partem eandem. at quidam passim circumfluentes aut semel aut sæpius, spirasque circa orbem terrarum instar anguium replicantes, quantum fieri potest, infra relapsi iterum commiscentur; licet autem utrinque partem ad medium usque defluere, ultra vero nequaquam. ulterior nam prolapsus utrinque foret ascensus. Proinde sunt et alia multa, et magna variaque fluenta; sed præcipua quatuor. quorum quidem maximum atque extimum terram circumdans Oceanus appellatur. E contraria vero hujus regione fluit Acheron: qui per deserta alia [113] fluens loca, atque per subterranea in paludem defluit Acherusiam: quo plerique defunctorum deveniunt animi, ibique per fatalia quædam temporum curricula commorati, partim quidem longiora, partim vero breviora, rursus in generationes animalium relabuntur. Tertius vero fluvius horum medius duorum interfluit: nec admodum longe progressus in locum cadit vastum, multo igne flagrantem, efficitque paludem nostro mari majorem, aqua lutoque ferventem. Hinc vero turbidus lutulentusque circumfluit; terraque circumdata, et alibi, et ad extrema paludis Acherusiæ pervenit: nec tamen illius aquæ miscetur; sed sub terra sæpius revolutus absorptusque defluit infra Tartarum. hunc fluvium Pyriphlegethontem nominant: cujus rivi quidam, inde velut evulsi, quacunque terrarum contigerit, manant. E contraria vero hujus regione fluvius quartus primum in locum erumpit ferum et asperum, ut ferunt. colorem vero locus talem habet totus, qualis est cyaneus: quem Stygium nominant. hic autem fluvius prolapsus paludem efficit Stygem. In hunc vero incidens locum, viresque vehementes in aqua assumens, sub terram se condit, circumvolutusque adversus Pyriphlegethontem labitur, et in Acherusia palude e contraria parte illi fit obviam. nec ulli hujus aqua miscetur; sed revolutus in gyrum contra Pyriphlegethontem irrumpit in Tartarum. Poëtæ vero hunc appellant Cocytum. Cum vero hæc ita natura disposita sint, quando in eum locum defuncti pervenerint, quo dæmon unumquemque perducit, primo illic judicantur, et qui honeste sancteque, et qui aliter vixerint. Itaque quicunque in vita quodam modo-tenuisse medium quoddam comperiuntur, ad Acherontem profecti vehiculis, quæ unicuique adsunt, in paludem perveniunt Acherusiam: ibique habitant, purganturque pœnas dantes

Digitized by Google

injuriarum : et, cum purificati sunt, absolvuntur : rursusque pro merito singuli benefactorum præmia reportant. Qui vero ob scelerum magnitudinem insanabiles esse videntur, qui videlicet sacrilegia multa et magna vel cædes iniquas vel alia horum similia perpetraverint, hos omnes conveniens sors mergit in tartarum, unde nunquam egrediuntur. Qui autem sanabilia quidem peccata, sed ingentia commiserunt, veluti si qui contra patrem vel matrem irati per vim aliquid fecerint, [114] sed pœnitentia ducti eos in cetera vita coluerint, vel qui simili quodam pacto fuerint homicidæ, eos in tartarum quidem necesse est cadere : sed ibi per annum commorati a fluctu ejiciuntur, homicidæ quidem per Cocytum, parentum vero violatores per Pyriphlegethontem. Postquam vero ab his delati fluminibus ad paludem Acherusiam pervenerunt, clamant illic vocitantque eos, quos vel necaverunt vel injuriis affecerunt ; suppliciterque rogant atque deprecantur, ut eos permittant progredi per paludem ibique absolvi : ac si impetraverint, penetrant illuc finemque malorum accipiunt : sin minus queant persuadere, referuntur in tartarum atque inde rursus in flumina ; neque per hæc mala deferri prius cessant, quam ab his, quos affecerunt injuriis, impetraverint. hæc enim pœna illis a judicibus est imposita. Qui autem pie præ ceteris vixisse inveniuntur, hi sunt, qui ex his terrenis locis, tanquam e carcere, soluti atque liberati ad altiora transcendunt, puramque supra terram habitant regionem. Inter hos autem quicunque satis per philosophiam purgati sunt, absque corporibus omnino totum per tempus vivunt, habitationesque his etiam pulchriores nanciscuntur : quarum pulchritudo neque facilis dictu est, neque præsens tempus ad dicendum sufficeret. Sed horum, quæ narrata sunt, gratia, o Simmia, omni studio est annitendum, ut in hac vita virtutem et prudentiam sapientiamque consequamur. Præmium namque pulchrum est, et spes est ingens. Hæc igitur eo se pacto prorsus habere, quo ego disposui, non decet virum sanæ mentis asserere : esse tamen vel hæc vel talia quædam circa animos nostros eorumque habitationes, quandoquidem animus ipse immortalis apparet, et decere mihi videtur, et dignum, quasi periclitantes ita existimare. honestum enim periculum est ; oportetque hæc quasi carmina quædam magorum ritu mentibus nostris infundere. quamobrem ipse jam diu protraho fabulam. Sed horum gratia bonam spem de animo suo habere debet, quicunque voluptatibus ornamentisque corporis neglectis, tanquam alienis ad diversumque declinantibus voluptates, quæ in discendo percipiuntur, studiose sectatus fuerit, animumque non alieno, sed suo decoraverit ornamento, temperantia, justitia, fortitudine, libertate, veritate ; [115] sic ex hac vita migrationem exspectans, tanquam, cum fatum vocaverit, migraturus. Vos quidem, o Simmia et Cebes aliique præsentes, in posterum quodam in tempore singuli transmigrabitis. me vero nunc, ut tragicus aliquis diceret, jam vocat fatum. ac ferme tempus est, ut ad lavandum divertam. præstat enim, ut puto, post lavacrum venenum bibere, ne in lavando cadavere molestiam mulieribus præbeamus. Cum hæc dixisset Socrates, Crito sic inquit : Dic age, o Socrates, quidnam his aut mihi mandas agendum vel erga filios tuos vel circa cetera ? quidve agendo maxime tibi gratum fecerimus ? Nihil equidem, inquit, novi præcipio, sed quod semper vobis prædico, videlicet si vestri curam habebitis, et mihi et vobis ipsis grata evadent, quæcunque feceritis, etiamsi nunc verbis non concedatis. at vero si vos ipsos neglexeritis, nolentes secundum ea, quæ nunc et superiori tempore dicta sunt, quasi per vestigia vitam dirigere, nihil prorsus perficietis, etsi multa nobis nunc disputantibus concedatis. Ista quidem, ait Crito, curæ nobis erunt. sed quemadmodum sepeliri te jubes ? Utcunque, inquit, libet : si tamen me apprehendetis, ac nisi ego vos effugero. Et simul subridens, et ad nos conversus, Non persuadeo, inquit, Critoni, me esse hunc Socratem, qui nunc dis-

Digitized by Google

puto et singula dicta dispono. sed opinatur me illud esse, quod paulo post videbit, cadaver. itaque interrogat, quemadmodum me sepeliat. Quod autem jamdiu plurimis verbis contendo, postquam venenum bibero, haud ulterius apud vos me esse futurum, sed ad beatorum profecturum felicitates, hoc quidem mihi videor frustra Critoni dixisse, consolans vos simul atque meipsum. Fidejubete igitur pro me Critoni contraria quadam fidejussione, quam ipse judicibus fidejussit. Ille enim me judicio sistere; vos autem me non sistere, cum obiero, fidejubete, sed abiturum: ut Crito obitum facilius meum ferat; neve meum corpus vel cremari cernens vel sepeliri, me deploret, quasi dira patientem: neque dicat in funere proponi Socratem aut efferri aut sub terram condi. Certum id habeto, optime Crito, maledictum non solum in hoc ipso delinquere, verum etiam animis nonnihil officere, at enim confidere oportet, atque dicere corpus [116] sepeliri meum, atque ita sepeliri, ut tibi placebit maximeque justum esse censebis. His dictis surrexit, intravitque cubiculum quoddam, quasi lavaturus. Crito autem secutus est. Nos vero exspectare jussit. Exspectabamus ergo, de his, quæ dicta erant, inter nos colloquentes rursusque considerantes. Præterea conquerebamur fortunam nostram: qui tanquam parente orbati reliquum vitæ tempus orphani futuri essemus. Cum Socrates lotus esset, delati sunt ad eum pueri sui: duos enim filios habebat parvulos, unum vero jam grandem. venerunt et mulieres domesticæ. Ad eas Socrates cum in præsentia Critonis verba fecisset, et quæ volebat mandavisset; mulieres quidem et pueros abire jussit, ipse vero ad nos rediit, jam circiter solis occasum: permultum enim tempus intus fuerat commoratus. Cum vero ad nos venisset lotus, consedit. Nec multa post hæc locutus erat, cum venit Undecimvirorum lictor. qui illi adstans, O Socrates, inquit, non arbitror eam in te novitatem me deprehensurum, quam deprehendere in cæteris soleo. illi enim indignantur mihi atque exsecrantur, quando illis denuntio venenum esse bibendum, ita magistratibus compellentibus. te vero cognovi præsertim in hoc tempore generosissimum mansuetissimumque et optimum virum omnium, qui unquam hunc in locum devenerunt: et nunc equidem certo scio te mihi haud infestum fore, sed illis, penes quos rei hujus causam esse cognoscis. Nunc ergo scis, quem tibi nuntium afferam. Vale, atque annitere, quæ necessaria sunt, pro viribus facile ferre. et simul his dictis abibat lacrymans. Socrates autem in eum respiciens, Et tu, inquit, vale, et nos id faciemus. Simulque ad nos conversus, Quam urbanus est homo hic? inquit. neque solum in hoc, sed in superiori etiam tempore me salutabat colloquebaturque nonnunquam, fuitque semper virorum optimus. Et nunc quam ingenue me lacrymat? Sed age, o Crito, illi pareamus, ac si jam tritum est venenum, aliquis huc afferat. si nondum est tritum, conterat ille. At reor equidem, inquit Crito, o Socrates, nondum solem reliquisse montes nec occidisse. Et novi alios, postquam id sibi nuntiatum est, valde sero bibere illud consuevisse, largiter cœnatos atque potos, interdum vero etiam illorum potitos, quorum amore afficiebantur. Quamobrem ne adeo festines; adhuc enim superest tempus. Tunc Socrates, Merito, inquit, o Crito, illi ista faciunt. putant enim hæc facientes lucrari. Atque ego merito ista non faciam. nihil enim me [117] lucraturum spero, si paulo posterius venenum bibero, nisi ut mihi ipsi sim ridiculus, tanquam vitæ cupidus atque parcus ejus rei servator, cujus nihil jam mihi amplius adest. Sed age jam mihi obtempera, nec aliter facias. Crito vero his auditis annuit puero, qui loage non aberat. ille vero egressus, et aliquantum commoratus, rediit, eum, qui venenum daturus erat, secum ducens. attulit autem in calice id attritum. Hunc adspiciens Socrates, Cedo, inquit, bone vir, (tu enim harum rerum peritiam habes,) quid me facere oportet? Nihil, inquit, aliud quam

Digitized by Google

post potionem deambulare, quoad gravari tibi sentias crura; postea vero jacere: atque ita tu facies. Hæc dicens porrexit calicem Socrati. Socrates vero hilariter admodum, o Echecrates, accepit, nihil omnino commotus, neque colore neque vultu mutato: sed quemadmodum consueverat, taurine illum aspiciens, Quid ais, inquit? licetne ex hoc poculo nonnihil spargendo sacrificare? Tantum, inquit, o Socrates, contrivimus, quantum satis fore putavimus. Intelligo, inquit. sed et licet et oportet orare deos, ut felix sit transmigratio nostra. quod equidem obsecro, atque utinam ita fiat! Et simul his dictis admonens facile admodum alacriterque ebibit. Plerique nostrum eousque retinere quodammodo lacrymas potueramus. at postquam et bibentem vidimus et bibisse, ulterius non potuimus; sed me quidem dolor adeo superabat, ut lacrymæ largiter jam mihi profluerent. Quapropter me protegens deplorabam, non illum quidem, sed fortunam meam, qui tali amico orbatus essem. Crito autem etiam prius, cum lacrymas nequiret continere, surrexerat. Sed Apollodorus nec in superiori quidem tempore unquam lacrymare cessaverat: tunc vero præcipue vociferans, seque ipsum afflictans, neminem reliquit præsentium, cujus vicem non deploraret, præter unius Socratis vicem. Ille vero hæc animadvertens, Quidnam, inquit, o viri mirabiles, agitis? atqui ego maxime hanc ob causam mulieres abegeram, ne talia facerent. audiveram enim, in benedictione esse ex hac vita migrandum. Quiescite igitur atque tolerate. Nos vero hæc audientes erubuimus, destitimusque a lacrymis. Sed ipse, cum inter deambulandum crura jam gravari sentiret, jacuit resupinus: sic enim, qui venenum præbuit, jusserat. qui paulo post eum tangens, pedes et crura consideravit; deinde gravius comprimens pedem ejus, quæsivit an sentiret. negavit Socrates. Ille rursus pressit [118] tibias, paulatimque manu ascendens ostendit nobis frigere eas atque rigere. et ipse attigit rursus, aitque, cum ad cor pervenerit, tunc esse decessurum. Jam igitur friguerant ei præcordia, cum detegens (erat enim veste coopertus) dixit, quæ vox illi extrema fuit: O Crito, Æsculapio gallum debemus: quem reddite; neque negligatis. Fiet, inquit Crito, quod jubes. sed vide, nunquid aliud velis. Hæc interroganti nihil ultra respondit, sed paulo post commotus est. Et minister detexit eum: atque ipse lumina fixit. Quod quum Crito cerneret, ora oculosque composuit. Hic finis fuit amici nostri, o Echecrates, viri, nostro quidem judicio, omnium, quos experti sumus, optimi et apprime sapientissimi atque justissimi.

EXCUDEBAT A. J. VALPY, A. M.
RED LION COURT, FLEET STREET.

Digitized by Google

258202

Digitized by Google

Digitized by Google

THE UNIVERSITY LIBRARY
UNIVERSITY OF CALIFORNIA, SANTA CRUZ

This book is due on the last **DATE** stamped below.
To renew by phone, call **429-2756**
Books not returned or renewed within 14 days
after due date are subject to billing.

MAY 10 1979 REC'D

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google